

PERICOPÆ Euangeliorũ, quæ SINGVLIS DIEBVS DOMINICIS PVBLICE IN ECCLESIA recitari solent, expositæ per

D. IOAN. BRENTIVM.

VNA CVM INDICE VOcum ac rerum.

FRANCOFORTI APVD Pet. Brubachium.

1559.



13973

Michael & Iaco

BVS GRETTERI, PIO LECTORI GRATIAM ET pacem optant.



IX tandem multis, & diuturnis precibus à Reuerendo Dño, & patre nostro Ioanne Brētio impetrauimus, ut hosce sermones, qs in explicandis Euangelijs, ut uocant Dominicalibus, apud nos Halæ in Sueuis habuerat, edendi nobis potestatē faceret. Iam enim consilium & uoluntatem suam nobis opponebat, quòd non hoc animo chartis mandati essent, ut in omnium Ecclesiarum conspectum uenirent, suæ ec

cleſiæ, pro illo rerum ſtatu, ſe hæc tradidiſſe. Iam nobis obijciebat, multa egregia multorum doctorum in hoc argumenti genere extare ſcripta, ut ſuis nihil omnino opus eſſe enarrationibus arbitraretur. Alia denique aliàs noſtræ obſtruebat uoluntati, & petitioni. Nos uero ſurdis oĩa hæc auribus, Capernaitici reguli exemplo, prętermittentes, ut ad preces noſtras, æquas, iniquas deſcenderet, ne hic iamdudum cõceptus, & natus fœtus moreretur, inſtitimus. Exiſtimabamus enim eccleſiarum omnium intereſſe multùm, poſteris relinquere ueræ, ſynceræ, ueteris Propheticæ, Apoſtolicæ, & abipſo Deo traditæ doctrinæ multorum probatorum probatum teſtimonium, præſertim in hac doctri

ng

næ Christianæ parte. Necꝑ enim obliuioni tradidimus, quantum Ecclesijs damnum Satanas dederit suis nugis, de summis & præcipuis salutis nostræ capitibus, de Lege, de Euangelio, de Pœnitentia, de Sacramentis, de Iustificatione, & de bonis operibus. Concionandi munus ferè monachis mandabatur, in primis illis, qui se sectatores Francisci, Dominici, & Augustini esse profitebantur. Nam reliquum uulgus Episcoporum, & opulentorum sacerdotum, & monachorum, Bacchanalia perpetua agitabat, & Epimenideum dormiebat somnum. Horum aliquis cùm in suggestum ascendisset, & diuam Mariam Virginem, Christi seruatoris nostri matrem, uerbis angeli salutare iussisset, &

partem aliquam capitis ex Euange
lista aliquo sumptam, recitasset,
thema initio cõcionis latino mur-
mure propositum in tres, aut qua-
tuor partes diuidebat. Deinde
rursus singulas in alias subdiuide
bat, quas nec Mithridates Ponti
rex, aut Cyneas Pyrrhi legatus,
aut Cyrus, aut Scipio, qui ob me-
moriæ felicitatẽ maximè celebran
tur, complecti potuisset: cum Euã-
gelij autem prelecti sensu congrue
bant, sicut porci grunnitus cum lu
sciniæ suauissimo cantu, hoc est,
δὶς διὰ πασῶν. Ferè em̃ populo suorꝫ
ordinũ autores, suas uiuendi regu
las commendabant. Franciscanus
quidam (rem notam narramus)
ualde rhetorica contentione Fran
ciscum suum cum alijs Diuorum
ordinibus conferebat. Quo in nu-
mero

mero te, Franciſce, clamabat, collocabo? Num locum inter martyres tibi deputabo? At martyres lõge ſuperas. Vis inter confeſſores collocari? Sed & hos à tergo relinquis. Inter uirgines ſedere uis? O uirginum uirgo, ubi dignus te locus? Non uideo locum ullum, in quo te locem. Hæc cum uoce intentiore, ſcilicet, ad mouendas aniculas, uociferatus eſſet, ruſticus quidam feſtiuior: ne ergo, inquit, ſolus Diuorum ſtare cogatur tuus Franciſcus, in meo colloca loco, mi domine. Atq; hoc dicto ſurrexit, & abijt, miſero, ac feſſo Franciſco locum ſuum cedens. Alius Anthonium, Alius Georgium, Alius Sebaſtianum laudabat. Omnia templa dicata erant Sanctis. De rebus nihil ſanius docuerunt.

Euangelium in præcepta, & consilia partiebantur, ac nimium sibi placentes non solum utraq; se seruare uideri uolebant, sed etiam opera supererogationis facere, quibus mererentur alijs in hoc seculo remissionem peccatorum, & rerũ prosperũ successum, in altero uero æternam fœlicitatem. De lege, & mandatis Dei altissimum erat silentium. Ita enim occupati erant toti in prædicandis traditionibus humanis, ut uix meminisse uacaret legis diuinæ, cuius usum plane ignorabant. In ore erãt ieiunia, ciborũ discrimina, ritus, ceremoniæ, & dies festi. In die Palmarum asinus bipes ligneum trahebat asinum. Misera adolescẽtia Christo & pietati ueræ in baptismo, & Mu sis à parentibus dicata, ligneo si-

mulachro

mulachro insidenti acclamare co-
gebatur: Osanna filio Dauid, Be-
nedictus, qui uenit in nomine Do
mini. O filium Dauid. Alij accine-
bant: Hic est, qui uenturus est in
salutem populi. O salutem. Quid
dicamus de ceremonijs sequentis
hebdomadæ, in qua σωτήρια, id est,
liberalia peragebantur? Quid de
Paschalibus ceremonijs? Quid de
ceremonijs Ascensionis Domini,
& Pentecostes? Quid de diebus
dicamus uirginis matris, in quo-
rum alijs cereos, in alijs herbas, in
alijs poma consecrabant, quorum
uirtute etiam dæmones, si dijs pla
cet, fugabantur? Missarum tanta
erat uis, tanta efficacia, ut cedere
ei cogeretur quicquid est uel apud
superos, uel apud inferos. Audie-
bantur querelæ & eiulatus defun-

ctorum. Aderat exorcista cum sale & aqua benedicta, Ducto circũ se circulo, uerbis conceptis plora-tus causam quęrebat. Ibi miser defunctus uirtute salis, aquæ, & uerborum conceptorum uictus, etiam sine dentibus, sine lingua, sine palato, deniq; sine ore, commemorabat, quos & quantos cruciatus sustineret, q; in die cinerũ bacchanaliorum reliquias deuoraue rit, quòd in Quadragesima oua ederit, quòd non ritè ieiunauerit, à sacerdote, cum illi confessus esset peccata, iussus. Posse autẽ se à tormentis liberari 30. lectis missis & lauto sacrificulis dato conuiuio. Hoc ubi factum, pax erat in cœlo, in terra, & in inferno. Quanto putas cachinno adprobauerit, ô Lector, Diabolus hanc monachorũ

obedientiam?

obedientiam? Vota ſua caſtitatis, paupertatis, & humilitatis Baptiſmo anteponebant. Erroris præmium non minimum eſt, Humana anteferre diuinis. Multis perſuaſerunt, ut relictis liberis & coniuge honeſta, aut magiſtratu, in quo erant, deſerto, in monaſteriũ irent: quaſi hoc uitæ genus, à quo, neſcimus excogitatũ, magis Deo placeret, quàm id, quod à Deo ipſo inſtitutum eſt. Quibuſdam etiam magnis principibus autores fuerũt, ut cucullis indutos ſe poſt efflatam animam ſepelire mandarent: quaſi uerò Diabolus cucullam timeret, aut Deus cucullatos in cœlũ reciperet. Vna eſt ueſtis, quam & Diabolus fugit, & Deus cœlo dignatur, ea eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quem in bapti-

ſmo induimus. Quicũq; ſine hac ueſte coram Deo apparuerit, in tenebras extremas eĳcietur. Coniugium, & magiſtratum ciuilem uerbis, quantum poterant, eleuabant, carnalia uitæ genera appellantes, in quibus Deo ſeruire non poſſemus. Quid opus eſt uerbis? Operibus ſuis ficticiis omnem dignitatem, & gloriam, eam quoque quæ ſolius eſt Chriſti, tribuebant, ex Chriſto alterum quendam Moſen facientes, cuius rara erat mentio. Hæc nõ perſonæ alicuius, ſed uitiorum odio commemoramus, id unicè in uotis habentes, ut omnes pariter ubiuis gentium Chriſtum, unicum redemptorẽ, & ſaluatorem ſuum agnoſcant, fide amplectantur, laudent, ac celebrent: Nec diffidimus, quin Spiritus Chriſti

Christi aliquos in monasteriis exterarum nationum illuminaturus sit. Nam apud nos, qui adhuc ueritatem in iniusticia detinent, digna factis suis præmia accipiunt, accipientq; in die Domini digniora. Sed hæc recensemus, ut de prioris seculi tenebris commonefacti, huius nostræ ætatis beneficia, per Euangelij reuelationem nobis in Christo collata, agnoscamus, Deoq; gratos nos exhibeamus. Porrò cum Reuerendus Dominus, & pater noster Ioannes Brentius in enarratione Euangeliorum, quæ diebus Dominicis in templis publicè leguntur, eos Christianæ locos tractauerit, qui cum ad reformationem deformati peccato hominis, tum ad exornationem, summè necessarij sunt,

in primis uero articulum de iusti-
ficatione hominis, salutis nostræ
sacram anchoram, quem nunquã
non aduersarius noster labefacta-
re, corrumpere & subuertere co-
natur, cùm de fide, & eius fructi-
bus, renascentiam nostram testifi-
cantibus, de omnibus denicp uitæ
officijs, ad popularium captum,
nostro quidem iudicio, aptè, per-
spicuè, solidè, iustocp ordine do-
cuerit, orandi, & obsecrandi nullũ
finem fecimus, donec euicimus, ut
nobis permitteret uel nostro pe-
riculo has homilias Ecclesijs Dei,
quæ in toto terrarũ orbe sunt, com
municare. Damus itacp tibi pie &
Christiane lector, hosce sermo-
nes, nõ ut è manibus tuis, si qua in
hoc genere meliora habes, excutia
mus, sed ut talento hactenus recõ-

dito,

dito, si qua fieri posset, lucelli quid piam spiritualis faciamus, hoc est, testimoniũ nostrũ tuo addamus, Christianæq; doctrinę cõsensum, pro nostra uirili iuuemus, & promoueamus, ut spiritu Dei, qui in utrisq; est, & fide in Christum, cõfirmati, per uastissimum, & uarijs horrendisq; monstris refertissimum huius mũdi mare, ad Dominum nostrum Iesum Christũ, uni cum, iucundissimum, & omnibus uotis expetitum portum eluctemur, qui uult nõ ut stertamus, sed ut uigilemus, attẽdentes nobis, & uniuerso gregi, quem sibi sanguine suo acquisiuit: cui honor & gloria in secula, Amen. Vale, datę Halę in Sueuis, Anno post natum Christum, 1555. in mense Decembri.

Dominica Pri=
MA ADVENTVS,
EVANG. MATTH. XXI.



CVm appropinquassent Hie/rosolymis, & uenissent Beth phage ad montẽ Oliueti, tũc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellũ quod cõtra uos

est,& statim inuenietis asinã alligatam,& pullũ cum ea, Soluite & adducite mihi. Et si qs uobis aliquid dixerit,dicite: Dñs his opus habet,& cõfestim dimittet eos. Hoc aũt factũ est, ut impleret q̃d dictũ est per Prophetã,dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus uenit tibi mansuetus,sedens super asinam,et pullũ filium subiugalis. Euntes aũ tẽ discipuli,fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Et adduxerunt asinam et pullũ,et imposuerũt super eos uestimẽta sua,& eũ desuper sedere fecerũt. Plurima aũt turba strauerũt uestimẽta sua in uia. Alĳ aũt cędebãt ramos de arboribus,& sternebãt in uia. Turbæ aũt quę præcedebant,& quæ sequebanť,clamabãt, dicentes: Hosiãna filio Dauid,Benedictus q uenit in noĩe Dñi, Hosianna in excelsis.

HOMILIA PRIMA, DE VERA RELIGIONE, quæ non solum uerissima, certissimáq; sed etiam omnium Religionum uetustissima est, habita anno 1538.

MAiores nostri, qui instituerunt ordinationes Ecclesiasticas, distribuerunt totum annum in certa quæda tẽpora, & dies festos, idq; fecerunt non ut superstitiose obseruarent dies, & menses, sed ut conseruarent ordinem quendã in doctrina religionis, & quæ cognitu necessaria sunt, certis diebus, & festis traderẽtur. Ea enim, quæ sic traduntur, ut certis quibusdã diebus, quasi notis illustrẽtur, multo fidelius & firmius memoriæ commendantur, quàm quæ simpliciter sine aliqua insigni & obseruabili nota proponuntur. In hac autem distributione, sicut ante Paschã institutum fuit Ieiunium, quod uocant quadragesimale, ita ante Natalitium diem Christi, ordinarunt quatuor hebdomadas, quas uocauerunt tempus aduentus Christi. Ac negari non potest, quin Hypocritæ abusi fuerint hac temporum distributione in superstitionem, uidelicet, q; ieiunio horũ temporum promiserint sibi meritum remissiõis peccatorũ, ut digni suscipiant futurum Christum. Sed qui primi tẽpus aduentus ordinarunt, longè aliò respexerunt. Initio. n. cum eccle-

sia Christi per prædicationem Euãgelij recens plan taretur, Christianis obiectũ fuit, tam à Iudæis, quàm à Gentibus, quòd sectarentur religionem nuper a deo natam, & à nescio quibus excogitatam, & uoca bant religionem Christianam nouam & maleficam superstitionem. Existimabant enim nostram religio nem tunc primum ortam, cùm Christus natus esset in Bethlehem, & prædicasset Euangelium suum in Iu dæa. Erant & alij, qui putabant Christum non redi turum in iudicium, propterea quòd reditum aduen tus fuit anto tempore ab ascensu in cælum differret, & existimabant resurrectionem iam factam, quem admodũ Paulus ad Corinthios scribens indicat. Qua re maiores nostri instituerunt quatuor hebdomadas ante natalem diem Christi, ut ijs diebus doceatur ec clesia de uetustate religionis nostræ, quòd Christus non fortuitò aduenerit, sed longè antè promissus fue rit. Et quòd religio nostra non tunc primum cœpe rit, cùm Christus natus est in Bethlehem, sed fuerit iam inde ab initio orbis terrarum. Et quòd Christus, sicut primùm uenit in humilitate, ita postremò ad uenturus sit in Gloria & Maiestate ad iudicandum uiuos & mortuos. Hæc, inquam, ut docerentur, & assiduè quotannis repeterentur, ordinatum fuit tem pus aduentus. Interea si qui pij fuerunt, hi etiam his diebus magis sectati sunt sobrietatem, quàm alijs die bus, nõ ut merito ieiunij expiarent peccata sua, sed

ut

ut sobrij doctrinam tam necessariam melius percipe rent, & seruarent. Cùm ergo hac tempestate, nõ mi nus, quàm temporibus primitiuæ Ecclesiæ, accusetur prædicatio Euãgelij nouitatis, ac præterea multa di uersa, & aduersa de religione nostra iactentur, agi te amicissimi, accipiemus & nos ex hoc aduentus tẽ pore, occasionem dicendi, de ratione religionis no strę. Ac primum ostendemus, quæ sit illa uera reli gio, seu fides, de qua nũc summi & infimi inter se cõ tendunt, qua & iustificamur & seruamur. Deinde paucis ostendemus hanc fidem non esse recens excogitatam, nec incœpisse tantum ab eo tempore, quo Christus homo factus est, sed esse uetustissimam oĩm religionum. Igitur principio cum sermo fuerit de ue ra fide, qua iustificamur & seruamur, non est intelli gendum de obseruatione externorum rituum eccle siasticorum: habent enim Pontificij & Monachi suos ritus, habent & alij alios ritus. Sic & Turcæ ha bent suas Ecclesiasticas ordinationes. Habuerunt quõdam Iudæi & Patriarchæ suos cultus & ritus di uinos. Sed & Gentes obseruarunt externos ritus, & cultus diuinos in congregationibus suis. Nihil autem harum omnium rerum fides propriè illa est, de qua quærunt, qui uerè cupiunt iustificari & seruari. Ha bent quidem legitimi ritus Ecclesiastici, & sacramẽ ta diuina suum usum, quemadmodum postea indica bimus, attamen non sunt propriè fides illa iustificãs,

Deinde cognitio illa honesti & inhonesti, quæ & partim in Gentibus fuit, partim ex Decalogo concipitur, nõ est ea propriè fides, de qua nũc loquimur. Nam si in hoc constaret uera fides, non fuissent tot cõtrouersiæ de fide in orbe terrarum: ubiq; enim cognitum fuit, Deum esse, et inhonestum esse hominem occidere, Honestum autẽ esse homini benefacere, & id genus alia. Adhæc, nec illã cognitionem hoc loco, fidem propriè uocamus, qua scimus præter hoc externũ, aliud esse seculum, in quo mali puniuntur, & boni honorãtur. Nam si in hoc cõsisteret uera fides, iampridẽ cõuenissent inter se Iudæi & Gentes, Turcæ & Christiani, quippe qui omnes agnoscunt, & confitentur, alium esse mundum, præter hunc uisibilem. Quòd.n. non singuli priuatim homines hoc confitentur, publicæ Gentis opinioni nihil adimit. Itaq; si nec obseruatio ritus Ecclesiastici, nec cognitio honestorũ & inhonestorũ, nec cognitio alterius mundi, uera illa fides est, de qua nũc loquimur. quid ergo est? Id profecto est, quod est medium, et uia, qua Deo ita reconciliamur, ut & nos iustos reputet, & salutem nobis perpetuam tribuat. Etsi enim agnoscimus esse Deum, & quæ sint honesta, et futurum esse seculum, in quo mali puniantur et boni saluentur, tamẽ cum agnoscimus etiam, hunc Deum esse nobis iratũ, & nos non facere honesta perfectè, ac meritos esse pœnam futuri seculi, magis cohorrescimus, quàm cõ

solationem

salationem accipimus. Hic ergo quæritur uia, & modus, quo Deus reddatur nobis placatus, ut reputet nos iustos, ac donet æternam fœlicitatem. Hic nunc oriuntur uerè illæ controuersiæ de fide seu religione. Nã alia Gens aliam habet uiam placandi Deum, & cõsequẽdi fœlicitatem. Ethnicus habet suas morales uirtutes. Iudæus habet suam circũcisionem & sacrificia. Hypocrita inter Christianos habet suas Missas & peregrinationes. Et hac in parte, tot ferè sunt sensus, quot Hypocritarum, & superstitiosorum & impiorum capita. Sed utcunq; hi sentiãt, nulla tamẽ est alia uia, nullus modus, nullum medium, quo cõsequamur fauorẽ Dei, & fœlicitatem eius, quàm Credere, q̃ Iesus Christus, Semẽ Abrahæ & Dauidis, uerus Dei filius, expiauerit peccata nostra, & placauerit nobis patrem in cœlis. Atq; hæc est illa fides, de qua propriè fit sermo, cum de religione tractamus, et propter quã tot semper controuersiæ in orbe terrarum exortæ sunt. Quæ cùm ita se habẽt, reliquum est, ut ostẽdamus, quàm uetusta sit hæc religio. Nec enim hoc nostro tempore primũ cœpit, quia fuit per apostolos in orbe terrarũ uulgata. Nec eo primum cœpit tempore, cùm natus est Christus in mundum, Christus quidem tunc Homo factus est, Sed hæc religio incœpit in Paradiso. Cum enim Adam peccasset, ac iam non sentiret tantum iudicium mortis corporalis, uerumetiam mortis perpetuæ & dãnationis,

audit Deũ concionari religionem Christianismi, & Christum saluatorem promittere. Ad serpentem enim (hoc est) ad Diabolum dicitur: Semen mulieris cõteret caput tuũ, Et tu insidiaberis calcaneo eius. Paucissima hæc sunt uerba, sed his paucis cõprehenditur nõ solum ueræ religionis summa, uerumetiam prophetatur, quantã contradictionem & aduersitatem uera religio in mundo habitura sit. Semen enim mulieris est Christus: serpẽs est potestas & maiestas Satanæ, uidelicet, peccatum, afflictio, mors, & infernus, hæc sunt maiestas Satanæ. Conterere autẽ, si iuxta Hebræam phrasim interpreteris, significat uenemo afflare, inficere, & perdere. Concionatur igitur Deus in Paradiso de religione Christianismi, quòd Christus nasciturus sit homo, qui etsi per se nõ sit, nisi remedium omnium malorum, tamẽ erga Satanam sit mortiferum uenenum, ita ut inficiat ueneno caput eius, & satisfaciat pro peccatis, ac cõmutet afflictionem & mortem, in ianuam fœlicitatis & uitæ, & auferat inferis suam perditionem. Sic enim Oseas cap. 13. hanc promissionem interpretatur, Ero mors tua, ô mors, Ero morsus tuus inferne. Atq; hæc quidẽ infert Christus capiti serpentis. Sed quid uicissim infert serpens Christo? Sequitur. Tu insidiaberis calcaneo eius. Hîc insidiari iterum idem est, quod ueneno afflare & inficere. Calcaneus autem Christi est, quicquid de Christo in hac terra extrinsecus geritur, Vn

de

de externa concio de Christo, Item, omnes homines concioni de Christo credentes, Item, ipsa Christi humanitas, adhuc in terra agens uitã, dicitur calcaneus Christi. Hunc igitur Christi calcaneum Satan semper impugnat, semper inficit ueneno suo. Vbi Euangeliũ de Christo prædicatur, ibi excitat uel hæreses, uel persecutiones, uel contẽptum Epicureicum? Vbi pij uiuunt, ibi omnia aduersa eis immittit. Et cum Christus ageret uitam in terra, quid non malorũ ipsi intulit? Concitauit aduersus eum Pharisæos, qui morti eã tradiderunt. Atq; hoc uerè est mordere, seu ueneno afflare calcaneum Christi. Et hoc est perpetuum bellum Christi & Satanæ in orbe terrarum, usq; ad nouissimum diem, ut semen mulieris mordeat caput serpentis, & uicissim serpens mordeat calcaneum seminis mulieris. Habes primam cõcionem de Christiana religione, ex qua uides religionem nostram longè omnium uetustissimam, et in Paradiso institutã esse. Et hæc religio non interijt unà cum Adamo, sed propagata est inter Patriarchas. Abel enim obtulit de primogenitis gregis sui: sic et reliqui Patriarchæ obtulerunt sacrificia Deo, quæ certè nihil aliud fuerũt quàm testimonia Christianæ religionis, & cõciones de Christo, quòd uenturus esset, & sacrificio suo expiaturus peccata nostra, seu infecturus ueneno caput serpentis. Itaq; Christiana religio peruenit usq; ad Noha, sub quo diluuium factum est: fuit enim &

Noha Christianus, & cùm exiuisset ex arca, obtulit sacrificia, quæ fuerunt cõciones de sacrificio Christi. A Noha igitur tres filij eius didicerunt religionem Christianam. Et cum posteri eorũ dispergerentur in totum orbem terrarum, propagatus est etiam cum ipsis aliqua ex parte Christianismus. Tametsi enim maxima pars Gentium, quæ originem suam duxerũt à Noha, delapsæ sunt in idolatriam, tamen retinuerunt apud se quædam Christianismi uestigia. Obtulerunt.n. Gentes sacrificia: Item multæ Gentes expiarunt publica mala, morte hominis, quæ etsi à Gentibus impiè facta sunt, tamen ostendunt maiores Gentiũ prædicasse de Christo homine, qui sacrificio suo, & morte sua, expiaturus esset iram Dei. Item Romani, ad expianda quædam infortunia, fixerunt solenni ritu clauum, Quod etsi fortasis è fortuita quadam superstitione natũ esse potest, tamen monet etiã nos, ut cogitemus à maioribus dictum esse, quendã futurum, qui clauis affixus, expiaturus esset irã Dei, atq; hac occasione posteros usurpasse affixionem clauorum, pro placatione iræ diuinæ. Sed ne iusto diutius uos detineam, audiamus Christum ipsum filium Dei, de uetustate ueræ nostræ religionis concionantem. Ipse enim testatur Ioannis octauo, nostram religionem iam inde ab initio fuisse, cum ait: Abraham pater uester exultauit ut uideret diem meum, uidit & gauisus est. Paulus quoq; testatur, patres hanc religionem

gionem nobiscum habuisse communem. ita enim ait capite primo ad Romanos: In Euangelium, quod Deus antea promiserat per Prophetas suos. Et Petrus 1. Petri 1. De qua salute scrutati sunt prophetæ, qui de uentura in uos gratia uaticinati sunt. Habes Christi & præcipuorum Apostolorum testimonia, quòd fides in Christum sit uetustissima omnium Religionum, & quòd non eo primum tempore sit exorta, quo Christus natus est, sed quòd multò antea fuerit fides in Christum, ac eadem sit fides nostra, Patriarcharum, & omnium piorum ab initio mundi. Quid ergo? (inquis) Abraham habuit circumcisionem & sacrificia, quorum nos nihil habemus, Et nos habemus Baptismum & Cœnam Dominicam, quæ Abraham non habuit, quomodo igitur eadem est fides? Respondeo. Suprà dictum est, quòd sacramenta, & ritus ecclesiastici, non sint ipsa fides. Abraham & alij patriarchæ habuerunt quidem alia sacramenta, non autem habuerunt aliam fidem. Ac Deus pro tempore, & loco, & personis, mutauit quidem Sacramenta, non autem mutauit fidem. Sacramenta enim sunt ancillæ fidei, Fides domina est, Dominæ maiestas manet, ancillarum ministerium mutatur. Sacramenta sunt organa quibus fidem confirmamus. Cum igitur hæc fides in Christum sit uetustissima, addiscamus et sectemur eã in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA SECVNDA DOMINICAE Primæ aduentus, De promißionibus aduentus Chriſti, Et quòd Deus ad has conſeruandas olim maxima quæq; miracula ediderit, habita anno 1541.

NOn dubito (optimi auditores) quin adhuc memori mente teneatis, q̃ maiores noſtri uocauerũt hoc tempus, quod ab hac die uſq; ad diẽ Natiuitatis Chriſti pertingit, Aduentum Domini. Qua ordinatione, etſi Hypocritæ abuſi ſunt ad ſuperſtitionẽ, tamen qui rectè ſenſerũt, uoluerunt hac ordinatione admonere Doctores Eccleſiæ, ut quia poſt aliquot hebdomadas publica fiat mẽtio natiuitatis Chriſti, doceant et erudiant his intermedijs diebus eccleſiã, q̃ Chriſtus nõ uenerit in hunc mundum, ut alij homines, inexpectatus, & antea nõ denunciatus, ſed qui antea fuerit ab initio orbis terrarum prædicatus, & expectatus. Nullum. n. in terris maius, et diligentius ſtudium eſſe debet, quàm ut rectè cognoſcamus Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Paulus ad Epheſios 4. ſcribens, ait: Chriſtum aſcẽdiſſe in altum, & dediſſe apoſtolos, prophetas, Euangeliſtas, Paſtores & Doctores, ad inſtaurationem ſanctorum in ædificationem corporis Chriſti, donec perueniamus omnes in unitatẽ fidei, & agnitionis

tionis filij Dei in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenè adultæ Christi, ut non amplius simus pueri qui fluctuemus & circumferamur quouis uento doctrinæ per uersutiam hominum. Et Petrus 1. Petri 1. monet grauissimè, ne excidamus à propria stabilitate. Crescite (inquiens) in gratia, & cognitione Domini nostri, & seruatoris Iesu Christi. Ac Christus ipse apud Ioannẽ capite 17. Hæc (inquit) est uita æterna, ut cognoscant te solũ uerum Deũ, et quem misisti Iesum Christum. Quare dãda nobis est opera, ut cognoscamus Iesum Christum, qui est thesaurus noster, nõ solum ex ijs, quæ de ipso dicta & acta sunt, post natiuitatem, Mortem, Resurrectionem, et Ascensionem in cœlum, sed etiam ex ijs, quæ de ipso, & propter ipsum, imò propter nos dicta & acta sunt, priusquã in hoc mundo natus est. De Christo. n. prophetatum est primò publicis uaticinijs, seu oraculis, hoc est, promissionibus et concionibus de ipso. Deinde publicis sacris & ceremonijs. Postremò ad cõseruanda uaticinia de Christi aduentu, ad conseruandũ etiam genus, è quo Christus homo nasciturus erat, maxima et stupẽda miracula edita sunt. Institutæ præterea, & iterũ deiectæ sunt potẽtissimæ in terra Monarchiæ. De his rebus nobis nunc quædam disserẽda sunt. Ac initio, de aduẽtu Christi adnunciatum est à Deo ipso in Paradiso, cùm Deus ad serpentem ait: Semen mulieris conteret caput tuum, hoc nihil aliud est, quàm

si diceretur, Christus uenturus conteret potentiã Sa tanæ. Hac concione conseruatus est Adam, & omnes reliqui patriarchæ usq; ad Abrahamum. De hac con cione tractauerunt inter se patriarchæ, ut ex ea disce rent ueram uenturi Christi cognitionẽ. Atq; hæc con tio fuit maximè omnium necessaria Adæ primo no stro parenti. Adam enim hoc quidem honoris acce pit à Deo, q; ipse primus fuerit omnium hominum, & magnus auus tot Regum & Principum, Sed inte rea idem etiam post peccatum fuit longè omnium ho minum miserrimus & calamitosissimus. Non enim so lum uidit fratricidium Caini filij sui, sed etiam cogi tauit secum, q; ipse sit autor suo peecato omnium ma lorum, quæ unquàm in terris fiẽt, Et sit etiam autor internecionis omnis posteritatis suæ. Quomodo pu tas Adamum in his cogitationibus affectum fuisse? Nostrum quispiã si sentiat se causam fuisse unius sal tem homicidij, quãtum obsecro affligitur animo suo? quantum turbatur? Quid igitur infernarum flamma rum non fuisset excitatum in corde Adami, cùm re cordatus est, se esse autorem omnium malorum, & perditiõis omnium hominum, posterorum suorum, tot milium, imò tot myriadum? Sed in his tantis flam mis & perturbationibus conseruatus est hac concio ne, de semine Mulieris, per quã spiritus sanctus di xit ad ipsum, Quòd etsi sit autor omnium malorum, tamẽ Deus daturus sit de semine mulieris Christum,

qui

qui sit futurus autor omnium bonorum. Porrò quem admodum Adam, sic & reliqui Patriarchæ seruati sunt per hanc concionem in omnibus aduersis ad ueram & perpetuam salutem. Deinde in Abrahamo, concio de Christi aduentu iterum clarius manifesta est: In semine tuo (inquit Deus) benedicentur omnes gentes. Paulò post magis perspicuè per Patriarcham Iacobum, Nõ auferetur sceptrũ de Iuda, donec uenerit Silo, hoc est, Meßias. His concionibus adnunciatum est de aduentu Christi in carnem, inter Patriarchas, Inter Israelitas adhuc in Aegypto existentes, usq; ad Mosen, qui & ipse de aduentu Christi concionatus est, cum dixit: Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. Sed postea clarißimè, cùm ad Dauid dictum est: Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius, ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius usq; in sempiternum, Ego ero ei in patrẽ, & ipse erit mihi in filium. Post Dauidem autem totus cœtus Prophetarum in hoc maximè studium incubuerunt, ut promißionem de aduentu Christi ad Dauidem dictam, illustrarent & explicarent. Videamus Zachariæ uaticinium, cuius Euangelista in historia hodierni Euangelij meminit. In hoc enim propheta adeo perspicuè, non tantum de aduen. Meßiæ, uerumetiam de pos-

pa, atq; ornatu regio eius, cõcionatur, ut existimare posses, cum ex euẽtu, atq; re iam fœliciter gesta, suũ uaticinium sumpsisse. ita enim ait: Dicite filiæ Zion, Ecce Rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullũ filium subiugalis: Atq; adeo, ut summatim quod res est dicam, nullus non Prophetarum de Christi aduentu uaticinatus est. Petrus Actorum tertio ait: Omnes Prophetæ à Samuele ac deĩceps quot quot locuti sunt, adnunciârunt dies istos. Et Stephanus coram concilio in apologia sua ait: Quẽ Prophetarum nõ sunt persecuti patres uestriẽt occiderunt eos, qui prænunciauerunt de aduentu iusti illius. Et Petrus iterũ actorũ decimo: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomẽ eius, quisquis crediderit in eum. Et rursus 1. Petri 1. De qua salute scrutati sunt prophetæ, qui de uentura in uos gratia uaticinati sunt. De aduentu autem Christi prophetæ præcipuè prædicârunt, quando publica calamitas populo Israel impendebat. Cùm.n. iam omni humana ope gens Israelitica destituta erat, atq; de salute eius actũ esse uideretur, cõsolabantur prophetæ populum, concionibus de aduentu Christi in hunc mundum, & iusserunt auditores suos in hunc liberatorem cõfidere. In Esaia cap. septimo, Rex Syriæ minatur urbi Hierusalem excidiũ, eratq; tãtus timor in Iuda, ut de salute sua desperarent. Hîc ergo cõsolatur Esaias auditores

suos

suos ex aduentu Christi, & ait: Ecce uirgo concipiet & pariet filium, et uocabitur nomen eius Emanuel. Et mox cap. 9. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, et factus est principatus super humerũ eius, & uocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis nõ erit finis, Super solium Dauid, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio et iustitia à modo, et usq; in sempiternum. In Ieremia populus diripiebatur à suis prĩcipibus, & ab externis hostibus, ut nulla reliqua salus uideretur, ideo Ieremias consolatur auditores suos ex aduentu Christi. Ecce (inquit) dies ueniet, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustũ, & regnabit Rex sapiens, faciet iudicium & iusticiam in terra, in diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit cõfidenter. Et hoc est nomen eius, quod uocabunt eum Dominus iusticia nostra. In Ezechiele affligitur populus à pastoribus, et cùm iam Iudæi partim abducti essent in captiuitatẽ, partim opprimerentur à suis ipsorum principibus, ut uideretur de salute ipsorum cõclamatum esse, cõsolatur Ezechiel auditores suos cõcione de aduentu Christi: Suscitabo (inquit) super ea pastorem unum, qui pascat ea, seruũ meum Dauid: Ego Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum. In Daniele cùm Iudæi multis annis in cã-

Ptiuitate fuissent, nec uiderent ullã spem fœlicitatis, cõsolatur eos Daniel cõcione de aduentu Christi: Septuaginta (inquit) hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut cõsummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatũ, et deleatur iniquitas, et adducatur iusticia sempiterna, et impleatur uisio, & prophetia, & ungatur sanctus sanctorum (id est, uerus Meßias ungatur in regẽ æternum) Scito ergo, et aĩaduerte, ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Hierusalẽ, usq; ad Christum ducem hebdomades septẽ, & hebdomades sexaginta duæ erunt etc. Similiter Zacharias suos auditores consolatus est, uaticinio de Christi ingressu in urbem Hierusalem, cuius suprà mentionem fecimus, et quod Matthæus in hodierno Euãglio de Christi aduentu interpretatur. Lõgißimum esset oĩm Prophetarũ de Christi aduẽtu testimonia nũc recitare. Quare omißis illis, uidebimus nũc, quomodo de Christo adnunciatũ fuerit publicis sacris, ac ceremonijs. Nã præcipua ceremonia, & maximũ sacrificiũ in orbe terrarum ab initio mundi usq; ad aduentum Christi, fuit sacrificium pecorũm. Abel instituturus ecclesiã, et publicum cultum Dei, sacrificauit de gregibus suis. Noha liberatus à diluuio, & restauraturus religionem inter hoĩes, sacrificauit de animalibus mundis, quæ secum habuerat in Arca. Et mos sacrificandi diuini numini peruenit à Noha, tã ad Iudæos, quàm Gentes, perdurauitq; is mos inter Gẽtes & Iudæos,

usq; ad aduentũ Christi, quo tẽpore cœptus est abole ri, donec in totũ euanuerit. Hæc aũt cærimonia, & hoc sacrificium initio inter Patriarchas per spiritũ sanctũ institutũ fuit, nõ ut ex opere operato placare tur Deus, sed ut esset adũbratio aduentus Christi, uẽ turũ scilicet Christum, qui sanguine & sacrificio suo expiaturus esset peccata nostra, et placaturus nobis Deum Patrem. Nam cærimoniam sacrificiorum huc respexisse testatur totum nouum Testamentum, ac præcipuè Epistola ad Hebræos, de qua re pluribus agitur in explicatione Leuitici. Vides autem etiam Gentes sacrificasse, & tamen nesciuisse quid agerẽt, hoc maximum argumentum est, ueritatis Christianæ religionis. Sacrificia enim Gentium duxerunt origi nem suam à sacrificijs Patriarcharum, quæ non fue= runt nisi admonitiones de aduentu Christi. Nam Gen tes descendunt à Noha, per Iaphet et Cham, ac etiam per Sem. Iudæi enim ueniunt à Sem, tantum per He= ber. Sicut ergo filij Nohæ uiderunt morẽ sacrificandi à patre suo, ita transmiserunt eum ad posteros Gen tium, quæ postea retento more, amiserunt ueram fi dem, et tamen quia retinuerunt sacrificãdi morem, retinuerunt etiam uestigia Christianæ religionis. Adhæc, mos sacrificandi, non potest esse inter Gen= tes excogitatus ab humana ratione. Hæc enim sentit immolationem boum, potius esse abominationem, quàm cultũ Dei. Solon sapientissimus Athenienſium

Legislator nominatim uetuit immolari boues. Quâ re manifestum est, morem sacrificandi inter Gentes à Patriarchis ortum. Si aũt fuit à Patriarchis ortus, certè inter Gentes quoq; fuerunt uestigia aduentus Christi, etsi Gentes non intellexerunt, & impiissimè sunt abusæ sacrificijs ad Idolatriã. Hactenus de ea ad uentus Christi adnunciatione, quæ facta est partim per promissiones, partim per publica sacra & cere monias. Dicamus etiã pauca de ijs rebus, quibus Deus conseruauit in orbe terrarum uaticinia de aduẽtu Christi, & etiam Genus è quo Christus uenturus erat. Initio igitur, cùm homines multiplicarentur, et traderent se uoluptatibus, neglexerunt cõcionẽ de aduentu Christi. Plantabant, (inquit Christus) seminabant, ædificabant, ducebãt uxores. Dixit itaq; Deus: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, hoc est, homines caro sunt, nõ curant spiritum meum, seu concionem de aduentu Christi. Quare ut Deus restitueret cõcionem de aduentu Christi, perdidit totum orbem terrarum diluuio, & cõseruauit paucos, per quos propagauit uaticinia de aduentu Christi. Postea Abraham, Isaac & Iacob electi fuerunt, ut ex posteritate, & genere ipsorum ueniret Christus. Quare Deus non permisit eis homines nocere, Psal. 104. Corripuit pro eis etiam Reges. Deinde Pharao necesse habuit perire, q̃ cogitauerit delere Israelitas, è q̃bus uẽturus erat Christus. Similiter

Gentes

Gentes Cananææ deletæ sunt, ut hoc genus hoïm, è quo Christus erat uenturus, haberet regionẽ in quæ institueret concionem & sacra de aduentu Christi. Deut. 9. Nationes deletæ sunt, ut cõpleret Deus iuramentũ suũ, quod pollicitus erat Patribus. Præcipuũ aũt iuramentum erat: Per memetipsum iuraui (dicit Dominus) in semine tuo benedicentur oës Gẽtes. Postea cùm Babylonij nolebant remittere captiuitatem Iudæorum, & periculum erat, ne genus, è quo Christus descensurus erat, periret, necesse habuit potentissima Monarchia interire, ut hoc genus cõseruaretur. Sic. n. Esaiæ cap. 45. dictum est de Cyro: Ego Dominus, qui uoco nomen tuũ, Deus Israel, propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum &c. Breuiter omnia regna terræ necesse habuerunt operam suam cõferre, ut conseruaretur genus è quo Christus erat uenturus. Et quod regnũ moliebatur huic familiæ exitiũ, hoc internecioe peribat. Habes nunc quomodo de aduẽtu Christi sit ab initio orbis terræ, prius quã natus esset Christus, adnunciatũ. Sed ad quid nobis ista recensentur? Certè in nostram maximam utilitatem. Primum, ut discamus, solam nostram religionem de Christo, esse ut uetustissimam, ita & certissimam, & uerissimã, atq; ne angelo quidem aliud nuncianti credendum. Deinde, ut quemadmodum omnes tam Patriarchæ, quàm Reges necesse habuerunt, opem suam cõferre, ut adnunciatio de aduentu

Christi conseruaretur, ita admoneatur unusquisq; ut operam suam conferat, quo Euangelium, quod Christum aduenisse nunc prædicat, cõseruetur. Magistratus præcipuum hoc officium est, quod si neglexerit, nullius utilitatis erit, et exterminabitur, aut si Deus tolerat, non nisi in malum eius tolerat, sicut Satanã, sicut & Turcam. Patris familias item officium est, ut conseruet in sua familia Euangelium Christi, quod si neglexerit, aut familia interibit, aut reseruabitur in malum ipsius. Idem de unoquouis priuato sentiendũ est. Nam in solo Christo habemus ueram iusticiã. Est quidem & operum iusticia, eaq; necessaria, sed non est perfecta, & non liberat nos. Sola iusticia Christi reddit nos iustos per fidem, E solo Christo accipimus spiritum sanctum uerè bona opera faciendi. In solo Christo habemus Ius cœlestis hæreditatis: in solo Christo seruamur in morte: in solo Christo seruamur in iudicio Dei, & consequimur æternam fœlicitatem. Quare danda nobis est opera, ut hunc cognoscamus & sectemur. Adeoq; existimemus nos in hoc solum natos, & educatos, ut ueram Christi cognitionem assequamur, qua per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum æternam fœlicitatem consequamur. Amen.

DOMINICA SECVNDA
Aduentus, Euang. Luc. 21.

Et



ET erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentiũ prę cõfusiõe sonitus maris & fluctuũ, arescẽtibus hoĩbus præ timore & expectatione eorũ, quę superueniẽt uniuerso orbi. Nã uirtutes cœlorũ mouebunt. Et tũc uidebunt filiũ hoĩs uenientem in nube cum potestate magna & claritate.

His autem fieri incipientibus, ſuſpicite et leuate capita ueſtra, quoniam appropīquat redēptio ueſtra.

Et dixit illis ſimilitudinē: uidete ficulneā & oēs arbores, cū producūt iā ex ſe fructum, ſcitis, quoniā propè eſt ęſtas. Ita et uos cùm uideritis hęc fieri, ſcitote, quoniā ꝓpè eſt regnū Dei. Amē dico uobis: qa non p̄teribit generatio hęc, donec oīa fiant. Cœlū & terra tranſibunt, uerba autem mea non tranſibunt. Attēdite aūt uobis, ne forte grauē tur corda ueſtra crapula & ebrietate, & curis huius uitę. Et ſuperueniat in uos repentina dies illa. Tanq̄ laqueus. n. ſuperueniet in oēs, qui ſedent ſuper faciē omnis terræ. Vigilate itaq; omni tēpore, orātes ut digni habeamini fugere iſta oīa, quæ futura ſunt, & ſtare ante filiū hominis.

HOMILIA PRIMA, DE POSTERIORI Aduentu Christi. Item de certitudine, forma & tempore aduentus eius, habita anno 1539.

AVdiuimus superiori Dominica, hoc tẽpus pro publica cõsuetudine, uocatum esse aduentũ Domini. Quanquàm autem Hypocritæ hac ordinatione ad superstitionem sunt abusi, tamen maiores nostri ideo instituerunt discrimẽ huius temporis, ut certum aliquod tempus esset, in quo ecclesia erudiretur de promissionibus aduẽtus Christi, siue in carnem, siue ad iudiciũ, ne existimaremus religionẽ Christianismi, nuper adeo natam esse, & ut hac occasiõe admoneremur ad resipiscentiã, qua aduenientẽ Christum exciperemus. Sunt autem duo Christi aduentus, ỹq; publici (priuatim enim aduenire dicitur, quoties quisq; in Christum baptizatur, et in Christum credit) Publicè.n. semel uenit in humilitate, natus ex Maria uirgine, quãdo & passus est, & resurrexit à mortuis, ac uulgauit Euangelium suum in totum orbẽ terræ. Et quia nuper de hoc primo & humili Christi aduentu, quando de uetustate Religionis nostræ, ex promissionibus de aduẽtu Christi ueteris Testamẽti, tractaremus, nõnulla dixerimus, agite amicissimi, nunc de posteriori aduentu Christi sermonem habebimus. Publicè enim adhuc semel in

magna gloria & maiestate ueniet Christus in nouissimo die, ad iudicandos uiuos et mortuos. Necessariũ autẽ est, ut de isto aduentu diligenter tractetur. Pij .n. in tantis miserijs huius seculi, & in tanta rerum ẽm confusiõe perturbationeq; nullam aliam habent consolationem, quàm ex hoc aduentu Christi, quo omnia in rectum suum ordinem componentur. Paulus ad Thessalonicenses scribens, cùm de hoc aduentu Christi disseruisset, addit, Consolamini uos mutuo his sermõibus. Et iterũ 2. Thess. 1. Iustum est (inquit) apud Deum, reddere ijs, qui affligũt uos afflictionẽ, & uobis qui affligimini relaxãtionẽ nobiscum, cùm reuelabitur Dominus Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ &c. Quare ut pij in fide, & obedientia fidei conseruentur, Aduentus Christi in maiestate semper nobis ob oculos ponẽdus est. Ac primum, etsi impij rident, quoties fit sermo de hoc aduentu Christi, ac planè hoc agunt, quod Christus in parabola apud Matth. cap. 24. recitat de seruo percutiente conseruos, q. Dominus cunctaretur uenire, Attamen nihil certius est eo aduentu Christi. Nam scriptura testatur, iam inde ab initio orbis terræ, quòd spiritus sanctus reuelauerit futurum esse generale iudicium de uniuersa creatura, in quo pietas perpetuo honoranda, impietas autem perpetuo punienda sit. Gene. 4. Dominus concionatur Cainо de extremo & generali illo iudicio, cũ ait: Si bene egeris recipies, sin male, statim

le, statim peccatum tuum in foribus erit, hoc est, nõ manebit impunitum. Hæc est concio de generali & extremo iudicio Dei. Et Iudas testatur Patriarcham Enoch de hoc iudicio concionatũ esse, Ecce uenit Dominus cum sanctis millibus suis, ut faciat iudicium aduersus omnes, & redarguat oẽs, qui sunt impij, &c. Postea Prophetæ concionati sunt de hoc Aduentu Christi ad iudicium, cum faciunt mentionem primi eius Aduentus. Nam cum dicunt Christum Regem, iudicium & iusticiam facturum, & omnia in suum rectum statum cõpositurum, indicant eum uenturum ad iudicium, propterea quòd hæc de Christo in primo aduentu tantum prædicatiõe sunt reuelata, quæ postea reuelabuntur rebus ipsis. Sed Christus ipse, adeoq; Apostoli eius, nihil magis perspicuè explicarunt, quàm Christum redicturũ ad iudicium. Hæc ex Euangelistis & scriptis Apostolicis notiora sunt, quàm ut debeant nunc pluribus recitari. Iam, quæcunq; aliàs in scriptura prædicta sunt, ea oĩa rebus ipsis impleta sunt. Cùm Noha uiueret, prædicabatur de diluuio uenturo, & uenit. Abrahæ dictum fuit, Deus liberaturus esset semen eius ex Aegypto, et daturus terram Canaan, extinctis Gentibus in ea habitantibus, & factum est ita. Dictum fuit Christum uẽturum in mundum, & prædicatiõe regnum suum reuelaturum, & factum est. Dictum fuit regnum Iudæ & Israel deuastanda esse, & deuastata sunt. Dictum

fuit, Iudæos redituros ex Babylone in terram suam: et redierũt. Breuiter, quicquid aliàs in scriptura prædictum fuit, hoc probè impletum est. Quare nullum relinquitur dubium, quin et hic nouissimus aduentus Christi, non sit à lupis (quod dicitur) deuoratus, sed certissimè suo tempore reuelandus. Hæc de certitudine aduentus Christi in nouissimo die sufficiant. Nunc de modo & forma aduentus eius tractabimus. Quæ ergo erit forma rerum in aduentu Christi? quid præcessurum, & quid in isto aduentu fiet? Euangelij pericopa, quæ hac Dominica recitari solet, dicit de signis in Sole, & Luna, et Stellis, & uulgo exponitur de signis præcessuris secundum aduentum Christi. Et si aũt aliàs indicauimus, quòd Christus in ea concione loquatur præcipuè de deuastatione urbis Hierusalem, & internecione Gentis Iudaicæ, quo tempore hæc signa impleta sunt, tamen & nos nũc de nouissimi diei signis interpretabimur. Est enim probabile, quòd multa horrenda signa præcessura sint generalem totius orbis deuastationem, sed quoniã nullo certo spiritus sancti testimonio cõstant, missa faciemus, persequemur autem ea quæ ex scriptura certa sunt. Nam quod ad externas illas creaturas, cœlum & terram attinet, quemadmodum terra quondam periit generali diluuio, ita in aduentu Christi, elementa soluentur igni. Sic Petrus ait 2. Petri 3. Cœli procellæ in morem transibunt, elementa uero æstuantia soluentur,

tur, terrá; & quæ in ea sunt opera, exurẽtur. Et postea: Per quem cœli incensi soluentur, & elementa æstuãtia liquescẽt, Sed cœlum nouum & terram nouam iuxta promissum illius expectamus. Quod autẽ attinet ad ipsum Christum, dicit Apostolus 1. Thess. 4. Dominus cum hortatu & uoce Archangeli, ac tuba Dei descendet de cœlo. Et Matth. 25, Filius hominis ueniet in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, & sedebit super sedem gloriæ suæ. Quod autem attinet ad homines, qui reliqui adhuc uiui sunt, mutabuntur in momento, mortui autẽ resuscitabuntur, et qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam, qui uero mala, in ignem æternum. Atq; hoc illud tempus, hic ille dies est, quo omnia confusa & inordinata, in legitimum suum ordinem componentur. Nec ullus alius dies est, quo omnia reformabuntur præter hũc diem. Multa, imò innumera sunt in hoc seculo inordinata. Magna est confusio, quòd pij affliguntur, impij autem fœlices uiuant, Sed hæc confusio nõ prius reformabitur, quàm uenerit dies ille. Magna est cõfusio rerum, q; prædicetur Christum uicisse Satanam, quem uidemus adhuc potentem esse, & adhuc inhærere peccatum in nostra carne, Sed hæc cõfusio non prius componetur, quàm aduenerit dies ille. Magna est confusio, q; prædicetur Christum uicisse & abolesse mortem, & tamen mors grassatur adhuc, tam in pios quàm in impios: sed hæc confusio nõ prius re

stituetur in suum rectum ordinem, quàm adueniat dies ille, quo mors ipsa quoq; extirpabitur. In ciuilibus negocijs multa cõfusa & mordinata sunt, antequàm fiat suum politicum et ciuile iudicium. Alius ciuis aliũ opprimit, & quæ sunt ipsius occupat. Quid fit? Expectatur iudicium, expectantur publica comitia regionum uel regnorum, & in his ciuilia componi solent, quantum fieri potest. Sic & omnia ferè in hoc mundo confusa sunt, sed cõponentur in generalibus illis comitijs, quæ Christus in nouissimo die celebraturus est. Quare ut is dies formidabilis est impijs, ita gratissimus erit oĩbus pijs. Atq; nobis nunc hoc præcipuè oĩm obseruandum est, quòd Christus iubet in tanta oĩm hominum anxietate, quæ nouissimum diem est præcessura, capita attollere, hoc est, gaudere, eo q, nunc instet liberatio. Ergo (inquies) Christiani eiusdem sunt sortis cum mercenarijs militibus, qui ducunt aliorum hoĩm infortunium, suam esse bonam fortunam? Videntur quidem hæc habere similitudinem quandam, sed pij non gaudent de aliorum infœlicitate, gaudent autẽ de sua liberatiõe, quæ tamẽ ita se habet, ut nõ liberentur, nisi impij, hoc est, mundus pereat. Exemplũ est tempus Nohæ, tempus Loth, item tempus Israelitarum sub Pharaone. Hi enim omnes liberati sunt interea, dum impij perirẽt, et gauisi sunt, non quòd impij perirent, sed quòd ipsi liberabãtur. Habes de forma huius aduentus, & quid

allaturus

allaturus sit. Nunc de tempore eius audiamus. Quando ergo, aut quo anno, aut quo die aduẽniet Christus? De tempore huius aduentus idem est dicẽdum, quod Christus de deuastatione Hierusalem. De hoc die (inquit) ne filius quidem hominis nouit. Nouit quidem, iuxta maiestatem suam, sed iuxta ministeriũm suum, quo in hoc mundo est functus, nõ nouit. Et Paulus 1. Thessal. 5. Dies ille Domini, ut fur in nocte uenturus est, cùm dixerint pax, & tuta omnia &c. Nam cum Christus noluerit discipulis indicare diẽ aduentus spiritus sancti, qui tamen non distabat ultra quatuordecim dies, quemadmodum habes in Actis apostolicis cap. 1. multo minus indicare uoluit huius extremi sui aduentus diem: Et cùm nihil certius sit aduentu eius, nihil tamen incertius est die & hora eius aduẽtus. Dies uitæ nostræ sunt septuaginta, aut octoginta anni, si quid amplius est, labor & dolor est, at tamen nõ præparamus nos in tempore ad mortem. Quid igitur faceremus, si nobis notum esset tempus nouissimi diei? Quare abscõdit Deus momentum huius temporis, ut excitet nos ad uigilantiã. Nam quemadmodũ magnus aliquis festus dies, ut Pascha & Natalis Domini, aut Pentecoste, suam habet uigiliam et suam intermediam noctem, ita hic festus dies, quo nõ erit maior in orbe terrarum, habet suam uigiliã, nimirum totam uitam nostram, seu totum tempus huius seculi: habet & noctem suam, uidelicet id tempus

quo mortui dormiunt. Vt ergo in uigilia diei festi præparamus nos ad diem festum, ita per totum tempus uitæ nostræ præparare nos debemus ad magnũ illum festum diem, ut puri & sancti excipiamus Dominũ. Lucæ 12. Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ uestræ ardentes in manibus, & ſitis ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando reuertatur à nuptijs, ut cum uenerit, ac pulſauerit, confeſtim aperiant ei. Lucernam autem tenemus, cum tenemus Chriſtum per fidem, & obſequimur uocationi eius. Quare ut præparemus nos ad aduentum Domini, Chriſtus diſcendus eſt, quo cõſequamur in ipſo æternam fœlicitatem, Amen.

HOMILIA SECVNDA DOMINICAE Secundæ Aduentus, De poſteriori Aduentu Chriſti, uel nouiſſimo die. Et quòd Aduentus ille à pijs omnibus ſummo in precio ſit habendus, habita anno 1541.

VPeriori Dominica diximus de primo aduentu Chriſti, hodie de ſecundo eius aduẽtu dicendũ erit. In primo.n. aduentu uenit Chriſtus humilis, & abiectus: natus eſt in ſumma paupertate, educatus eſt in magna miſeria, & tandem crucifixus eſt, quod genus mortis, non ſolum fuit plenum dolore, ſed etiam abominatione, & turpi tudine.

tudine. In secundo autem aduentu ueniet in magna maiestate et gloria, qualis nunquã in terra uisa fuit: In primo aduentu nihil externarum rerum mutauit in hoc mundo, sed tantum prædicauit Euangelium suum, et cõfirmauit illud miraculis, reliqua omnia permisit in eo statu, in quo fuerãt ab initio orbis terræ, hoc est, inordinatissima, & incõpositissima. In secundo autem aduentu reformabit omnia, & componet ea in ordinem perpetuò duraturum. In primo aduentu non uenit ut Iudex seu Magistratus, sed ut reconciliator, Aduocatus & Patronus. In secundo autem aduẽtu ueniet ut Iudex uiuorum et mortuorũ. Quare nunc nobis de secundo aduentu dicendum est, ut non solum discamus ipsum iterũ in summa maiestate aduenturum, sed etiam præparemus nos ad excipiendum ipsum ea qua decet reuerentia. Primũ igitur diligenter cognoscendum est, q, nihil certius, nihil uerius sit, quàm q, Christus iterum uenturus est uisibiliter in hunc mundum, ad iudicãdum uiuos & mortuos, ut unicuiq; tribuat iuxta sua opera, hoc est, iuxta fidẽ seu incredulitatem, ex qua opera suam originem ducunt. Nã quemadmodum ab initio orbis terrarum prædicatum fuit de primo aduentu Christi ad expianda peccata, & reconciliandos hoĩes cum Deo Patre. Ita etiam prædicatum est Generale iudicium totius mundi futurum, in quo hoĩes pij cõsequẽtur perpetuam fœlicitatem, Impij autem abijcien-

tur in perpetuam dãnationem, adeoq; omnia rectiſſi
mè reformabuntur. Ad Cain proſequentem odio fra
trem ſuum, dixit Dominus: Si bene egeris, recipies,
ſin male, peccatum tuũ, & ſi diu occultum manet, re
uelabitur, & punietur. Hæc eſt prima concio de ex
tremo iudicio. Non enim reuelantur nec puniuntur
omnia peccata in hoc mundo, ſed omnia ſunt incõpo
ſita. Pij opprimuntur, & in magna ſua pietate extre
mis afflictionibus obijciuntur, adeoq; trucidãtur, id
quod in Abelo incœpit, & poſtea peruaſit in omnes
pios Patriarchas & Prophetas, qui etſi nõ omnes ex
terno gladio ſunt trucidati, tamen pertulerunt oĩa
genera afflictionum. Impij autẽ fœliciſſimè agunt in
ſumma impietate, id quod inchoauit etiam in Caino,
qui etſi occiſo Abelo factus eſt meticuloſi animi, ta
men nihil alioqui defuit ei ad ſummã huius ſeculi fœ
licitatem: genuit filios & filias, accepit dominium to
tius terræ, ædificauit urbes, inſtituit politias: breui
ter, fœliciſſimus fuit in hac terra. Atq; hæc Caini fœli
citas permanauit poſtea ad oẽs impios in toto mun
do. Ac poſteritas Caini tota deleta eſt in diluuio, nì
hilominus tamen poſt diluuium homines nihil melio
res facti ſunt, ſed quam impietatem Cain inchoauit,
eam ipſi poſtea auxerunt, & habuerunt præterea
bonam huius terræ fœlicitatẽ. Hæc cùm ſint incõpoſt
tißima, nec poſſunt per ullum Monarcham, etiam po
tentißimum, componi, neceſſe eſt futurum eſſe iu

dicium

dicium Dei generale, in quo omnia rectè componantur. Nam de hoc iudicio cõcionatus est etiam Enoch, septimus Patriarcha ab Adam, quemadmodum scribit Iudas in sua Epistola. Ecce (inquit) Dominus uenit in sanctis millibus suis, ut faciat iudicium aduersus omnes, et redarguat omnes ex eis qui sunt impij, de factis oĩbus, quæ impiè patrârunt &c. Cæterùm hæ conciones Patriarcharum de extremo iudicio, in quo omnia reformabuntur, semper in Ecclesia populi Dei ita tractatæ fuerunt, ut de grauissimis minis et supplicijs exortus sit publicus inter ipsos sermo de aduentu Domini in iudicium. Cùm enim alicui propter scelera minati sunt horribilia quæq;, nisi resipiscat, dixerũt: Maran Atha, hoc est, Dominus noster uenit. Vnde & Paulus 1. Corinth. 16. ait. Si quis non diligit Dominum Iesum Christum, sit anathema, Maran Atha, hoc est, summa afficiatur maledictiõe, quæ impij in aduentu Domini afficientur. Nam quemadmodum serui minantur impudentibus, & insolentibus pueris, aduentũ patris eorum, quò ipsos ab impudentia cõpescant: ita sancti Patriarchæ dixerunt ad familiam suam, Maran Atha, hoc est, Dominus noster uenit, uidelicet ad iudicandum, ut continerent ipsos in officio, & cauerent, ne in aduentu Domini unà cùm impijs perirent. Deinde postquàm tempus Prophetarũ illuxit, tunc Prophetæ non solum prædi cauerunt de extremo iudicio Dei in orbe terrarum

uerumetiam explicuerunt, per quem Deus hoc Iudi
cium sit executurus, uidelicet per Meßiam è familia
Dauidis, hoc est, per Iesum Christum Dominum no
strum. Psal. 71. Deus iudicium tuum regi da, & iusti
ciã tuã filio Regis. hoc est, uidemus q; reges huius se
culi nõ possunt hunc mundum reformare, & omnia
componere, Ideo rogamus q; uelis executionem iu=
dicij & iusticiæ cõmendare Regi Meßiæ, quo omnia
reformabuntur, Ipse. n. iudicabit pauperes, & saluos
faciet filios pauperum, & humiliabit calumniato=
rem. Et Esa. 11. Non secundum uisionẽ oculorum iudi
cabit, neq; secundum auditum aurium arguet, sed iu
dicabit pauperes in iusticia, & arguet in æquitate
pro mansuetis terræ. Et Hiere. 23. Ecce dies ueniet,
dicit Dominus, & suscitabo Dauid germẽ iustum, et
regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium &
iusticiam. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel ha
bitabit confidenter. Quæ oĩa Prophetarum dicta in
telligenda quidem sunt præcipuè de primo aduentu
Christi, sed quia manifestum est, q; Christus in primo
aduentu suo, tantum prædicauit Euangelium, & cõ
firmauit illud miraculis, ac nihil rerum in hoc mun
do incõpositarum extrinsecus mutauit, Ideo hæc &
alia id genus loca Prophetarum, respiciunt etiam in
secundum aduentum Christi, quo oĩa rebus ipsis im=
plebuntur, & ita reformabuntur, ut deinceps impij
nõ poßint pios opprimere. Atq; hoc ipsum Christus

&

& apostoli eius perspicuè explicuerunt. Matth. 25. Cum uenerit filius hoïs in gloria sua, & oës sancti angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ. & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos alteros ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidē à dextris suis, hœdos autē à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris sibi erunt: Venite benedicti patris mei, poßidete Regnum paratum uobis ab exordio mundi &c. Ioan. 5. Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem eius, et prodibunt, qui bona fecerunt in resurrectiōem uitæ, qui uerò mala egerunt, in resurrectiōem condemnationis. Et coram Concilio ait Christus: A modo uidebitis filium hominis sedentem à dextris Dei, & uenientem in Nubibus cœli. Paulus uero Acto. 17. ait: Omnes ubiq; resipiscant, eo q. statuit diem in quo iudicaturus est orbē terrarum in iustitia per eum uirum, per quē decreuerat, fide prestita oïbus, cùm excitârit illum à mortuis. Quid plura? Totum nouum Testamentum plenum est his testimonijs, quòd Christus iterum uenturus sit ad iudicandum uiuos & mortuos. Quare nihil certius, nihilq; uerius nobis expectandum est, quàm secundus aduētus Christi de cœlo in hunc mundum. Habes de certitudine aduētus secundi. Nunc uideamus de tempore quo uenturus est Christus. Quando igitur (inquies) ueniet? Num post decem aut uiginti annos? Hîc no-

bis obseruandum est, quod Christus ipse, tã de tempo re aduentus deuastatiõis Hierosolymitanæ, quàm de secundo aduentu suo dixit, Matth. 24. De die illo et hora nemo scit, ne angeli quidem cœlorum, nisi Pater meus solus. Et in Actis 1. cùm apostoli percunctarẽtur de restitutiõe regni Israelis, hoc est, de secundi aduentus tempore, Respondet Iesus: Non est uestrum nosse tempora, & articulos temporum, quos pater posuit in sua potestate. Itaq; quod solemus dicere de Morte: Nihil esse certius morte, nihil uero incertius hora mortis, idẽ multo magis dicere debemus, aduentu Domini nihil esse certius, sed hora eius nihil esse incertius. Voluit. n. Deus manifestum & cognitum esse, q certò aduenturus sit ad iudicium, noluit autem tempus huius aduentus manifestum & cognitum esse, ut semper nos in officio contineret, & assuefaceret nos ministerio præsentis uocationis, nõ curiositati futuri temporis. Sed quo modo, quo apparatu, qua pompa, & qua maiestate ueniet? Hæc sunt aliquo modo diligenter tradita in scriptura. Acto. 1. Suscepit Christum ascendentem in cœlum Nubes. Et dicũt angeli: Sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntẽ in cœlum. Ergo ueniet iterũ in Nube. Et Matt. 24. Videbunt filium hominis uenientem in Nubibus cœli cum uirtute magna, & gloria multa: nam uenient cum ipso omnes angeli eius. Et ut Paulus ait: Veniet Dominus cum hortatu & uoce Archangeli, ac

tuba

tuba Dei descendet de cœlo, & mortui resurgẽt primum, deinde & nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur, id fiet in momento oculi, in puncto temporis. 1. Corint. 15. Habes nunc de certitudine aduentus Christi, de incertitudine tẽporis eius, deq; maiestate aduentus eius. Hæc autem oĩa idcirco nobis recitantur, & ob oculos ponuntur, ut præparemus nos ad aduentũ eius, & diligamus ac exoptemus eum. Dicit enim Paulus 2. Timot. 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, quod superest, reposita est mihi iusticiæ corona, quã reddet mihi Dominus in die illo, qui est iustus Iudex, non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt Aduentũ eius. At quomodo (inquis) diligere possum aduentum eius, cum mihi timendũ sit ne cõdemner? Obsecro te uide mihi, quàm uaria sint hoĩm ingenia. Alij. n. tam impudenter contemnunt aduentum Christi, ut existiment eum aut nunquàm futurum, aut post lõgissima tempora futurum: itaq; ducunt uitam impurissimã: hos Christus uocat, seruos malos, percutientes conseruos suos, Matt. 24. Petrus uocat illusores, qui dicunt: ubi est pollicitatio aduentus eius? Vulgus nostrum dicit, Eum è tota causa sua cecidisse, qui reĩciat ipsam in aduentum, seu iudicium Domini. Hi sunt cõtemptores Dei. Alij autem ad mentionem aduentus Christi, non aliter expauescunt, quàm si diceretur, aduenire Satanam cum omnibus angelis suis.

Vtrunq; est grauissimũ pctũm. Quod.n. ad cõtempto
res attinet, an nõ dãnant, quantum in ipsis est, ueri-
tatẽ totius sacræ scripturæ, et arguunt mendacij oẽs
Patriarchas, Prophetas, Apostolos, et Christum ip-
sum? Imo ipsam quoq; humanã rationem, quæ oĩa ui
dens incõposita, necessariò fateri cogitur, futurũ es-
se generale iudicium. Tametsi.n. nõ statim reuelatur
generalis aduẽtus Christi, tamẽ quotidie ponitur no
bis ob oculos specialis aduẽtus eius. Tunc.n. etiã dici
tur aduenire, cum uocat nos ad mortẽ, quia quod ad
Deum attinet, inter hoĩs mortẽ, et aduentum Christi
uix interest momentũ oculi, aut punctus tẽporis. Pe
trus ante mille annos mortuus est, & tamẽ inter mor
tẽ eius, et aduẽtum Christi, corã Deo uix est unus di
es, iuxta illud; Mille anni sicut unus dies. Quare ue-
rè aduenit Christus, cùm morte abripimur, donec ge
neraliter reueletur. Itaq; si illi contemnunt aduen-
tum Christi, certè nõ deberent cõtemnere mortem,
quàm sciunt certò uenturam, ut sese uel saltem ad
mortem rectè obeundam præpararent, nec tam fœ-
dã, aut flagitiosam uitam ducerent. Quod autem at-
tinet ad meticulosos, nõ quidem mirum est, q. agnito
pctõ timeatur iudicium Dei, Sed hoc mirum est, q. nõ
consideremus, p quem Deus iudicium suum executu
rus sit. Nã executurus est illud nõ per se sine ullo me
diatore, non per aliquem hoĩem Tyrannum, nõ per
angelum, sed per Iesum Christum filium suum. Omne

(inquit)

(inquit) iudicium dedit pater filio. Et: Mihi tradita est oĩs potestas in cœlo et in terra. Quis aũt est Christus? Nõne est Recõciliator, Seruator, Aduocatus et Patronus noster? Et hic proposuit nobis certißimam uiã ac ratiõem, qua possumus ipsum habere ppetuũ patronum & defensorem, uidelicet fidem in ipsum, et obedientiã fidei. Præterea, dedit nobis satis ſpaciȳ, quo cum ipso recõciliemur. Nihil. n. post primum ad uentum eius aliud nobis expectandum est, præter secundum aduentum, et interea tẽporis licet nobis ui uentibus, quouis momento cum ipso coniungi, ut sit perpetuus noster Seruator. Postquàm. n. resurrexit à mortuis, et Euangelium, abiectis Iudæis, ſparſum est in totum orbem, nõ est nobis expectanda alia doctrina, non alĳ Prophetæ, ſed per hoc Euangelium, quod est reuelatum, præparare nos debemus ad secundum aduentum Christi. Erunt ſigna (inquit) in Sole et Luna &c. hoc est, Nulla amplius erit fœlicitas Iudæorum in terra, nec quicquã aliud expectandum est post abiectiõem gẽtis Iudaicæ, quàm reditus Christi. Tunc uidebunt (inquit) filium hoĩs uenientem in Nube cum potestate magna &c. Quare credamus Euangelio Christi, & obediamus ei, ut expectemus aduentum Christi, magna alacritate, ac certi ſimus per Euãgelium, q, Christus nõ ueniat in nostri damnationem, ſed in nostri ſalutem & redemptionem, Qui est unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus laudãdus in ſæcula, Amen.

DOMINICA TERTIA

Aduentus, Euang. Matth. 11.



IOannes autem cùm audisset in uinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui uenturus est, an aliũ expectamus? Et respondens Iesus, ait illis: Euntes renũciate Ioanni quæ auditis & uidetis. Cęci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi

surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Euangelizant, & beatus est qui nō fuerit scādalizatus ī me.

Illis aūt abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne. Quid existis in desertum uidere? Arundinē quę uēto agitat? Sed quid existis uidere? Hoiem mollibus uestitū? Ecce q mollibus uestiuntur in domibus Regū sunt. Sed quid existis uidere? Prophetā? Etiam dico uobis, & pluscz̄ Prophetā. Hic est .n. de quo scriptū est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiā tuā ante te.

HOMILIA PRIMA, DE TESTIMOnijs, quibus probatur, Iesum filium Mariæ esse uerum Meßiam, per Prophetas promissum, habita anno 1539.

TRactamus adhuc de aduētu Christi in hunc mundum: Ac superioribus diebus explicuimus duos aduentus Christi, alterum in Humilitate, alte-

rum in Maiestate. Nunc autem audiamus ex perico pa Euangelij, quam ex Matthæo recitauimus, Iesum filium Mariæ, hunc esse Christum, seu Messiã, quem futurum Prophetæ uaticinati sunt. Nam apud Iudæ= os nihil certius habebatur, quàm Christum esse uen turum, qui in toto orbe terrarum domimaretur. Et erat quoq; ea fama inter Gentes sparsa, quòd circa ea tempora proditurus esset ex Oriente, qui rerum in toto orbe terrarum potiretur. Sed incertũ uideba tur, quis esset ille Christus, de quo uaticinia extabãt. Gentes referebant ad Vespasianum, qui postea in Iu dæa electus fuit in Imperatorem. Iudæi referebant nunc in hunc, nunc in illum seditiosum: sperabant. n. hunc Christum suum fore terrenum regem. Sed in ho dierni Euangelij historia commemorantur duo ma xima & perspicua testimonia, quibus firmissimè cõ probatur, non alium, quàm hunc Iesum filium Ma= riæ (cuius Natiuitatis mentionem post aliquos dies faciemus) esse uerum illum Christum, seu Messiã, de quo Prophetæ uaticinati sunt. Videamus igitur quæ sint illa testimonia, ut in fide Christi cõfirmemur. Di ces autẽ, Quid opus est ut nobis Christianis sollicitè inculcetur, hunc Iesum esse uerum Christum? Num Turcæ sumus, an Iudæi? An manifestius qcquã apud nos est, quàm hunc Iesum esse Christum? Nihil certè manifestius est, sed tamẽ necessariũ est ut hoc probè è scripturis confirmetur. Non enim sufficit ad ueram

fidem,

fidem, ut sic credamus, quia parentes nostri sic crediderunt. Si fides nostra non habet aliud fundamentũ, quàm q; parentes ita senserint, nimirum imbecille planè fundamentum est. Hoc enim possunt tam Turcæ quàm Iudæi huius ætatis suæ quoq; religioni prætexere, quia sic parentes eorum senserunt. Sed agnoscenda est ipsa religionis ueritas, ex firmis & certis rationibus, atq; euidentibus argumẽtis. Accedit huc quòd Christus ipse dicat: Hæc est uita æterna, ut te solum uerum Deum cognoscant, & quem misisti Iesum Christum: Petimus aũt omnes uitam & fœlicitatem æternã, quare nihil intermittendum est, quod faciat ad ueram cognitiõem Iesu Christi. Præterea, necesse habemus in hac uita facere bona opera, & uocatiõi Dei obedire: ex cognitione autem Iesu Christi datur nobis spiritus sanctus, ad facienda bona opera, quæ non sunt uerè bona, si non ueniunt ex uera fide in Iesum Christum. Quare summa nobis danda est opera, ut cognoscamus hunc Iesum esse uerum Christũ. Sunt autem duo præcipuè argumenta quibus hoc cõprobatum est. Alterum sunt miracula quæ Christus edidit, & quæ Apostoli in nomine eius ediderunt. Alterum est Ioãnes Baptista. Et hæc duo allegat Christus ipse, Ioã. 5. Si ego (inquit) testimoniũ perhiberem de meipso, testimonium meum non esset uerũ: alius est, qui testimoniũ perhibet de me, Et scio uerũ esse testimõiũ eius, quod testificatur de me. Vos misistis ad Io

annem, & is testimuniũ reddidit ueritati. Et: Habeo testimonium maius testimonio Ioannis: opera. n. quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa (inquam) opera quæ ego facio, testificantur de me, q̃ pater miserit me. Hic uides Christum allegare duo testimonia, quorum alterum est Ioannes Baptista, alterum sunt opera seu miracula. Et hæc duo testimonia in hodierno Euangelio ex ordine recitantur. Primum de miraculis. Ioannes quotidiè discipulos suos docebat, se nõ esse Christũ, sed missum ante illum: atqui isti nulla fere doctrina auelli potuerunt à concepta sua opinione, quã de Ioãne cõceperant, subinde magis atq; magis Ioannem Christum esse existimabant. Cùm igitur Ioannes in uinculis audiuisset miracula Christi, nactus opportunitatẽ, misit discipulos suos ad Christũ, ut interrogarent: tu es ille qui uenturus est, an aliũ expectamus? quasi diceret: multis quidem uerbis hactenus prædicauí uobis, me non esse saluatorem, sed duntaxat Saluatoris Nuncium, et uocem, neq; tamẽ uos à me auellere possum. Ite igitur ipsi, disquirite, interrogate, si nõ ego persuasi uerbis, fortè ipse persuadebit factis & miraculis suis. Non minimũ fuit negociũ Ioanni discipulos à se auellere, & Christo tradere. Non enim adeo diligenter hæc scripta essent à quatuor Euangelistis, nisi magnum negocium fuisset ei, discipulos à se ad Christum amãdare. Videmus autem hîc, Ioannem ipsum Baptistã nobis Christum cognoscendum

gnoscendum proponere ex miraculis. Est.n.diuino quodam consilio factum, ut Ioannes nullum signum aut miraculũ fecerit. Nam si ad sanctitatẽ uitæ eius, etiam miraculis claruisset, nullo modo populum à se auellere potuisset. Ideo Ioan.10.ait: Ioannes quidem nullum signum fecit, omnia autem quæcunq; dixit de Hoc, uera sunt. Sic nec Beata uirgo Maria ullum miraculum edidit. Si enim, præterquàm q, mater Christi est, etiam miracula fecisset, tunc imperitum uulgus non potuisset à superstitioso cultu auelli. Igitur Christus nec Matrem, nec Ioannem Baptistã miracula edere passus est, ne superstitiosius eos coleremus. Porrò, cum discipuli Ioannis uenissent ad Iesum, & interrogassent eum, appellat Christus ad miracula, et iubet eos Ioanni renunciare: Cæci uidẽt, claudi ambulant, leprosi mundantur &c. Hoc est, Miracula quæ facio, testantur me ésse uerum Messiam, à Prophetis promissum. Nam Esa.35. scriptum est: Cùm uenerit Messias, aperientur oculi cæcorũ, & aures surdorum patebunt, Tunc saliet claudus sicut ceruus, et aperta erit lingua mutorum. Et Esa.61. spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me, ad Euangelizandum pauperibus misit me. Est & illud in Esaia scriptum cap.8. In lapidem offensionis, & petram scandali, duabus domibus Israel. unde Christus addit: Beatus qui non scandalizatur in me. Est ergo sententia responsi Christi, Renunciate Ioanni, q, omnia quæ

Prophetæ scripserunt de Messia, ita nunc per me inchoata sint, ut impleantur reipsa. Scriptum est, per Messiam pauperes, seu afflictos Euangelium audituros, hoc nunc magna populi multitudine impletur: Scriptum est, Israelitas offendendos humilitate Christi, hoc et ipsum nunc uidetur. Quare necesse est me esse Christum. Sic Ioan. 10. appellat Christus ad miracula, dicēs: Opera quæ ego facio nomine Patris mei, hæc testimonium reddunt de me. Dices autem, Quomodo miracula testantur hunc Iesum esse Christum, cùm tamen Prophetæ etiam miracula ediderint, & tamen nullus eorū fuerit Christus? Moses edidit magna & stupenda miracula. Elias & Elizæus suscitarunt etiam mortuos, & tamen non fuerunt Christus. Quomodo igitur miracula probant hunc Iesum esse Christum? Sunt qui ita hunc nodum dissoluunt, ut dicant: Prophetas fecisse miracula ex aliena uirtute, Christum autem è propria. Hi uerum dicunt, hoc aūt nō cognoscebatur ex ipsis miraculis, sed cognitū est ex doctrina. Quare dicendum est, q̄ miracula non statim, nec immediatè probent hunc Iesum esse uerū Christum, sed probant doctrinā eius ueram esse. Sic miracula Mosi confirmant doctrinam eius. Moses autem nō docuit, se esse Christum, sed docuit Christum uenturum, & audiendum esse. Sic Elias & Elizæus confirmarunt doctrinam suam miraculis, Nō docuerunt aut̄ se esse Messias, sed docuerunt potius Messiam

fiam uenturum. Sic & miracula Christi confirmant doctrinam eius, Is autẽ docuit se esse Christũ, quare miracula eius testificantur ipsum esse uerũ Christũ. Alterum testimonium est Ioannes Baptista. Nam is in hoc missus erat, ut testificaretur de Iesu, q̃ esset uerus Christus. Quare fuit etiã ornatus oĩbus proprietatibus & uirtutibus, quas debet habere idoneus testis. Et has uirtutes cõmemorat ipse Christus in hac concione: Quid existis (inquit) in desertũ uidere? Num arundinem uento agitatam &c. Et addit: Amen dico uobis, non exortus fuit inter eos, qui nascuntur è mulieribus maior Ioanne Baptista. Quãobrem Christus tantopere cõmendat Ioannem? Num ut significet eum inuocandum pro auxiliatore in necessitate? Nequaquàm, sed ut cõmendaretur ueritas testimonij eius de Christo, et ut Christus uerus Auxiliator nobis reuelaretur. Habuit.n. Ioannes omnes uirtutes idonei Testis. Non fuit inconstans, non fuit adulator, nõ fuit mẽdax, sed fuit longe oĩm sanctissimus. Habet sanctitatis suæ testimonia, etiam ab ijs q̃ fidem in Christum non susceperunt. Iudæi.n. putauerunt Herodis exercitum periisse, eo q̃ hunc Ioãnem Baptistam occidisset, Vide Iosephum. Dignissimus igitur fuit Ioãnes Baptistã, cuius testimonio de Christo fides adhibeatur. Habes duo maxima Testimonia, quòd is Iesus sit Christus, de quibus testimonijs ideo diligenter tractandum est, ut ex ijs Iesum Chri

stum discamus. Nam ab initio orbis terrarum nihil aliud in sacris et religiõe actũ est, q̃ ut aduẽtus huius Christi adũbraretur. Patriarchæ sacrificijs suis in huius Iesu Christi aduentũ respexerunt. A Patriarchis uenerũt sacrificia inter Gẽtes et Iudæos, apud quos cũ sacrificaretur, de Iesu Christi aduẽtu adnunciatũ est, etiãsi plures ipsorum nihil minus intellexerunt. Quare cũ nunc aduenerit, intueamur eũ, ut p ipsum consequamur iusticiã et salutẽ perpetuam, Amen.

HOMILIA SECVNDA, IN QVA Christus probat per Eliam & miracula, se esse uerum Meßiam orbi promissum, habita anno 1541.

DIximus superiorib. dieb. de duplici aduentu Christi, quorũ alter fuit in Humilitate & Cruce, alter erit in Gloria & Maiestate. Ac de aduentu quidem Meßiæ, siue humili, siue glorioso, nunq̃ dubitauerunt hi q̃ Prophetis fidẽ adhibuerunt. Prophetæ.n. perspicuè dicunt Meßiã initio ita uenturũ, ut uix agnoscatur. Deinde aũt appariturũ ĩ magna maiestate. Quis aũt sit Meßias, quæ sit persona Meßiæ seu Christi, magna semper fuit inter Iudæos disputatio. Quare hodierno die explicãdum erit ex Euãgelio, Quòd solus Iesus ille filius Mariæ, q̃ natus est sub Augusto in ciuitatula Bethlehẽ, postea

postea in Nazareth educatus, & sub Pontio Pilato crucifixus, sit uerus Christus, seu Meßias, de quo Prophetæ uaticinati sunt, & q iam uenit humilis in carne, postea aũt uenturus est in magna gloria, ad iudicãdos uiuos & mortuos. Videtur aũt hæc esse ociosa et superuacanea cõcio inter Christianos, qui oës credere se dicunt, Iesum filium Mariæ esse uerum Christum seu Meßiã, qui rediturus sit in maiestate. Sed res ipsa longè aliud ostendit, q̃ quod uerbis profitemur. Maxima.n. hominũ pars inter Christianos peccat adhuc impudenter, ac ducit sceleratißimam uitã. Nõ loquor iam de peccato originis, cui omnes homines, quantumuis pij, obnoxij sunt, sed loquor de externis peccatis & sceleribus, quibus uulgus hominum sordidatum est. Nunc autem qui designant scelera, & in sceleribus uitã agunt impœnitenter, non agnoscunt Iesum Christum, etiamsi uerbis id profiteantur. Dicit enim Ioannes in priori sua Epistola cap. 2. Per hoc scimus, quòd cognouimus eum, si iussa illius obseruamus. Qui dicit, noui eum, & præcepta eius non seruat, mendax est, & in eo ueritas nõ est. Et iterum 1. Ioan. 3. Omnis qui in eo manet, non peccat: Omnis qui peccat, non uidit eum, nec cognouit eum. Et Christus ipse apud Ioan. cap. 16. ait: Hæc facient uobis, quia non nouerunt Patrem, neq; me. Quare cùm maxima hominũ multitudo inter Christianos, peccatis & sceleribus studeat, manifestũ est

argumentum, q̃ nondum agnoscant hunc Iesum pro uero Messia suo, nec credunt ipsum uenisse, nec credunt ipsum uẽturum. Ideoq; omnino necessariũ est, ut diligenter ex Euãgelio ostẽdatur, hunc esse uerũ Messiã, quo illi agnoscant eum & resipiscant. Agite ergo, suscipiamus ea argumenta de Messia tractanda, quæ hodiernum Euangelium proponit. Nam cũ Prophetæ cõcionati sint, Christum mitio humiliter aduenturum, addiderunt duo certa inditia & testimonia, quibus cognosci posit. Alterum est Elias. Dixit. n. Malac. cap. 3. Ecce ego mittã angelum meum, & præparabit uiam ante faciẽ meam. Et iterum: Ecce ego mittã uobis Prophetã Eliã, antequàm ueniat dies Domini magnus et horribilis, & conuertet cor pãtrũ ad filios, et cor filiorũ ad patres eorũ. Ex hoc dicto uulgatißimũ fuit inter Iudæos, Eliã uẽturũ ante Messiã. Sunt quidã q̃ hoc dictũ Malachiæ exponũt de secundo aduentu Christi, ante quẽ Elias ille, q̃ sub Achab curru igneo in cœlũ raptus est, uenturus sit, et cõuersurus oẽs Iudæos ad Christũ, ac ostẽsurus impietatẽ Antichristi. Nõnulli addunt etiã, Enoch cum Elia uenturum: Sed manifestum est, Prophetam loq̃ de primo aduẽtu Christi. Etsi. n. poßibile est Deo, non solum Eliã & Enoch remittere ad nos ante nouißimum diẽ, sed etiã multos alios Sanctos ex mortuis excitare ad concionandũ Euangelium Christi, hoc tamen non est nobis in scriptura reuelatum. Et

quod

quod apud Matt. ca. 17. Christus dicit: Elias ueniet, non uaticinatur de aduentu Eliæ illius q̃ sub Achab fuit, sed approbat dictum Scribarũ, ut sit sensus: Scribæ rectè dixerunt, Elias ueniet. Itaq; quod ipsi dicũt futurum, ego nunc impletũ dico, quia Elias, de quo Propheta Malachias scribit, iã uenit etc. Elias aũt ille, q̃ præparaturus sit uiã Christo, et de quo Propheta Malachias prophetauit, est Ioan. Baptista: sic enim exponit Angelus Gabriel Lucæ ca. 1. Ipse præcedet ante illum in spiritu et uirtute Eliæ, ut cõuertat corda patrũ ad filios etc. Et Christus ipse in hodierno Euãgelio: Hic est (inqt) de quo scriptũ est: Ecce ego mitto nunciũ meum ante faciẽ tuam, q̃ præparaturus est uiã tuã ante te. Et postea: Dico uobis, Eliã iã uenisse, et nõ cognouerũt eum. Res etiã ipsa declarat, hũc esse Eliã illum, de quo Propheta Malachias uaticinatus est. Nã Malachias dicit: Eliã conuersurũ corda patrum ad filios, et corda filiorum ad patres, hoc est, prædicaturũ uerã Religionẽ patrũ, ut filij, q̃ degenerauerãt ab auita Religione, reuerterẽtur ad ipsam. Hoc certè Ioãnes fecit, quia Religio Patrũ fuit fides in Christum. Hanc Religionem ignorauerunt posteri Iudæi: Ioãnes autẽ reuocauit eam in lucem. Quare cùm impleuerit quod Propheta de Elia scripsit, manifestum est, eum esse Eliã illum uerum, nec sit alius Elias expectandus. Iam is Elias, hoc est, Ioannes Baptista, nullum alium pro Messia agno

ſcendũ demõſtrauit, q̃ hunc Ieſum filium Mariæ. Dicit enim: Ecce agnus Dei, q̃ tollit pc̃ta mundi. Et iterũ: Hic eſt qui poſt me uenturus eſt, cuius nõ ſum dignus ſoluere corrigiã calceamenti etc. Hoc aũt teſtimoniũ non eſt leue. Nam Ioannes habuit oẽs cõditiones Teſtis fidæ digni. Primũ. n. cõmendatur à conſtantia: quid exiſtis uidere in deſerto? nũ arundinẽ uento agitatã? hoc eſt: Ioannes eſt cõſummatiſsimus. Deinde cõmẽdatur à ueritate, Nõ eſt (inqt) ueſtitus ueſtimẽtis mollibus, hoc eſt, nõ eſt adulator. Præterea cõmendatur à diuino ſpiritu: Plus eſt (inquit) q̃ Propheta. Cũ igitur habeat cõditiones teſtis fide digni, Et teſtificatus ſit de Ieſu, q̃ ſit uerus Meſsias, certe nõ eſt alius Seruator expectãdus. Quid ergo (dices) mittit diſcipulos ſuos ad Ieſum, ut interrogent, num ipſe ſit q̃ uenturus eſt? Reſpõdeo. Nõ mittit q̃ ipſe ignoret, ſed ut diſcipulos ſuos erudiat, et à ſe ad Ieſum cognoſcendum ableget. Nã quod ad ipſum attinet, iã antea baptiſauerat eum, & uiderat ſpiritum ſanctũ deſcendere ſuper eũ, ac tulerat ei teſtimoniũ, q̃ non eſſet alius Chriſtus. Habes primum indicium & teſtimoniũ de Ieſu, quod eſt Teſtimoniũ Eliæ ſeu Ioãnis Baptiſtæ. Audiamus nunc alterum. Prophetæ. n. non ſolum dixerunt Eliam uenturum ante Meſsiam, ſed etiã Meſsiã editurũ miracula ut cognoſcatur: miracula igitur quæ Ieſus edidit, ſunt alterũ inditiũ, quo Prophetæ iuſſerũt Chriſtũ agnoſcere. Atq; hoc illud eſt,

est, quod Christus dicit discipulis Ioannis: Quia multos in eadem hora sanauerat. Ait ergo: Ite, & renunciate Ioanni, quæ uidetis & auditis, Cæci recipiunt uisum, claudi ambulant, leprosi mundãtur, et surdorum aures patẽt etc. Quasi dicat, Ioãnes nouit quidem quis ego sim, Sed uos misit ad me propter uos, ne increduli sitis suæ uoci, qua de me testatus est. Discite igitur nunc factis, uerum esse, quod Ioãnes uerbis prædicauit. Ioannes dixit me Christum esse: confirmãt illud dictum eius mea miracula. Igitur si non uultis mihi credere, operibus credite. Nam Esa. cap. 35. ait: Cùm uenerit Messias, aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, & claudi saliẽt sicut ceruus &c. Manifestius autem cap. 61. Spiritus Domini super me, eo q̃ unxerit me, ad Euangelizandum pauperibus misit me. Hoc illud est quod Christus ait: Pauperes audiunt Euangelium, hoc est, miseri homines audiunt nuncium gratißimũ, & exoptatißimũ. Nullus. n. hoĩm fuit eo tpe, quo Christus prædicauit Euangelium, qui non acceperit consolationem, & auxilium in miseria sua, si Christum pro auxilio inuocauerit: nullus passus est ab ipso repulsam. Qui peccatis grauatus fuit, is, si petijt, consecutus est ab ipso peccatorum remißionem. Qui fuit grauatus morbo, is, si petijt, liberatus est à Christo, & restitutus sanitati. Sunt quidẽ & hi miseri, qui multa debent creditoribus, & non sunt soluendo, aut

qui sunt inclusi in carceres: Nõ legimus aũt, Christũ hos miseros liberasse extrinsecus: nulli dimisit debita externa, nullum eripuit uiolenter ex carcere, ne Ioannem quidem Baptistã, sed hoc ideo est factum, quia Christus nõ uenerat ad turbandum statum politicum huius seculi, sed uoluit eum conseruari incolumem usq; ad nouissimum aduentum suum. Quare adnunciauit Euãgelium his miseris, quibus sine turbatione politici status succurrere potuit. Sed & miseris debitoribus, et captiuis suum quoq; Euangeliũ adnũciauit, ut etsi nõ liberati fuerint ab externa captiuitate, tamẽ cõsecuti sint per ipsum uerã liberationẽ, uidelicet à peccatis, & æterno supplicio. Habes nunc & alterum indicium seu testimonium, q, is Iesus sit uerus Christus, seu Meßias. Ethæc duo testimonia coniungit Christus, Ioã. 5. Vos misistis ad Ioãnem, & is testimoniũ dedit ueritati. At ego testimonium habeo maius: opa enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa (inquam) opera quæ ego facio, testificãtur de me, q, Pater miserit me. Quæ cùm ita se habent, ut certum est, Iesum esse Christum, tunc certũ quoq; est, q, attulerit secum Regnum cælorũ in terrã, quia Daniel dicit, Christum allaturum seculũ Regnum cæli. Reliquum igitur est, ut in hoc regnũ intremus, & suscipiamus: intramus autem per resipiscentiã. Resipiscite (inquit) quia appropinquauit Regnum cælorum. Nullum. n. excludit, qui cupit ingredi,

gredi, nullum reijcit, ne eum quidem, qui maximæ peccata designauit, quia dit: Non ueni ad saluandos iustos, sed peccatores. Non ægrotum, quia ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Non senem aut decrepitum, quia non est respectus personæ apud Christum. Solos illos abominatur, qui nolunt ingredi in regnum Dei, & qui malunt pergere in suis sceleribus, q̃ resipiscere, hi sunt impœnitentes. Quare tempus non est negligendum, sed resipiscendum, ut cum Iesu Christo uero Messia, capiamus hæreditatẽ cœlestis Regni, Amen.

DOMINICA QVARTA ADuentus, Euangelium Ioannis 1.

ET hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad eũ, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & nõ negauit. Et confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dicit: Nõ sum. Propheta es tu? Et respõdit: Non. Dixerunt ergo



ei: Quis es, ut responsum demus his qui miserũt nos? quid dicis de teipso? Ait: Ego uox clamantis in deserto, dirigite uiam Domini, sicut dixit Esaias Propheta.

Et qui missi fuerãt, erant ex Pharisęis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu nõ es Christus, neq; Elias, neq; Propheta?

Propheta? Respõdit eis Ioãnes, dícẽs: Ego Baptizo in aqua, medius aũt uestrum stetit, quẽ uos nescitis, Ipse est qui post me uenturus est, qui ante me factus est, cuius ego nõ sum dignus, ut soluam eius corrigiam calceamenti. Hęc in Bethabara facta sunt trãs Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

HOMILIA PRIMA, DE DISCRIMINE inter Christum, Ioannem Baptistam, & reliquos Sanctos, et quid de singulis sit sentiendum, habita anno 1539.

Celebramus hodierno die quartam Dominicã aduẽtus Domini, & accidit publica temporũ ordinatione, ut faciamus etiã hodie mentionem beati Thomæ Apostoli. Et cõuenienter admodum agitur memoria Apostoli Thomæ circa hoc tẽpus, quo solemus tractare de aduentu Domini. Nã his diebus explicamus uaticinia, quæ extant apud Prophetas de Christo, quem Prophetæ prædixerunt uenturum in hunc mundum ex familia Abrahæ & Dauidis, & assumpturũ hominẽ. Is autẽ

Christus non est tantum homo, sed etiã uerus Deus, ueri Dei æternus filius. Et hoc testimonium dedit illi Thomas Apostolus, cum iussus esset digitos suos ponere in latus Christi. Dominus meus (inquit) & DEVS meus. Quare ut discamus Christum esse Deum et hominem, commodè admodum fit his diebus mentio Thomæ. Itaq; cum ab initio aduẽtus Domini audiuerimus, primum quidem de priori aduẽtu Christi, qui fuit in humilitate, Deinde autem de posteriori eius aduentu, qui fiet in gloria et maiestate: præterea ostenderimus Iesum filium Mariæ esse uerum Christum, idq; testimonio miraculorum, & Ioannis Baptistæ. Nunc ergo ostendemus qd sit sentiendum de Ioanne Baptista, & q, nõ sit in ipsum transferendus honor Meßiæ, seu Christi, nec Christo æqualis habẽdus. Cum autem dicimus de Ioãne Baptista, memimerimus etiam dici de omnibus alijs Sanctis, inter quos Ioannes maior fuit tam officio ministerij, quàm uitæ sanctitate. Quid igitur de Ioanne et alijs Sanctis sentiendum sit, docet historia Euangelij, quam ex Euãgelista Ioãne cap. 1. commemorauimus. Nam cum Iudæi uiderent sanctitatem Ioannis & autoritatem eius, existimauerunt ipsum esse Christum. Itaq; miserunt ad eum publicã Legationẽ è Hierusalem, Sacerdotes & Leuitas, qui interrogarent eum, num eßet Christus, & significarent se, si id affirmaret, publico decreto comprobaturos, ut ab omnibus pro Christo

sto habeatur. Hæc Legatio non fuit humilis, sed honestißima & maximæ autoritatis, quia totũ Concilium misit Legatos, & hi Legati erãt præcipui in populo, Sacerdotes & Leuitæ, & è sanctißimo ordine Phariſæorum. Adhæc, Res per hanc Legationem Ioanni oblata, erat maiestas lõge oĩm maxima, et quæ superat oẽm Regiam ac Cæsaream maiestatem, uidelicet, gloria & maiestas Christi. Itaq; Ioanni maior honor hac Legatione oblatus est, quàm si Legati obtulissent ei honorem Cæsaris Romani. Quomodo ergo Ioannes gesßit seſe erga hãc Legationem? Hîc obserua mihi humilitatẽ & constantiam Ioannis. Principio enim ingenuè affirmat se non esse Christum. Deinde interrogatus: Num esset Elias? etiã negauit. Quanquàm enim Christus aliâs dicat, eum esse Eliam, & sit etiam Elias ille, quem Malachias uenturũ dixit, attamen Ioannes uerum fatetur, quia respondet Iudæis iuxta eorum interrogationem & sententiam. Interrogabant de persona Eliæ, qui sub Achab uixit, & quem putabant à mortuis excitandum, ut Meßiam præcederet, Talis Elias non erat Ioannes. Postea interrogatus: Num esset Propheta, iterũ negat, Et tamẽ plus erat quàm Propheta. Sed iterũ respondet iuxta interrogationis sententiam. Existimabant enim Deũ excitaturũ ante aduentum Meßiæ ueteres Prophetas, qui in Domino obdormierant. Hanc eorum opinionẽ recitat Petrus Matt. 16, Reci

tatur etiã apud Lucam cap. 9. Respondet ergo Ioannes, se non esse talem Prophetam, qualem uidelicet ipsi sentiebant. Hæc cum audiuissent Legati concitãtur ad indignationẽ, & duriter quærunt quis sit. Respondet ergo: Ego sum uox clamãtis in deserto etc. hoc est, Ego sum tantum cõcionator ille in deserto, de quo uaticinatus est Esaias, qui admoneo homines, ut præparent se ad aduẽtum Domini Dei nostri. Legati aũt amplius urgent: Si nõ es Christus, nec Elias, nec Propheta, cur ergo baptisas? Respondet Ioãnes: Ego baptiso aqua etc. hoc est, Ego baptiso ut seruus & minister, non ut Dominus & Magister. Nam Dominus ipse in medio uestrum stat, quem uos nescitis &c. Hoc est testimonium Ioannis de Christo, uidelicet, quòd ipse Ioannes nõ sit Christus, sed is, cui ipse dedit testimoniũ, uidelicet Iesus filius Mariæ. Quod autem de Ioanne dictum est, hoc de omnibus alijs Sãctis est intelligendum, quòd non sit Christus. Dices autem, quid opus est, ut hæc nobis explicentur, cùm nemo sit inter Christianos qui nesciat, Ioannem aut alios Sanctos non esse Christum? Fatemur id quidem uerbis, & Nomen Christi non tribuitur Ioanni aut alijs Sanctis: Sed si rem probè excutias, Hypocritæ tribuunt Ioanni et alijs Sanctis rem ipsam, & maiestatem Christi. Nam maiestas Christi est, q. ipse expiauerit peccata hominum. At hypocritæ senserunt, q. Sanctorum merita sint peccatorum expiationes:

unde

unde precati sumus publicè, & priuatim, ut seruemur eorũ meritis. Præterea maiestas Christi est, seruare in morte, & uincere mortẽ. At hypocritæ tribuerunt hãc maiestatem Sanctis, & inuocârunt eos in necessitatibus, ut seruarent ipsos in morte. Quid hoc aliud est, quàm Ioannem & alios Sanctos reputare pro Christo. Nec id tantum Sanctis contigit, uerum etiã singulis bonis operibus: ea enim omnia reputata sunt pro meritis, propter quæ pctã remittãtur, et seruemur in morte ad uitam. Habes Ioannem & alios Sanctos non esse Christum. Quid ergo de ipsis est sentiendum? Primum de Mortuis. Nõ est sentiendum, q. Deus excitet nobis mortuos, qui doceãt uiam ueritatis. Hoc docet Ioannes, cum negat se esse uel Eliam, uel Prophetam. Idem enim est, ac si dixisset: Deus non excitat uobis mortuos, quos audire debeatis. Misit quidem aliquoties angelos, sed hi remiserunt ad Christũ, ad scripturã, ad præsentes & uiuentes concionatores. Angeli apparuerunt pastoribus Christo nato, sed ad Christum remiserunt. Angelus apparuit Cornelio Act. 10. sed remisit eum ad Petrum. Non est igitur nobis expectãdum, donec Mortui aut angeli appareant, qui doceant nos uiam ueritatis, sed audiẽda est Scriptura. Adhæc, cũ Ioannes sit maximus omnium inter natos mulierum, & ingenuè confiteatur, se indigniorem esse, quàm ut soluat corrigiã calceamenti Christi, admonet nos, ut caueã

mus ab impia illa Sanctorum inuocatione, qua plurimi faciunt è Sanctis in Christo quiescentibus deos auxiliares, adeoq; sentiamus hanc esse confessionem omnium Sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorũ, Martyrum & aliorũ piorum in Christo dormientium. Quæso igitur te, animaduerte diligenter, quid sanctus quispiam quiescens quidẽ in Domino, à te autem pro auxiliatore inuocatus, respondeat. Quid.n.facis? (inquit) an nescis me non esse dignum, qui soluam corrigiam calceamẽti Christi? En hìc præsto adest Christus Dominus tuus. Cur igitur hoc relicto me inuocas? cur maiestatem huic soli debitam in me transfers? Putas ne me tam esse impudentem, q̃ hoc æquo animo, Christo Domino & Seruatore meo præsente, uidẽte & audiẽte, ferre queam? Apage, hic non honor, sed contumelia est, quam totus quantus quantus sum horreo. Sed.n.dices mihi: non audeo præ peccatis meis ad tantam maiestatem accedere: & cum toties prouocauerim Deum sceleribus meis ad iram, te cupio Aduocatum. O præpostera uerecundia. Et hæc sanè est altera contumelia. Existimas ne, me Christo esse clemẽtiorem? Scilicet, ego qui fuerim hoĩm miserrimus, maiorẽ habeo uirtutem misericordiæ, quàm Christus Dominus meus? Quæ est hæc tua insania? An non Christus in hunc usum uenit, ut tua, sicut et mea peccata expiaret, ac Deum Patrẽ suum placaret? An non se tibi ipsi Aduocatum

catum proponit? Quin etiam nunc uide, q̃ sedens ad dextrã Dei, pro te intercedat, ac te quoq; extẽsa manu ad se uocet, iubẽs, ut cõfidenter ad thronum gratiæ accedas. Cũ Christus adhuc ui. ã ageret inter homines, uocauit ad se oẽs afflictos, et promisit eis libe rationẽ, Venite (inq̃ens) ad me oẽs, qui laboratis, & ego reficiã uos. Existimas ne eum nũc ad dextrã Dei sedentẽ, & tam in cœlo, q̃ in terra dominantẽ huius uocis oblitũ esse? Clemẽtior ne fuisset in infirmitate sua in terris, q̃ nũc in maiestate sua ĩ cœlis? Christus non est uarij et incõstantis ingenij. Hi sunt hoĩm mores, ut cũ extolluntur in altũ, obliuiscantur pauperum. At nõ talis est Christus, q̃ quanto altior factus est, tanto propinquior, tãto clementior est oĩbus invocantibus ipsum in ueritate. Ascendisti (inquit) in altum, captiuam duxisti captiuitatem. Quid ergo? Num Christus sedet in cœlo ociosus, & humanarum rerum negligens? Minime oĩm. Sequitur enim: Accepisti dona in hominibus. Ascendit. n. Christus in cœlum, ut credentes in ipsum seruaret in oĩbus aduersis, & secum in cœlum eueheret. Dominus (inquit) in altis habitat, & humilia respicit in cœlo et in terra. Quid? cùm dicit: Ego sum uia, ueritas & uita, patietur ne æquo animo, ut aliam uiam sequaris, quàm seipsum? Iubet quidem, ut fidẽ & bona opa sanctorũ suorum sequaris, Non potest autem ferre, ut te invocatione tua ad ipsos conuertas. Quare abĩce

hanc superstitiosam impietatẽ, & quẽ solum Sancti ipsi inuocârunt, in quemq; soli confisi sunt, & prædicârunt, Eum etiã tu reuerẽter precibus tuis ex fide accedas, ut salutẽ cõsequaris. Hæc de mortuis Sãctis sufficiant. Deinde de uiuentib. Sanctis sentiendũ est, præsertim si funguntur ministerio prædicationis, q; sint ministri Christi. Ego sum (inqt Ioãnes) Vox clamãtis ĩ deserto, Baptiso aqua etc. hoc est, ego nõ sum nisi cõcionator et seruus Iesu Christi. Sic oẽs Prophetæ cũ adhuc uiuebãt, seruiebãt Christo. Sic oẽs Apostoli, cũ adhuc in terris agerẽt uitã, adduxerũt audi tores suos ad Christũ. Et quod Ioãnes dixit: Non sum dignus, ut soluam corrigiã calceamentorũ eius, hoc idem senserunt oẽs Prophetæ & Apostoli, ut ostenderẽt hunc Iesum solũ esse Dominũ et Seruatorẽ nostrũ. Nec hi solũ, sed & angeli ipsi in cœlo, nõ aliud agunt, q̃ q; huic Christo seruiãt & obediant. In Esa. cap. 6. clamat alter ad alterum: Sanctus, Sanctus etc. Ioan. 1. ascendunt & descendunt angeli super filium hoĩs. In Daniele ueniunt angeli cum Antiquo dierũ, & datur omnis potestas Christo. In Philippensibus datur Christo tanta sublimitas, ut coram eo flectantur omnia genua cœlestium, terrestrium & inferno rum. Christus uocat Ioannem ardentem Lucernam. Sic Apostoli & Prophetæ sunt ardentes Lucernæ, quia Christus nondum apparet in maiestate sua. Hi pòst lucent, & antè lucent etc. Itaq; tam sancti Prophetæ

phetæ & Apostoli ex hominibus, quàm angeli seruiunt Christo, & testificantur de maiestate Christi: neq; id iniuria. Nam Christus non est tantum homo natus ex muliere, sed etiam Deus, natus ex Deo. Sic enim Thomas, cuius hodie mentionem facimus, ait: Dominus meus, & Deus meus. Quare & nos homines adhuc in terris agentes, hoc maximè omniũ agamus, ut cognoscamus Christum, ut seruiamus ei, & consequamur per ipsum uerã fœlicitatem, Amen.

HOMILIA SECVNDA, DE MAIEstate & Honore Meßiæ, & cui hic honor propriè competat, habita anno 1541.

OStendimus superiori Dominica Ioannẽ habere omnes uirtutes testis idonei, & fide digni. In hoc autem Euãgelio, quod recitauimus, docet Euãgelista, quod sit Testimonium Ioannis, & quid Ioannes sit testificatus. Erat.n. tempus, quo Iudæi expectabant Meßiam seu Christum, Cum igitur Ioannes eo tempore esset magnæ autoritatis, & honestißimæ ac durißimæ uitæ, fieretq; ad ipsum ingens hoĩm concursus, existimabant ipsum esse Meßiã. Itaq; Pontifices & Senatores Iudæorum congregato Cõcilio in Hierusalem, decernũt ipsum pro Meßia agnoscendum, & mittunt ad eum Legatos, Sacerdotes & Leuitas, ac Phariſæos, qui deſt-

rant ipſi honorē & maieſtatem Meßiæ. Ioannes aũt tantum abfuit ut agnoſceret hunc honorem, ut potius perſpicuè teſtificaretur, ſe non dignum eſſe, qui ſoluat Meßiæ corrigiã calceamẽti. Videamus igitur primum oĩm, quæ ſit maieſtas, quis honor Meßiæ ſeu Chriſti. Deinde cui rei ſeu perſonæ hic honor et maieſtas propriè competat. Obſeruabile eſt quod proponimus, & bonã operam nauabimus, ſi hoc diligenter cognoſcamus. Maieſtas ergo Chriſti eſt, q̃ non debeat in hoc ſeculo dominari, iuxta externam & Regiam pompam, Sed q̃ debeat homines reconciliare cum Deo Patre, ac morte ſua expiare peccata hoĩm, ac mereri ipſis æternam fœlicitatem. Hæc inquã, nimirum reconciliare homines cum Deo, impetrare ipſis remiſſionem peccatorũ, & mereri eis perpetuã uitam in regno cœleſti, ſunt honor & maieſtas Meßiæ ſeu Chriſti. Sic. n. deſcribit Eſaias maieſtatem Chriſti, cap. 53. Correctio ſuper eum, ut nos haberemus pacẽ. Et: Liuore eius ſanati ſumus. Et Ioannes perſpicuè dicit: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, manifeſtè ſignificans hanc propriè eſſe maieſtatẽ Chriſti, Tollere peccata, & impetrare nobis ueram fœlicitatẽ. Totum nouum Teſtamentum proponit nobis Chriſtum Reconciliatorem & Mediatorem noſtrum. Eſt autem hæc maieſtas longè omnium maxima, & ſuperat omnium externorũ Regum & Monarcharũ maieſtatem. Etſi enim Reges

huius

huius seculi possunt nos reconciliare cum externis inimicis, possunt nobis remittere pcta ciuilia, possunt nos defendere ab externis hostibus, & reddere in hoc mundo fœlices, tamen hæc oia nihil prodesse solent, nisi fuerimus cum Deo roco̅ciliati, & habeamus remissionē peccatorū. Iucunda quidē est fœlicitas & tranquillitas huius seculi, Sed ut non est perpetua, ita nihil confert ad uerā fœlicitatem. Sola maiestas Christi, quam antea recensuimus, ea est, quæ nos cōseruare potest perpetuo fœlices. Quare præponenda est oībus huius seculi maiestatibus. Habes quæ sit maiestas Christi. Videamus nūc cui personæ, aut cui Rei cōpetat, seu tribuenda sit. Hic ergo obseruandum est, q̄ Ioannes quidem Baptista tribuit hanc maiestatem soli Iesu filio Mariæ uirginis. Hic (inquiens) est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Tribuūt Apostoli quoq; eā soli Iesu Nazareno. Certo sciat (inquit Petrus) tota domus Israel. q̄ Dominū & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Et iterum: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionē peccatorum acceptu-rus sit, per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Non solum aūt Ioannes Baptista & Apostoli, sed etiam Pater de cœlo, tribuit huic Iesu maiestatē Messiæ. Mittit super eum spiritum sanctum in specie colūbæ, & ait: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi cōplacitum est, ipsum audite. Quāto autem certius

tribuitur Iesu filio Mariæ hæc maiestas diuinitus, tã-
to minus tribuit eã Iesu, humana impietas, cæcitas,
et malicia, Ac cuiuis rei aut personæ potius tribuit
eam, quàm Iesu filio Mariæ. De hac re paulò copio-
sius dicendum erit, ut fundamentum Christianæ Re
ligiõis rectius percipiamus. Ac dicamus primum de
Iudæis. Nam cùm Iudæis proponerentur duo homi-
nes præcipui, uidelicet Ioannes Baptista, & Iesus fi-
lius Mariæ, è quibus cũ debuissent alterũ pro uero
Meßia agnouisse, maluerunt Iesum, qui esset uerus
Meßias, non solum odio prosequi, sed etiam postpo
nere Barabbæ latroni sceleratißimo, & crucifigere
eum, Ioannem autem uoluerũt pro uero Meßia co-
lere, Ideoq; mittunt ad eum honestißimam Legatio
nẽ, qua significârũt, se paratos esse ipsum pro Mes-
sia agnoscere. Sceleratißimi homines sciebãt uerum
Meßiã aduẽturum è tribu Iuda, de familia Dauidis,
Ioannes autem erat de tribu Leui, & familia Sacer
dotali, Nihilominus tamẽ excæcati uel inuidia, uel
fauore sui ordinis, uel impietate, nihil curant scrip-
turã, & diuinas promißiões de Meßia è familia Da
uidis uenturo, sed deserunt hunc honorem homini,
de genere Sacerdotali. Quid hac cæcitate magis cæ
cum? Nihil erat in toto Iudaismo uulgarius, quàm
Meßiã uenturũ de genere Dauidis, et tamẽ nunc to
tum Concilium ne uerbo quidem huius rei meminit.
I nunc, & pone fiduciam tuam in Concilium Pontifi

cum

cum & Sacerdotum. Nisi forte cogitauerint Ioannẽ etiam esse ex familia Dauidis, q̃ genus eius maternũ ex ea familia descenderet: sed apparet eos ista præcæcitate non curasse. Quanto autem hi magis cæci, & sceleratiores fuerunt, tanto Ioannes perspicatius uidit, & honestior fuit. Non.n. arrogat sibi honorẽ, qui ipsi non debetur, sed ingenuè affirmat, se neq; Messiam, neq; Eliam illum Thesbitẽ esse (de hoc.n. quærebant Iudæi) nec alium quempiã Prophetam, uidelicet Esaiam, aut Ieremiam. Existimabant enim aliquem ex illis resuscitatum. Porrò, hæc ingenua cõfessio pessimè habuit Legatos, quare indignantur, et iudicant ipsum nulli rei utilem. Quid (inquiunt) de teipso dicis? Cur baptizas? Si non es Messias, aut Elias, aut Propheta, ad quid utilis es cũ tuo Baptismo? Ioannes igitur explicat officium suum. Ego (inquit) sum Vox clamantis in deserto &c. Et: Baptiso aqua &c. hoc est, Etsi nec sum Messias, nec Thesbites, nec alius Propheta, tamen non sum inutilis, Et ministerium meum non est abiiciendum, aut pedibus cõculcandum. Habeo.n. ministerium illud, quod Esaias ca. 40. uaticinatus est, tempore aduentus Christi instituendum, uidelicet, ministerium prædicandi Euangelij, & Baptizandi in Christũ. Christus quidem ipse est autor uitæ & salutis, At ego sum minister eius, q̃ doceo homines, ut Christum aduenientem fide excipiant. Hoc ministerium non est inutile, sed prorsus

necessarium &c. Iam, quemadmodum Iudæi crucifigunt Christum, & deferunt Ioãni honorem Christi: Ita solent omnes impij & cæci homines uerum Christum abijcere, & eligere sibi alios Christos. Eligunt autem sibi præcipuè tres. Vnus est, Sancti Mortui. Alius est, Bona opera. Tertius, Afflictiones & Castigationes corporis. De sanctis enim sentiunt, q̃ merita ipsorum reconcilient nos Deo, & q̃ impetrẽt nobis sua intercessione remissionem peccatorum. Hoc certè est Sanctis mortuis honorem Christi deferre. Cùm uero hæc impietas reprehenditur, & dicitur. Sanctos nõ esse Messias, ibi tum, quemadmodum Legati Iudæorum murmurant aduersus Ioannẽ, & iudicant eum prorsus inutilem, q̃ non confiteatur se Messiam, aut Eliam: sic & isti succensent, et dicunt, q̃ damnemus, aut abijciamus Sanctos. Tu uero audi me, imò uerò audi Ioannem Baptistam. Etsi Sancti non haberi debent pro Messia, tamen habent alium usum. Primum, Sancti sunt Testes Christi, Sic enim Scriptura uocat Ioannem Baptistam & Apostolos. Deinde, Sancti qui duxerũt in hoc seculo honestam uitam, sicut Abraham, aut Ioseph, aut Ioãnes Baptista, sunt exempla, quibus cognoscitur uirtus spiritus sancti, qui etsi non aufert totum peccatum ex homine in hoc seculo, tamẽ efficere potest, ut dominemur peccato, ne regnet in mortali nostro corpore. Si autem aliquoties grauiter peccârunt, ut Dauid & Petrus,

trus, tunc sunt exempla quibus cognoscitur, q̃ etiam post Regenerationem sit locus pœnitẽtiæ apud Deum. Et in summa, omnes Sancti sunt exempla clemẽtiæ Dei. Iesus Christus (inquit Paulus) uenit in hunc mundum, ut pctõres saluos faceret, quorũ ego primus sum, uerùm ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnẽ clementiam, ad exprimendum exemplar ijs, qui crediturí essent in ipso in uitã æternã. Hæc est magna Sanctorum utilitas. Deinde impij hypocritæ eligunt etiam Bona opera pro Christo. De bonis enim suis operibus sentiunt, q̃ impetrent ipsis Remissionem peccatorum, & mereantur eis cœleste gaudium. Cùm aũt hoc reprehenditur, tunc exclamant: Iste damnat bona opera, dicit bona opera esse inutilia. Sicut & Legati Iudæorum senserunt Ioannem esse prorsus inutilem, q̃ non uellet se agnoscere Messiam. Sed heus tu bone uir, Etsi bona opera non habẽt maiestatem Messiæ, tamẽ nõ sunt ideo prorsus inutilia, nec abijciẽda. Primum. n. sunt fructus fidei, quibus testamur nos credere in Christũ. Deinde, sunt gratitudo erga Deum, qua conseruamus bona fidei. Nam si peccauerimus externis flagitijs, tunc excutitur spũs sanctus: Habent etiã bona opa compensationes suas propter Christum &c. de qua re nũc nõ est dicendi locus. Postremo impij hypocritæ eligũt pro Christo afflictiones, passiões et castigatiões corporis. Sentiunt. n. hæc

esse expiationes peccatorum, & merita Regni cœlestis, Ideoq; excogitârunt non tantum durissimos ordines Monasticos, sed etiam purgatorium post hanc uitam, ut passionibus suis expiarent peccata. Et cùm hæc reprehenduntur, mox exclamant, quod Legati de Ioanne senserunt: Ergo ne castigationes corporis seu afflictiones sunt prorsus inutiles? Sed absit hoc longe. Etsi.n.non habent honorem Messiæ, tamen si sunt legitimæ, si sunt à Deo immissæ, & nõ ex tentatione Dei suo arbitrio susceptæ, habent suas utilitates. Primum continent homines in officio. In nimia enim fœlicitate luxuriant animi hominum. Deinde excitant spiritum orandi. Tertio monent, ut deinceps à peccatis caueamus. Præterea habent suas retributiones, in hoc & in futuro seculo, ut uides in Ioseph, Dauide, Daniele, & alijs. Quæ cum ita se habent, danda nobis est opera, ut nulli nec rei, nec personæ tribuamus maiestatem Messiæ, præter quam soli Iesu filio Mariæ. Ac sentiendum quidem est, Sanctos, bona opera, & afflictiones, suas habere utilitates, sed honor Messiæ ei soli tribuẽdus est, cui tribuit Ioannes Baptista, uidelicet, Iesu Nazareno filio Mariæ, de tribu Iuda, & familia Dauidis, qui Iesus est unà cum Deo Patre, & spiritu sancto Deus laudandus per omnia secula, Amen.

IN DIE NATIVITATIS Christi, Euangelium Lucæ 2.

Factum



FActũ est aũt in dieb. illis, exĩt edictũ à Cæsare Augusto, ut describeret uniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est præside Syriæ Cyrenio. Et ibant oẽs ut profiterentur, singuli in suã ciuitatem.

Ascendit aũt & Ioseph à Galilęa, de ciuitate Nazareth, ĩ Iudęã, in ciuitatẽ Dauid, q̃ uocaĩ Bethlehẽ, eo

ꝙesset de domo & familia Dauid, ut profiteret cum Maria desponsata sibi uxore, quæ erat prægnans.

Factū est aūt cū essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, & peperit filium suū primogenitū, & pānis eū inuoluit, & reclinauit eū ī ꝓsepio, ꝙa nō erat eis locus in diuersorio.

Et pastores erāt in regione eadē uigilantes, & custodiētes uigilias noctis super gregē suum. Et ecce Angelus Dñi stetit iuxta illos, & claritas Dñi circūfulsit illos, & timuerūt timore magno. Et dixit angelus: Nolite timere. Ecce.n. euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie Saluator, qui est Christus Dñs, ī ciuitate Dauid. Et hoc uobis signū: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum

tū in p̄sepio. Et subito facta est cū Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, hoībus bona uoluntas.

Et factū est, ut discesserunt ab eis angeli in cœlū, pastores loquebantur ad inuicem, Transeamus usq; Bethlehem, & uideamus hoc uerbum, quod factum est, quod Dñs ostēdit nobis. Et uenerunt festinātes, & inuenerūt Mariā & Ioseph, & infantē positum in p̄sepio. Videntes aūt, notū fecerunt uerbū, q̄d dictum erat illis de puero hoc. Et oēs qui audierūt mirati sunt de his, quæ dicta erāt à pastoribus ad ipsos. Maria aūt conseruabat omnia uerba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores, glorificantes et laudantes Deum in om

nibus, quæ audierant & uiderant, sicut dictum est ad illos.

HOMILIA PRIMA, IN QVA RATIO paupertatis Christi, in qua nasci uoluit, ostenditur, habita anno 1540.



VDiuimus hactenus de aduẽtu Domini nostri Iesu Christi, q̃ iã inde ab initio orbis terrarũ prædictũ, et prædicatũ fuerit Christũ uenturũ in hunc mundũ, & reformaturũ oĩa quæ p̃ peccatum Adæ collapsa sunt. Quod igitur fœlix, faustũq; sit, is q̃ toties Patriarchis promissus, et tã pſpicuis cõcionibus et uaticinijs Prophetarum adnũciatus est. aduenit tandẽ in hãc terrã, et assumpto hoĩe aduexit secũ cœlũ in hãc terrã, et (ut Propheta ait) lucẽ in regionẽ umbræ mortis. Quare uidendum nobis erit, quõ in hunc mundũ uenerit, aut quõ natus sit, ut discamus ipsum probè cognoscere, et bonorũ eius, quæ secũ attulit, rectè frui. Nã cũ iã propè quatuor mille annis expectatus esset, uenit tandẽ, & natus est homo, tpe Cæsaris Octauiani Augusti, q̃ pacato orbe, & cõfirmato Imperio suo, mãdauit publico edicto, ut noĩa et facultates totius Iudaicæ Regiõis describerẽtur, quo unusquisq; pro suis facultatibus tributũ & exactionẽ conferret. Notũ aũt est, q̃ Israelitæ fuerĩt diuisi in duodecim tribus,

& unaquæq; tribus habuit suã Metropolim. Ac tribus quidẽ Iudæ Metropolis erat Bethlehẽ. Cũ igitur Ioseph & Maria (quæ iam prægnãs erat è spũ sancto) essent de tribu Iuda, & familia Dauid, necesse habebãt è Nazareth, ubi habitabant, ad Bethlehem proficisci, ut noĩa sua darent. Ecce aũt, cũ adhuc essent in Bethlehẽ, impletũ est tẽpus pariẽdi Mariæ, itaq; peperit primogenitũ filium suum, antea à spũ sancto conceptũ. Et quia non habebat idoneum locũ in diuersorio, necesse habuit filiũ suum reclinare in præsepe. Ac hoĩes quidem minime agnoscunt hũc infantem præ paupertate eius, Angeli aũt agnoscunt optimè. Et cum nullus hoĩm prædicaret, Angeli reuelant ipsum pastoribus. Initio enim unus ex Angelis magna maiestate fulgẽs, ait: Adnuncio uobis magnum gaudium. Alij aũt innumerabiles angeli, mox quasi ὠδὴν νίκιον canunt, ut declarent summam salutem in terram aduenisse. Sed cum hæc recitãtur, homines uariè affici solent. Cogitant enim. Quid hoc? Christus tot mille annis expectatus, & tam admirabili maiestate per Prophetarum conciões ornatus, aduenit tam humilis, tã pauper, tam abiectus, ut ignotus sit oĩbus hominib. ac necesse habeat præ paupertate in præsepi reclinari? Quomodo hæc conueniunt? An non prudentius fecisset, si uenisset in hunc mundum, magna externa maiestate præditus, ac statim impleuisset regia potẽtia illud Prophetæ: Gens

& Regnum, quod nõ seruierit tibi, peribit, & Gentes solitudine uastabuntur: Sic.n. obturasset ora loquentium iniqua? Nunc autem cùm aduenit tam abiectus, occasionem præbuit calumniatoribus, contẽnendi et deridendi regni sui. Quid (inquiunt) multa dicuntur de Regno Christi, q; qui Christũ agnoscat, habeat fœlicitatem: sed diuersum uidemus accidere. Hoĩes priuati, qui contemnunt Christum, sæpe fœlicius uiuunt his, q agnoscunt eum. Principes qui non requirunt Christum ac Euangelium eius, multo prosperiore fortuna utuntur in suo regimine, quàm qui colunt Christum reuerendißimè. Quid Turca? An non fœlicißimus est in dilatatione Regni sui, & tamen cupit delere Christum? Ad has certè calumnias uidetur Christus occasionem dedisse humili suo aduentu. De hac igitur re nobis paulò copiosius dicendum erit, ut simul causas humilitatis & paupertatis Christi cognoscamus, Simul quoq; impijs illis siue cogitationibus, siue sermonibus resistere, ac uerã cognitionem Christi, quæ est uita æterna, consequi, & uerum fructum beneficiorum Christi capere queamus. Nã quod ad paupertatem & humilẽ eius aduẽtum attinet, nõ defuit ipsi potentia, sed uoluntas defuit. Christus.n. qui est unigenitus Dei filius, potuisset nasci in summis honoribus, in maximis diuitijs, in excelsißima claritudine, sed q; natus sit in tanta paupertate, ut necesse habuerit reclinari in præ-

sepi,

sepi, sua uoluntate, & suo quodam consilio fecit. Primum enim, quod Christus sæpe ac multũ in historia Passionis suæ repetere solet, uidelicet, se pati, ut impleretur scriptura, idem etiam dicendum est de paupertate Christi in Natiuitate eius, et in toto uitæ suæ tempore, uidelicet, quòd idcirco pauper & abiectus natus sit, ut scriptura impleretur. Nam scriptura testatur, quòd ab initio orbis terræ adnunciatum sit de Christo, ipsum quidẽ cõtriturum caput Serpẽtis, Serpentem aũt insidiaturum calcaneo eius: hoc est, Satanam immissurum in Christum omnes humanas afflictiones. Inter afflictiones autem humanas nõ extrema est afflictio, paupertas, iuxta illud: Armut ueh thut. Scriptura enim de Christo dicit Psal. 21. Ego sum uermis, & non homo, opprobrium hoĩm, & abiectio plebis. Quis autem abiectior, quis contẽptior est inter homines quàm pauperes? Pauper ubiq; (inquiũt) iacet. Esaias etiã dicit: Christum nec speciẽ, nec decorem habiturum. Paupertas autem facit hominem deformẽ & obscurum, cùm diuitiæ faciant eum speciosum & illustrem. Quare Christus debuit in summa pauptate nasci, ut scriptura impleretur. Deide Christus aduenit, ut hoĩem, quẽ assumpserat, efferret in supremã sublimitatẽ, et faceret eo Dominũ cœli & terræ. Nemo aũt potest exaltari, nisi antea sit humilis. Ascendit (inquit Paulus) in cœlum: illud aũt ascẽdit, quid est, nisi q̃ descenderat prius in

infimas partes terræ? &c. Sicut ergo Christus descendit ad infima, ut ascenderet oēs cœlos: ita etiā descendit prius in extremā paupertatē, ut exaltaretur super oēs cœlestes diuitias. Præterea, natus est in tāta paupertate, ut pudefaceret sapiētes huius seculi, qui maximi faciunt potentiā, diuitias & gloriā huius mūdi. Et si quid præclarè agendū est, existimant id non posse, nisi per diuitias & potentiam peragi. Christus aūt pudefacit hanc sapientiam carnis. Oēs. n. Monarchæ, oēs Cræsi & Craßi nō potuerunt uel unū ac minimum homuncionē, cū tota sua potentia & opulentia, recōciliare Deo, & seruare in Morte ad uitam perpetuā. Quod aūt hi per maiestatem suam non potuerūt efficere, hoc effecit Christus per paupertatē suam: Ac etiā ita stabiliuit regnum suum per paupertatem, ut ne Monarcharū quidem, & diuitum ministerio indigeat. Exigit quidē ab oībus Monarchis & diuitibus, ut sibi seruiant, & operam suam ad dilatandum regnum suum conferant, et si id fecerint, magna uicißim ipsis præmia largiturus est. Nō debemus autem existimare, q̄ horum diuitiæ & potentia necessaria sint ad cōseruandum et dilatandum regnum Christi. Quare? Quia, cum iam inde ab infantia assuetus sit cubare in præsepi, potest etiā iam adultus in præsepi qescere. Ferre potest, ut extruātur ipsi sumptuosæ Basilicæ, Sed etsi diruūtur, tamen quia assuetus est præsepi, potest regnum suū sine Basilicis conseruare.

ēruare. Cùm pēderet in cruce, milites auferebant eē uestimenta, et sorte diuidebant, sed tamē nudus plus effecit, quàm oēs Monarchæ cum purpura & uestitu suo deaurato. Sic & hoc tempore diripiuntur uestes Christi, diripiuntur facultates ecclesiasticæ, ac permittitur Christus nudus pendere. Grauissimè quidem peccant qui hoc faciunt, attamen Christus cōseruabit suum regnum etiam nudus. Nam si Monarchæ, Principes et Magistratus abīciunt Christum, Quidē Num ideo Christi regnum interibit? Reges quōdam Iuda fastidiebant Regnum Christi, non curabant religionem, ideo Deus nec ipsos curabat, sed permittebat, ut totum Imperium Iuda per Nebucadnezarem interiret, ac Iudæi dispergerentur in totum orbē terræ. Et tamen conseruauit regnum suum, imò multō amplius dilatauit, quàm si incolumis permansisset urbs Hierusalem: Nam potest uti ministerio potentiū ac diuitum, ipsis etiā inscijs, & inuitis. Vide mihi Augustum Imperatorem: hic nec cognoscit Christū, nec requirit, sed suum negocium agit. Expilat. n. populum Iudaicum, sed hac occasione seruit regno Christi: quia occasione huius exactionis Maria proficiscētur Bethlehem, ut Christus in eo loco nasceretur, iuxta Prophetam Micheam. Itaq; exactio seruit uaticinio Prophetico, ac multo uilior est, quàm qua possit æquari magnitudo beneficij, quod per eam cōfertur in ecclesiam Dei. Possem id genus plura exempla re-

citare, sed longũ esset. Voluit igitur Christus nasci in summa paupertate, ut pudefaceret sapientes, ac diuites, ac significaret se sine ipsorum sapientia & potẽtia, regnum suum conseruare posse. Adhæc, Christus statuerat cursum huius mundi nõ prius mutaturum, quàm ueniret extremus dies, nec se uenturum in maiestate ante hunc diẽ. Visum igitur est ipsi, ut in primo aduentu ueniret pauper & humilis, quo cursus huius mundi perduraret usq; ad suum tempus. Atq; hæc est causa, cur ea regna, quæ non agnoscunt Christum, nõ minus fœlicia uidentur in hoc seculo, quàm ea quæ ipsum agnoscunt. Christus enim non uenit in primo aduentu, ut cursum huius seculi mutaret, & Principes de solio deiiceret, quod fiet in extremo die, Sed uenit tantum ut mutaret conscientiã, & adnunciaret statum alterius seculi, hoc est, ut reconciliaret nos cum Deo Patre, et interea nouam tantum prædicationẽ in hoc mundo uulgaret. Quare nemo debet offendi paupertate eius, sed potius ipsum sub paupertate agnoscere & colere, ut maiestatem eius futuram ferre queat. Postremò, uoluit pauperrimus nasci, ut nobis mereretur summas & cœlestes diuitias, & ut sanctificaret paupertatẽ, & illustrẽ redderet, quò nõ esset tam contempta in hoc mundo. Paulus ad Corinthios ita scribit: Nostis beneficentiã Domini nostri Iesu Christi, q propter uos pauper factus sit, cùm esset diues, ut uos paupertate eius ditesceretis.

ſceretis. Chriſtus enim paupertate ſua impetrauit, quòd Deus faueat omnibus qui in ipſum credunt, & uelit eis dare regnum cœleſte. Præterea ſic ſanctificauit paupertatem, ut non poßit amplius eſſe perditio. Ipſe enim pauper fuit, & tamen peruenit per eam in maximam maieſtatem. Non mirum (inquis) de ipſo, quia fuit filius Dei, de nobis autem aliter ſe res habet. Nos non ſumus filij Dei, ſicut Chriſtus, Ergo neceſſe habemus in paupertate perire. Sed audi contrà: Non ſumus quidem filij Dei natura, ſed efficimur filij Dei adoptione propter Chriſtum, & cohæredes Chriſti. Quare quemadmodum ceßit Chriſto paupertas, ita & nobis cedet, ſi crediderimus in ipſum. Nam, quòd ipſe poſitus eſt in præſepe, impetrauit ut nos poneremur in cœlum, ac omnia cœleſtia bona, propter ipſum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſecula, Amen.

HOMILIA SECVNDA, DE VTILItatibus quas Chriſtus Natiuitate ſua ſecum attulit, habita anno 1543.

Antauimus cõcordiuoce ſolẽne illud carmẽ, quod de natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti publicè extat (der tag der iſt ſo freudenreich): Quo carmine excitamur ad magnam lætitiã & gaudium hodierno die

concipiendũ. Nõ est aũt existimãdum, q̃ hoc carmen sit humana industria excogitatũ. Aut q̃ hæc lætitia, ad quã habendã admonemur, sit puerilis, aut humana, sicut pueri gaudẽt nucibus & munusculis natalicijs, hoĩes gaudẽt rebus carnalibus, sed q̃ cœlestes angeli iubeant nos gaudere, & significent hoc gaudiũ esse de rebus longè oĩm maximis, & saluti nostræ necessarijs. Dicit enim angelus ad pastores: Ecce adnuncio uobis Gaudium magnum quod futurum est toti populo. Et addit rationem: quia hodie natus est Seruator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid &c. Dicamus igitur de Natiuitate Domini nostri Iesu Christi. Ac primùm quis sit, quem cõmemoramus in Bethlehem natum esse. Deinde quanta paupertate & abiectione natus sit, & exceptus ab hoc mũdo. Postremò dicemus, quam dignitatem & utilitatẽ attulerit nobis eius Natiuitas. Nam Ioannes dicit: Verbum caro factum est. Et Paulus: Cùm uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factũ ex muliere. Ergo quem commemorauimus in Bethlehem natum hominem, nõ est simplex homo, sed est filius Dei ab æterno, est uerus Deus ipse, Creator omnium uisibilium & inuisibiliũ, Qui postquàm homo peccasset, promisit seipsum uẽturum in mundum, & assumpturum hominem, ut hominẽ iterum liberaret. Is etiam est, qui cum Patriarchis locutus est, & conseruauit eos in omnibus aduersis, & in morte, Qui etiam edu-

xit

xit Israelitas ex Aegypto multis & magnis miraculis. Quid plura? Est Deus æternus, omnipotens. Hoc uiderunt Prophetæ, præsertim Esaias cap. 40. Exulta, noli timere, dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus uester, Ecce Dominus Deus in fortitudine ueniet, & brachiũ eius dominabitur. Item cap. 22. Propter hæc sciet populus meus nomen meum in die illo, quia ego ipse qui loquebar, ecce assum &c. Sed hæc quotidie exponuntur in Euangelio Ioannis. Cùm igitur sciamus, quis sit, uideamus nunc quomodo nascatur homo, & excipiatur ab hoc mundo. Filius enim Dei nõ est natus Homo ab initio mundi, tẽpore Adami aut Abrahami, sed anno à condito mundo 3944. si rectam supputationem sequaris. Natus est Imperatore Augusto 42. anno Imperij eius. Ac natus est in Bethlehem hac occasiõe. Nam Augustus iusserat censere omnes facultates Iudæorũ, & Maria uirgo profecta in Bethlehẽ cum Ioseph, peperit in ea urbe filiũ Dei. Sed quanta paupertate, dignum est cõsiderare. Non habet locum in diuersorio, sed necesse habet sedere in stabulum. Non habet cunas, sed necesse habet reclinare puerum in præsepe. Non habet limtea mina holoserica, sed inuoluit puerũ panniculis. Hîc nihil aliud est præter egestatem & mendicitatẽ. Et tali honore excipitur à mundo Rex Regum, & Seruator noster. Tota Gẽs Iudæorum cõseruata fuerat hactenus propter hunc puerũ. Deus, quia propositus

rat, se missurum filium suum ex gente Iudæorum, de derat eis terram & Regnum, reduxerat eos ex captiuitate Babylonica, tantum propter hãc causam, ut ex hac Gente Christus suo tẽpore nasceretur. Ecce autem cum nascitur, non dignantur eum, uel honesto loco hospitij. Deus item tradiderat Romanis Monarchiam, & redegerat orbem terræ in aliquã tranquillitatem per Romanos, ut Christus in pace nasceretur, et Euangeliũ eius posset hac occasione postea diuulgari in toto orbe terrarũ, & ubiq; locorum fructum ferre. Itaq; contigerat Romanis tanta potentia propter Christum, etiam in Iudæa. Sed cum acciperent in Bethlehem tributa & censum, ne unum quidem numum impertiebantur ei. Vide mihi & Bethlehem ipsam. Hæc reædificata & conseruata erat hactenus propter Christum, ut in ea nasceretur, sed cũ uenit, necesse habet in stabulum Boum diuertere.

So heist man in Beneuenertis sein. Quid est ingratitudo aut impietas, si hæc nõ est? Dices. Nõ nouerunt eum, ac nescierunt eum talem, & tantum esse, alioqui exhibuissent ipsi omnem honorem. Sed mihi dicis. Mox enim pastores adnunciant, sed paucissimi credunt. Postea ipsemet non solum prædicat, uerumetiam testatur miraculis, qualis et quãtus sit, & tamen crucifigunt. Mundus.n. est & manet mundus, hoc est, mancipiũ Satanæ. Finge mihi mẽdicam mulierem aut impudicam fuisse puerperam, debuissent

sent tamen eam humanius tractasse &c. Sed bene habet, Christus passus est se tam inhumaniter excipi et tractari propter nos, ut nostrā salutem operaretur. 2. Corinth. 8. Nostis beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, q̄ propter uos pauper factus sit, cum esset diues, ut uos pauptate illius ditescere tis. Videamus ergo, quod prostremo loco proposuimus, quā dignitatem & utilitatē afferat nobis filius Dei sua Natiuitate. Ac imitio Deus non tribuit hunc honorem angelis, q̄ filius Dei fiat angelus, sed tribuit eum hominibus, & fit homo. Non assumpsit angelos, sed Semē Abrahæ. Non potuisset homini maior honor contingere. Assumitur caro & sanguis humanitatis in unitatem personæ cum Deo, & reponitur in diuinam maiestatem, quia collocatur ad dextram Dei. Si Cæsar aut Rex assumeret aliquem in fratrem, quātum honoris iudicaret sibi cōtigisse? At multo maius est, q̄ Deus assumit hoīem in unitatem personæ, & collocat eum ad dextrā Dei. Hoc (inquies) uni tantum illi homini cōtigit, quem assumpsit Iesus, non alijs itē hominibus Sed assumpsit hunc unum hominē ex Maria uirgine, propter alios homines. Ioan. 1. Dedit potestatem filios Dei fieri, quotquot receperunt eum. Et Paulus: Deus misit filium suum, ut adoptione ius filiorū acciperemus. Quare qui credunt in eū, fiunt membra eius, & accipiunt fructum eius &c: Hæc est dignitas hominis. Videamus & utilitatem. Nam Dei

filius Natiuitate sua restituit omnem eam fœlicitatẽ hominibus, quam amiserant in Adamo per peccatũ. Maledictionem abstulit, & impleuit omnem nostrã indigentiam, quam ex Adamo cõtraxeramus. Prima enim Maledictio in Adamo est, q̃ facti sumus pauperes, laborioſi, et necesse habemus uesci pane in sudore. At Christus consecrauit paupertatem in Sanctitatem, & Maledictionem in Benedictionem. Deinde in Adamo facti sumus Aegrotationibus & Morti obnoxij. At Christus in Natiuitate sua abstulit hanc maledictionem, & mutauit in benedictionem, quia attulit æternam uitã. Tertiò, in Adamo facti sumus peccatores. Hæc est magna maledictio, Sed Christus expiauit peccata, & attulit iusticiam. Postremò in Adamo facti sumus obnoxij inferno: sed Christus attulit cœlum. En hæc est utilitas Natiuitatis Christi, propter quam merito gaudendum est. Sic autem attulit, ut nihil mutaret in hoc orbe externo, sed mutaret tãtum prædicatione mentem & uitam piorum, donec ueniret nouissimus dies, in quo omnia reipsa mutabuntur in meliorem statum. Nõ est autem intelligendum, q̃ cuiuis hæc indifferenter contingant, sed uerè credẽtibus, qui & grati sunt. Quare necesse habemus, ut grati simus, obedientia, quò fruamur Natiuitate Christi, & habeamus in Christo omnem fœlicitatem, cui Christo sit Gloria, Laus & Honor per omnia secula. Amen.

Dominica

DOMINICA ANTE FESTVM CIRcumciſionis Domini, Euang. Lucæ 2.



ET erat pater eius, & mater eius mirantes ſuper his. quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, &

in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser, hæc ꝓcesserat in diebus multis, & uixerat cum uiro suo annis septem à uirginitate sua. Et hæc uidua usq; ad annos octogintaquatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecratiõibus seruiens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Et ut perfecerunt oĩa secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.

Homilia

HOMILIA PRIMA, DE REGNO Christi, eiusq; conditionibus in hoc mundo, habita anno 1538.



VPerioribus diebus audiuimus eũ infantẽ, qui natus est ex Maria uirgine in Bethlehẽ, esse uerum Messiam, seu Christum filium Dei, & Regem cœli & terræ. Et assumpsit se hominem, ut ex hominibus filios Dei ac reges cœlestes faceret. At non est satis cognoscere, quòd Christus natus sit homo nostri causa in hunc mundum, uerumetiam requiritur, ut cognoscamus, quale sit Regnũ Christi in hoc seculo, et quas conditiones habeat regnum eius in hoc mundo. Ignorantia enim conditionum regni Christi, parit non solum impatientiam & uirulentiam in afflictionibus, uerumetiam impiã incredulitatem. Quare ut semper in officio Christi contineamur, necessariũ est, ut discamus quæ sint cõditiones seu proprietates regni Christi in hoc seculo. Proponit ergo scriptura nobis in hodierno Euangelio duos Seniculos, Alterum Simeonem, alteram Annam, qui ambo manifestè testantur, hunc infantẽ esse Christum, Et perspicuè cõcionantur de proprietatibus regni Christi. Nam cum Christus natus esset, ipse quidem fuit infans lõge omnium abiectissimus, sed angeli reuelant pastoribus, hunc infantem esse

Christũ, pastores diuulgârunt. Deinde Simeon et Anna idem testificati sunt in Hierusalẽ. Et ut testimonium eorum esset idoneum, et efficax, scriptura describit conditiones utriusq; Simeonis & Annæ. Dicit enim Simeonem fuisse iustum, pium, expectantem cõsolationem Israelis, & spiritum sanctum fuisse in eo, non simpliciter, sed singulari quodam modo: habuit .n. singularem reuelationem, q. nõ esset uisurus mortem, nisi antea uideret Christum Domini. Hæ sunt cõditiones dignæ idoneo testi. Primùm ergo Simeon cõcionatur de proprietatibus regni Christi. Accepit .n. Christum infantem in Templum iuxta Legem oblatum, in ulnas. Et postquàm testificatus esset, ipsum esse uerum Christum, Lumen Gentium, & gloriam plebis Israel, benedixit Mariæ & Ioseph, hoc est, optauit eis omnia fœlicia cum puero isto. Et dixit ad Mariam: Ecce positus est hic in Ruinam, & Resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui cõtradicitur. Quin et tuam ipsius animam penetrabit gladius, ut retegantur ex multis cordibus cogitationes. Hæc est illa concio, qua discendæ sunt proprietates Regni Christi in hoc seculo, ut in fide confirmemur. Nam de regno Christi Esaiæ 60. scribitur: Gens & regnum quod nõ seruierit tibi, peribit, Et gentes solitudine uastabuntur. Et Zach. 14. Qui non ascenderit de familijs terræ ad Hierusalẽ, ut adoret Regem Dominum exercituum, nõ erit super eum imber, nec

ros.

ros. Ex istis & alijs locis scripturæ existimârunt Israelitæ, Christũ ita in hoc mundo dominaturum, ut ab omnibus Israelitis perspicuè cognoscatur, & omnes Gentes ad obedientiam eius cogantur. Simeon autem longè aliud concionatur, & componit concionem suam ex Esaiæ cap. 8. Erit (inquit) uobis in sanctificatiõem, in lapidem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel, Et in Laqueum & Ruinam habitantibus Hierusalem. Nam Christus talis lapis est, ut multi quidem in eo sustentẽtur & seruentur. Sed multo plures tã inter Israelitas quàm inter Ethnicos erunt, qui offendent in eo pedes, ita ut etiã uitam amittant. Et ut scopus statuitur, ad quem dirẽguntur iacula sagittantiũ. Ita Christus signum seu scopus erit, aduersus quem omnes impij uidebuntur impunè proijcere maledicta quæuis et cõuicia. Et quod prædictum est, hoc reipsa impletum est quouis seculo. Nam cum natus esset Christus, nõ solum Israelitæ contempserunt eum, uerumetiam Herodes machinatus est in mortem eius, & coëgit eum fugere in Aegyptum, idq; uidebatur Herodes impunè facere. Item cum adoleuisset, & concionaretur Euangelium, contradixit ei tota factio Phariſæorum et Põtificum, et tamen non mox fulmina mittuntur. Item cum ad crucem raperetur, conuicijs etiam expostolârunt eum ipso in cruce: Si es Christus, descende nunc de cruce &c. Quid dicam de Resurrectione eius? Nam post

eam tam Iudæi quàm Gentes publicè Christum perse
quebantur in Christianis. Nostro tempore nõ Iudæi
tantum & Turcæ, uerum etiam impij inter Christia
nos cõtemnunt Christum, & reteguntur meditatio
nes multæ. Quid ergo? Num dicemus hunc non esse
uerũ Christum, quia nõ statim perdit aduersarios et
contradicentes fulmine? Minimè omnium: sed multi
potius uerisimilius sentirent, eum, si hoc faceret, nõ
esse uerũ Christum. Quia Christus iuxta Esaiã cap.
42. calamum quassatum non confringet &c. Et aliàs
dicit Christus: Filius hominis non uenit perdere, sed
saluare mundum. Et Christus habet omnes uirtutes
perfectissimè. Inter uirtutes autem præcipua est pa
tientia & lõganimitas. Quare cum fert contradicen
tes, non est impotentia, sed uirtus longanimitatis: ex
pectat. n. resipiscentiam. Deinde Esaias scribit de tẽ=
pore aduentus Christi cap. 60. Non audietur ultrà
iniquitas in terra tua: occupabit salus muros tuos. Et
postea: Non audietur ultrà in ea uox fletus & cla=
moris &c. Vnde Iudæi existimabant tempore aduen
tus Messiæ, oĩa externa felicissimè eis fore. Et quo
quis cognatior esset Messiæ, hoc ampliorem fælici=
tatem in hoc seculo consequeretur. Sed & hoc Sime
on inuertit, & dicit ad Mariam: Tuam ipsius Ani=
mam pertrãsibit Gladius. hoc est, Tu existimas te in
hoc filio tuo habituram multam externam fortunam
& fælicitatem, eo quòd mater eius es, nec habeat in

terris

terris cognatiorẽ. Sed ecce ego prædico tibi, te habiturã potius ex ipso in hoc seculo extremas infœlicitates. Ac statĩ quidẽ obiecta est infœlicitati. Nunc. n. coacta fuit propter ipsum in exiliũ proficisci. Nunc amisso eo, quærebat eũ lugens. Nunc astans cruci, uè diteũ miserrimè oĩm tractari etc. Discamus igitur ex hac Simeõis cõcione, hãc esse cõditionem regni Christi in hoc seculo, q̃ quo cognatior es Christo, hoc afflictiorẽ te oportet esse, idq̃ nõ iniuria. Nã Deus cõstituit filiũ suum in Dominũ cœli et terræ, et tamẽ conicit eum in extremas calamitates, et in crucem. Nõ est aũt discipulus supra præceptorem, Nec seruus supra dominum. Quare cõuenit optimè, ut qui sunt serui Christi, unà cũ Christo affligãtur. Adhæc, qui sunt Christo cognatiores (loquor aũt de spũali cognatione per fidẽ) hi ampliores etiã fœlicitates in Christo habebunt. Non potest aũt cuiquã ampla fœlicitas cõtingere, nisi per magnas afflictiones ex fide. Præterea, ut in prælijs fortiores & digniores grauioribus obĩciuntur periculis: & honore afficitur à duce, qui reputatur dignus magnis periculis. Ita uita Christiana bellum est, Et qui sunt Christo addictiores per fidem, hi maioribus etiã periculis & afflictionibus obĩciuntur, ut uirtus eorum perspicua fiat. Ac profecto magna dignitate coram Christo præditus esse iudicandus est, qui grauibus afflictionibus obĩcitur. Tempore Hiob multi erant potentes et nobiles, sed

nullus eorum tantis periculis exponebatur, quantis Iob, quia Iob erat oĩbus alijs Deo cognatior. Sic Ioseph, sic Dauid, sic ipse Christus &c. Dices: Si ita se res habet, mallẽ Christo, aut ignotus, aut alienus esse. Sed sic nullã habes cum ipso partẽ regni eius. Quare si cupimus cum ipso regnare, cum ipso etiam patienda sunt aduersa. Atq; hæc quidem de cõcione Simeonis, quæ explicat regnum Christi nõ esse de hoc mundo. Nunc dicemus etiã de Anna. Nam et hæc unà cum Simeone testificata est, hunc puerum esse Christum, & significauit, quæ sint cõditiones regni eius. Vt autem testimonium eius esset fide dignum, describuntur cõditiones ueri testis. Vixit enim Anna in tribus uitæ generibus honestißimè, fuit uirgo pudicißima, uxor honestißima, & uidua religioßißima: erat Prophetißa, hoc est, prædita spiritu sancto. Non discedebat de Templo, seruiebat ieiunio & precationibus die ac nocte. Ergo fuit supstitioßa? Nequaquã, sed pia. Non. n. ieiunauit ad expiationem peccatorum, sed ieiunauit, hoc est, sobriè uixit, Primùm, quò esset magis idonea interesse publicis sacris. Deinde quò deuotius aut maiori fidei ardore orare posset. Postremò, ne corpori suo occasionem daret peccandi per crapulam. Hæ sunt iustæ & diuinæ causæ legitimi ieiunij. Cùm igitur tãtis uirtutibus prædita fuerit, dignißima est, cui fidẽ adhibeamus. Testata ergo est, Primùm, hunc infantem esse Christum. Deinde significat

gnificat Euangelista eam cõcionatam fuisse omnibus illis, qui expectabant redemptionẽ Hierosolymis, nimirum, qui expectabant redemptionẽ à peccatis, & à morte. Quo manifestè obseruatur, etiã Annam explicuisse, conditionem regni Christi esse, non q̃ uenerit ad administrandum externum regnum, sed q̃ uenerit ad liberandum nos à peccatis, & morte, ac inferno. Et hæc maiestas Christi est longè omnium maxima. Nam qui à peccatis liberatus est, huic nihil amplius nocumenti infert paupertas, morbus, & mors. Qui autẽ non est à peccatis liberatus, huic nihil prosunt etiam omnia regna huius seculi, & fœlicitates eius. Sed dices, Optarim ut simul haberem remissionem peccati, & fœlicitatem huius seculi. At hæc non possunt constanter cõiungi. Quia hic mundus est uelut Balneum sudatorium: Qui in hoc Balneum intrauerit, is necesse habet sudare, hoc est, laborare & affligi. Hoc Balneum calefecit Adam. Ad quem, cum peccasset, dictum est: Maledicta terra in opere tuo, In sudore uultus tui uescaris pane tuo, hoc est, Non habebis ullam in hac uita tranquillitatẽ. Et Hiob: Homo nascitur ad laborem, sicut auis ad uolatum. Quare trade te afflictionibus, hoc est, suffer eas patiẽter & crede in Christum. Sic. n. habes salutem. Hæ sunt conditiones regni Christi, quas necesse est cognoscere, ne offendamur tot aduersis, sed in Christo pacem habeamus & uitam sempiternam, Amen.

HOMILIA ALTERA, DE FVga in Aegyptum, Matth. 2.



IN historia natiuitatis Christi, docuit scriptura Christum natum esse in magna paupertate & miseria. Audiamus igitur nunc ipsum nõ in minori paupertate & miseria educatum esse. Nã quo tẽpore Christus natus est in Bethlehem, regnauit in Iudæa Herodes, filius Antipatris Idumæus, qui cum tyrannide obtinuisset regnum Iudæorum, oẽs quos suspicabatur aduersus ipsum insidias moliri, trucidabat. Postquàm autẽ natus esset Christus, tunc fama longè lateq; percrebuit, natum esse regem Iudæorum. Nam et pastores, qui uiderãt uisiõem angelorum, Et Magi ex Persia, Et Simeon, atq; Anna Prophetissa, Christum iam natum esse diutulgabant. Quod cum Herodes acciperet, nihil non insidiarũ tendebat huic puero, ut opprimeretur. Deus ergo maximam curam agens Christi filij sui, Primùm mittit angelum ad Magos, qui auertat eos ne per Hierusalem ad suam Regionem redirent. Deinde mittit angelum ad Ioseph, qui moneat ipsum, ut unà cum puero & matre eius in Aegyptũ fugiat, ne Herodes puerũ, unà cum matre interficiat. Fugit igitur Ioseph cũ puero & matre eius in Aegyptum, & manet illic in exilio septem penè annis, usq; ad mortem

tem Herodis. Principio uide mihi paternam curam Dei pro Christo filio suo. Erat enim Christus infans, & quia susceperat nostram infirmitatem, nihil opis sibiipsi afferre posse uidebatur. Nec quicquam auxilij in parentibus situ erat, aduersus insidias Herodis. Atq; adeo uidebatur hic infans destitutus auxilio omnium hominum. Sed ubi deest humanum auxlium, ibi præsto adest diuinum: Tantæ.n. curæ hic infans Domino Deo nostro est, ut angeli in eius ministeriu emittantur, & præuideant, ne quid aduersi contingat ipsi ab impio Herode. Quid ad me (inquies) ista? Num Deus pater nõ curaret pro unigenito filio suo? Terreni patres pro suis liberis solliciti sunt, quanto magis Deus pro filio suo sollicitus esse debet? Quid autem nobis proderit? Imo hoc potius admirabile nobis uidetur, quòd Deus non maiori sollicitudine pro incolumitate filij sui affectus fuerit, Et aut trucidauerit Herodem fulmine, aut miserit filio suo milites & Legiones angelorum, qui ipsum in Iudæa defendissent, ut non necesse habuisset in Aegyptu fugere? Vt ad hæc respondeamus, obseruandum est, Deum curã filij sui egisse, non tantum propter ipsum, sed etiam propter nos. Si.n. eum fecit hominem propter nos, certè & curã eius egit propter nos, nimirum ut ostenderet in filio suo, quòd non sit talis Deus, qualem ipsum impij imaginantur, uidelicet, quòd sedeat ocio sua in cœlo, & non afficiatur nostris afflictionibus,

Sed q, sit Deus propè existens, omnia uidens, omnia curans & administrans, ac præsertim infantes defendens. Nam infantes etiamsi nõ sunt naturales filij Dei sicut Christus, tamen uicinius coniuncti sunt Deo, quàm suis parẽtibus. Parentes. n. sunt tãtum organa, per quæ liberi generantur, Deus autem ipse est Creator liberorum. Adhæc, infantes, qui per Baptismũ incorporati sunt Christo, facti sunt & ipsi filij Dei per adoptionem. Quanta igitur Deus cura complectitur infantem Christum, tanta etiam complectitur infantem Christo per Baptismũ incorporatum. Hoc parentibus probè obseruandum est. Primùm, ut non computent pro maledictione & afflictione multitudinem liberorum. Nec propter liberos aduersus Deum peccent, ut congregent eis opes: quia liberi Deo coniuncti sunt maiori (ut ita dicam) consanguinitate, quàm parentibus: Quare magis etiam pro salute ipsorum curabit. Deinde faciunt parentes suum officium à Deo mandatum in educandis & instituendis liberis. Si enim tanta maiestas curat pro salute liberorum tuorum, cur tu ignauus esses? Sed quia nec Deus Pater mirabili et externo angelorum exercitu defendat puerum suum in Iudæa, et trucidet Herodem, Nec Christus ipse mirabiliter adhuc in cunis iacens alloquatur parentes, & iubeat se deferre in Aegyptum, ut non opus fuisset alloquio angeli, nõ erit nobis admirabile, si cõsideremus rationem incarnatio-

nis

nis Christi. Factus enim est homo, nõ ut regnum eius esset de hoc mundo, et dominaretur externa ac uisibili maiestate, sed ut ferret infirmitates nostras, & satisfaceret per eas pro peccatis nostris. Iam hæc est nostra infirmitas, & nos impotentes nihil possimus aliud aduersus insidias potẽtum Tyrannorum, quàm fugere & declinare prudenter tyrannidem eorum. Suscipit igitur Christus hanc infirmitatẽ in se, ut expiaret peccata nostra, & ut certificaret nos, quòd Deus nõ reliquerit nos, etiamsi necesse habeamus fugere Tyrãnos, & proficisci in exilium. Quid autem de obedientia Ioseph & Mariæ dicemus? Cùm. n. angelus iussisset eos cum puero in Aegyptum fugere, nõ respondent Deo: Quid? si est Seruator, seruet etiã seipsum. Non causantur difficultates exilij: Quid dicis angele? Num proficiscendum nobis est in exilium cum puero? Cur tot labores, & molestias nomine eius subeamus? Sperauimus in ipso cœlũ, sed ecce inuenimus infernum. Nihil (inquam) horum uerborum audis, nec à Iosepho, nec à Maria, sed obedientes mandato angeli, proficiscuntur in exilium. Discamus igitur primùm exemplum obedientiæ: debemus. n. præceptis Dei obedire sine tergiuersatione. Nam fieri solet, ut præcepta Dei uideantur cõtra promissa eius: Promisit Abrahamo multiplicationem seminis eius per Isaac, ac postea iubet Isaac immolari. Promisit abundantiam uictus credentibus in ipsum, & tamen

iubet laborare. Promisit remissionẽ peccatorum, & uitam æternam per Christum gratis, & tamen iubet bona facere. Ita & hoc loco dicit de puero: Saluabit populum suum à peccatis, Et nunc iubet Ioseph cum puero fugere in Aegyptum, ut saluetur ab Herode. At non sunt sibi contraria. Nam Deus utitur nobis pro organis & cooperarijs suis. Promissa igitur credenda sunt, præcepta autem sine tergiuersatione facienda sunt. Deinde uidemus in Ioseph & Maria sortem eorum, qui Christum amplectuntur. Hi coniuges habent puerum diuinissimum, uerum Messiam & Filium Dei, & tamen necesse habent cũ ipso in exilium proficisci, & multas miserias ferre, quemadmodum etiam ipse Simeon ad Mariam dixit: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Sic oportet unumquemq; in animum suum inducere, ut quanto magis Christum amplectatur fide, tanto maiora & grauiora sustinenda sint aduersa. Quam ob rem? Primùm, ne existimemus regnum Christi esse de hoc mundo. Deinde, ut iniiciatur nobis desideriũ futuræ uitæ. Tertiò, ut abscondantur filij Dei ab hoc seculo, sicut Christus absconditus est exilio ab Herode. Si enim reuelarentur filij Dei in hoc mundo, non posset mundus maiestatem eorum ferre. Postremò, ut maiora beneficia in cœlis pij per afflictiones consequantur in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

IN

IN DIE CIRCVMCISIONIS *Christi, Euangelium Lucæ 2.*



ET postquàm cõsummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, uocatum est nomen eius IESVS: quod uocatum est ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur.

HOMILIA PRIMA, DE LIBERATone à Lege, quam Christus circumcisione sua nobis acquisiuit, habita anno 1540.

CVm octauo ab hinc die, publicam mentionẽ in ecclesia fecerimus Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, exigit ipse ordo rerum gestarũ, ut hodierno die mẽtionẽ faciamus circumcisionis Christi. Fuit. n. lex in Israel, ut infans octo dierum circumcideretur, Et confirmata est hæc lex magna seueritate. Masculus (inquiens) cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Quare cùm Christus nõ solum in Republica Israelitica, sed etiam de semine Abrahæ, cui data erat circumcisio, natus esset, æquo animo passus est, ut & ipse iuxta morem legis octauo die circumcideretur. Sed hoc fortaßis mirum alicui uidebitur, quòd cum Christus fuerit sine omni labe, assumpserit circumcisionem, quæ est Sacramentum remissiõis peccatorum: Et cum assumpserit, quî fiat, quòd non & nos in Christum credentes, circumcidamur iuxta morem legis? Si enim in Christum credimus, exigitur ut etiam Christum imitemur. Et aliàs dixit Christus: Non ueni ut soluerem Legem, sed ut implerem. De hac igitur re pauca nunc pro ratione temporis audiemus. Nihil autem manifestius, aut magis

magis perſpicuè de hac re dici poteſt, quàm quod Paulus ſcribit ad Galatas cap. 4. Vbi (inquit) uenit plenitudo tẽporis, emiſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij redimeret. Sciamus igitur, q̃ Chriſtus non eſt circumciſus, quòd eſſet ipſe peccato obnoxius: Qui enim peccatum nõ fecerat, nec inuentus eſt dolus in ore eius, nõ indiguit, quod ad ipſum atinet, circumciſione. Nec circumciſus eſt, ut poſteros ſuos in ipſum credentes, cogeret exemplo ſuo ad aſſumendam circumciſionẽ, ſed potius, ut poſteros ſuos liberaret, non ſolum à circumciſione, ſed etiam ab omni lege. Et quia ſcriptura ſancta ſæpenumero docet, Chriſtum nos liberaſſe à Lege & oneribus eius, hic nũc labor noſter erit, ut hoc rectè intelligamus. Multi n. ſunt, qui abutuntur hac doctrina ad licentiam carnis ſuæ, & ſiue dicatur, Chriſtum nos liberaſſe à lege, ſiue Chriſtum expiaſſe peccata noſtra, uſurpãt ſibi licentiam, quiduis ſcelerum deſignandi. Exponemus igitur quicquid id eſt, quàm poſſumus ſimpliciſſimè. Ac primùm, quia Chriſtus factus eſt obnoxius legi, liberauit credentes à lege, Non hoc pacto, ut nemo amplius debeat facere ea, quæ naturalis lex exigit: Omnino enim hoc requiritur, ut unuſquiſq; ſeruiat Deo, & diligat proximum, quia naturalis Lex præcipit. Nec hac cõditione liberauit nos à Lege, ut nullis prorſus ciuilibus legibus obediamus. Chriſtus

enim confirmauit Magistratum ciuilem, & uult, ut unusquisq; legibus suæ Politiæ obediat. Nec liberauit nos hoc modo, ut nullam habeamus ordinationem ecclesiasticam, quia & sacramenta Christi distribuenda sunt, Et oĩa in Ecclesia debent fieri decenter, & secundum ordinem, Sed liberauit credentes à Lege ita, ut non necesse habeant post ascensum Christi in cœlum, Politiã Mosi in suis rebuspublicis obseruare. Postquàm.n. Euangelium sparsum est in totum orbem terrarum, licet ita in Christum credere, ut nihil hominus possit quæuis Respublica suam externã politiam conseruare. Hæc autem est minima pars liberationis à Lege. Si nihil aliud egisset Christus in terra, nonnihil quidem beneficiorum contulisset incircumcisis Gentibus, sed nondum cõtigisset eis uera liberatio. Alia igitur quærenda est liberatio. Deinde ergo liberauit Christus credentes à lege, quia liberauit eos à sententia damnationis, in lege pronũciata. Nam diuina lex pronunciat sententiam aduersus homines longè omnium grauissimã & seuerissimam. Dicit enim: Omnis qui seruauerit legẽ perfectè, habebit uitam. Et omnis qui non seruauerit eam perfectè, maledictus erit. Nullus autem hominum seruauit legem perfectè. Quare omnes homines sunt maledicti. Itaq; lex tanquàm Iudex publicè sic proclamat: Reipsa comperio, Omnes homines esse peccatores, pronuncio igitur omnes homines obnoxios esse, nõ

solum

solum morti, sed etiam perpetuæ dãnationi. Hæc est sententia legis seuerissima, quæ si non in auribus tantum, sed etiã in conscientia sonuerit, fieri nõ potest, quin occidat hominem, nisi manu Dei potẽter seruetur. Hæc sentẽtia adegit Iudam ad laqueum. Hæc sententia cõiecit Ananiam & Sapphiram, de quibus in Actis apostolicis, in subitaneam mortem. Hæc sententia mutauit Dauidi uultum suum, & occidisset eum, nisi manu Dei conseruatus esset. Turbatus (inquit) est à furore oculus meus etc. Hæc sentẽtia adegit Petrum, uirum fortissimũ, ad lacrymas, et occidisset eũ, nisi subleuatus fuisset manu Dei. Nã quemadmodum hi, qui ad mortem corporalẽ damnantur, multò grauius accipiunt mortis seu condẽnationis sententiam, quàm ipsum supplicium: Ita auditus sententiæ legis de æterna damnatione non mutat tãtum uultum hominis, sed detrudit ipsum ad infernũ. Habes grauitatem sententiæ legis, quæ pronunciatur aduersus omnes homines. Venit igitur Christus in hunc mundũ, & factus est Legi obnoxius, ac suscepit nõ tantum opera legis perficienda, sed etiã suscepit in se, quod est grauissimum, sententiam legis de perpetua damnatione: Id quod testatur uehementissima oratio in mõte Oliueti, Item, sudor sanguineus, Præterea uox illa: Deus meus, ut quid me dereliquisti. Atq; hãc sententiam suscepit in se, non q, ipse meritus esset, sed quia suscepit in se culpam omnium nostrorum pecca

torum, ut & nos ab hac sententia legis liberaret. Cùm ergo dicitur, Christum liberasse nos à lege, intelligendum est præcipuè, q. liberauerit nos ab hac seuerissima sententia legis, quæ est de æterna damnatione. Et quantum hoc sit beneficium, possumus facilè ex collatiõe animaduertere. Nã si quis captiuus adduceretur ad Iudices propter homicidium suum, & audiret sententiam condemnationis suæ, ac traderetur carnifici in manus, quanto putas eum horrore compræhensum esse? Quod si uero ex improuiso accederet quispiam, qui incideret carnifici funiculum, & liberaret captiuum ac cõdemnatum, à carnificè, à sententia condemnationis, & à supplicio mortis, quantum hoc iudicaretur beneficium? Quis satis explicare posset, quanta lætitia captiui animus perfunderetur? At longè aliud beneficium, quod nobis per Christum confertur. Nos enim omnes captiui ducti sumus ad Iudicium Dei. Lex pronunciat sententiam Dei perpetuæ damnationis aduersum nos. Traditi sumus carnificibus, uidelicet, Angelis Satanæ, qui nos abducunt ad infernum. Hìc tamen ex improuiso aduenit Christus, & liberauit nos à lege, hoc est, à sententia condemnationis, & incidit funiculum Satanæ, quo nos captiuos tenebat. Quis autem unquã satis dignas gratias Christo pro tantis beneficijs agere potest? Vnde, ut tãti beneficij semper memores essemus, etiam nomine ipso Christi admonemur. Impositum

positum enim est Christo in circumcisione Nomen IESV, Iesus autem significat Saluatorem. Quãquàm uero alioqui parum referat, quo quis nomine uocetur, tamen IESV uocabulum nõ contigit Christo fortuitò: priusquàm enim nasceretur, uocatus est hoc nomine ab angelo. Matt. 1. Paries (inquit ad Mariã) filium, & uocabis nomen eius IESVM, Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Atq; ita nostri causa factum est, ut quoties mentio fiat huius nominis Iesu, reuocemur ad memoriam ueræ liberationis, quam habemus per Christum. Nulla enim alia liberatio uera est. Liberatus à morte corporali, nondum est uerè liberatus: liberatus ab externa paupertate, ab infamia, à frigore, ab externis hostibus, aut id genus alijs calamitatibus, nondum est uerè liberatus: sola liberatio quæ per Christum contingit, uera & perpetua est. Quare nunquam desinamus Christo gratias agere pro beneficijs suis. Agemus autem gratias, si sequamur uocationem Dei, ut in obedientia ambulantes, peruenia-

mus ad uitam æternam,

AMEN.

HOMILIA SECVNDA, IN QVA ostenditur quomodo Christus nos à Lege liberauerit, habita anno 1543.

PVblica agitur hodie memoria Circumcisiõis Domini nostri Iesu Christi, quæ etsi ad nos Christianos nihil pertinere uidetur, propterea q; fuerit Iudaicum sacramentum, et hoc tempore sit abrogatum, tamen magnam nobis affert utilitatem, quòd Christus Dominus noster susceperit circumcisionem. Nam qui circumciditur (inquit Paulus) debitor est totius Legis. Cùm igitur Christus susceperit circumcisionem iuxta Legem, subiecit sese eo ipso toti Legi. Factus autem sub lege, redemit omnes eos, qui sub lege erãt, ut adoptione ius filiorum consequeremur. De hoc argumento hodie nobis, diuina fauente clementia, dicendum est, uidelicet, quomodo Christus redemerit nos à lege Dei. Hæc doctrina, ut est Christiano cognitu necessaria, Ita non rectè intellecta periculosissima est. Homines. n. natura sua sunt propensi ad contemnendam Legem, & sectanda sua desideria. Quare cum hanc doctrinã de Redemptione à lege audiunt, concipiunt licentiam agendi quiduis. Alius dicit: quid grauarem me faciendis bonis operibus, cum Christus liberauerit me à lege Dei? Alius ait: Quid facerem bona opera, cùm ta-

men

men nihil faciant ad iusticiam & salutẽ, nec possum quicquam bonis operibus coram Deo mereri? Alius inquit, Cur non sectarer libidinem meam peccãdo, cum tamen Christus suscipiendo obediẽtiam Legis, & passionem suam, expiauerit omnia peccata mea? Hæc et alia iactantur aliquoties uerbis hominũ, aliquoties tractantur cogitationibus, ac declarantur etiã operibus. Et homines, iuxta hoc seculum sapientes, sentiunt cõsultius esse, pauciſsima in Ecclesia dici de liberatione à Lege, & remissione peccatorum p Christum, plurima aũt dici de bonis operibus, quò rudes in timore Dei cõtineantur. Hi etiã existimãt, q̃ multa deberent dici de meritis bonorum operũ, ut homines excitarentur ad bene operãdum. Ac uidetur quidem hæc sententia prudens esse, Sed talis prudentia autor semper fuit omnis Idolatriæ in mũdo, autor itẽ est impietatis Mahumeticæ, autor est impietatis Papisticæ. Hæc prudẽtia dedit occasionẽ fingendi [illegible], et multarum aliarum impietatum. Quare cum talia consilia fuerint autores pernicioſorum errorũ, non habeant ullũ locũ in Ecclesia Christi. Tametsi enim multi impij offenduntur ueritate Euangelij Christi, tamen quẽadmodum non sunt facienda mala, ut eueniant bona, Ita non sunt docenda mendacia, ut iuuemus ueritatem. Mendacium autem est, q̃ bona opera sint perfecta iusticia, & sint merita Remissionis

peccatorum. Quare nunquàm committẽdum est, ut in Ecclesia hoc mendaciũ doceatur, quò hoïes per ipsum ad bona opa excitentur. Adhæc necessarium est, ut ueritas Euangelij semper doceatur. Nec tranquilla fit conscientia in ueris pauoribus mortis, nisi ueritate Euangelij: ueritas autem est, q̃ Christus liberauerit nos à lege, & expiauerit peccata nostra. Quare offendatur qui uelit, hæc ueritas non potest propter malè feriatos homines omitti. Nam si offendiculũ impiorũ cauendum esset, omnino nihil prorsus docendum esset. Qua.n. doctrina impij non offenduntur? Quæcunq; dicuntur, ea rapiunt in peßimã partem. Christus apud Matt. cap. 15. docebat ueritatem, de traditionibus humanis ex Esaia, dicens: Frustra me colunt, docentes doctrinas mandata hominum. Quo sermone Pharisæi multũ offensi sunt, Sed Christus ait: Smite illos, duces sunt cæci cæcorũ. Apud Ioan. cap. 6. docebat, ad salutẽ necessarium esse, ut ederent carnem suam, & biberent sanguinẽ suum: Hoc dicto magna discipulorum pars ita offensi sunt, ut deficerent ab ipso. Num idcirco Christus doctrinã Euangelij sui intermisit? Et, quod in doctrina accidit, ita etiam de uita sentiendũ est. Offenduntur enim impij quouis genere uitæ. Ioannes habitabat in deserto, nihil lautitiarũ edens, & dicebant eum Dæmonium habere. Christus conuiuabatur cum amicis, & dicebant eum esse helluonem. Quare cum ubiq; offendantur

offendantur impij, sua culpa, omittendi sunt, & docendum est, quod est ueritas, & faciendū, quod est coram Deo rectum. Reuertamur autem nunc ad propositum. Christus hodie circumcisus est, & factus est Legi obediēs, ut nos à Lege redimeret. Videndū igitur erit, quomodo redemerit nos à Lege, ut & pij contineantur in obsequio, & impij non habeant iustā causam offensionis suæ. Ac nihil nunc dicemus de ea liberatione, qua per Christum consecuti sumus libertatē, q̄ non necesse habeamus hoc tempore Cerimonialia & Iudicialia legis Mosaicæ in nostra Politia obseruare. Hæc libertas aliquid quidem est, sed nō est principale, nec libertas Christiana in hoc præcipuè constat. Deinde, nō liberauit nos à lege, ut deinceps nihil boni amplius facere debeamus. Verissimum quidem est, q̄ nostra bona opera non satisfaciant Legi Dei, Nec sint merita Remissionis peccatorū & salutis. Non uenit aūt Christus, ut nobis concederet licentiam agendi quiduis, pro carnali nostra libidine, Sed lex Dei continet in se maximam seueritatem. Nā exigit perfectissimā & absolutissimam iustiam, exigit ut nec unum iota, aut apicem uioles, sed ut omnia opera sint absq; uitijs, & sint sanctissima. Quòd si aūt uiolaueris uel unum Legis apicem, tunc Lex tam seuera, tā crudelis est, ut cōtinuò pronunciet hoīem Reum æternæ maledictionis & damnationis. Maledictus (inquit) omnis qui non perman-

ſerit in omnibus uerbis legis huius. Hæc eſt maxima ſeueritas, quæ & oēs homines obiicit perpetuæ dānationi, quia nullus eſt, qui totam legē ſeruauerit. Chriſtus autē uenit in hunc mundum, & ſuſcepit in ſe Circumciſionem, ſuſcepit obedientiā totius legis, & quanquàm totam Legē perfectè impleret, tamen ſuſcepit etiā maledictionē Legis, quia permiſit ut ſuſpenderetur in crucē: Maledictus autem omnis qui pendet in ligno. Impetrauit igitur hac obedientia à Deo Patre ſuo, ut quotquot in ipſum credūt, liberētur à Lege, hoc eſt, ut ſeueritas ſententiæ Legis retractaretur in ipſis: & quanquàm non ſatisfecerunt Legi, tamen non dānarentur, ſed ſeruarentur propter Chriſtum. Vnde Paulus ad Gala. 3. Chriſtus redemit nos à maledictione Legis, dum factus eſt pro nobis maledictio. Et propter hanc cauſam ſuſcepit etiā Nomē & cognomē ſuū, Vocatus eſt IESVS. Multi fuerunt etiam alij q̄ uocati fuerunt Ieſus, quod uocabulum ſignificat Seruatorē. Alij fuerunt externi Ieſus, ſeu ſeruatores, ut Ioſua, et Iudices in Iſrael. Hic aūt Ieſus eſt uerus Seruator in iudicio Dei ab æterna morte, à maledictiōe legis. Cognominatus aūt eſt Chriſtus, quod ſignificat unctū. Sic q̄t uocabantur propriè Reges. Nunc, multi fuerunt Reges externi liberatores. Sed hic Rex liberat nos à tyrannide legis. Nam liberatio eius tunc præcipuè ſuum facit exercitium, cum quis ſiſtitur ad tribunal Dei, & accuſatur

accusatur uiolatæ Legis: hìc tum coràm est Christus & seruat credentem in ipsum, Hæc est uera liberatio. Sed cum hac liberatione exigitur obedientia Legis, & actio bonorum operum, quantum uirtute spiritus sancti fieri potest. Etsi enim bona opera à Deo præcepta, non sunt perfecta iusticia (sicut à nobis fiunt), nec sunt merita remissionis peccatorum, Tamen multæ aliæ causæ sunt, propter quas necessariò exiguntur. Primùm, Deus mandat, & exigit bona opera: Deo autem obediendũ est. Secundò, Christus uenit ad uocandos peccatores ad pœnitẽtiam, Ergo uenit Christus ut uocet nos ad bona opera. Tertiò, Christus confert credenti spiritum sanctum. Is non est otiosus, quare benefaciendum est. Quartò, Bona opera sunt gratiarũ actio, Debemus autem Christo esse grati pro suis beneficijs. Vide mihi filium quendam, Num audires eum, si diceret: quid boni faciam parenti, cùm non mereor hæreditatẽ, sed gratis obtineat? Quintò, Bona opa necessaria sunt proximo, cui debemus seruire, & diligere sicut nosmetipsos, etc. Sextò, Peccata expellunt Christum, Bene igitur faciẽdum, ut retineamus Christum. 1. Ioan. 3. Qui cõmittit peccatum, ex Diabolo est. Septimò, Bona opera sunt testimonia fidei, Matt. 25. Octauò, Deus uult bona opera ex liberalitate remunerare, non ex merito &c. Habes quomodo liberati simus à Lege, Nẽpe per impletionem, qua Christus Legem impleuit,

liberati sumus à maledictione legis. Sunt & bona opera facienda, ut faciendo agnoscamus nostram imbecillitatem, & peccatis agnitis fugiamus ad Iesum Christum, ut meritis eius consequamur ueram iusticiam & uitam sempiternam, Amen.

HOMILIA TERTIA, DE NOuo anno, habita anno 1548.

HOdiernus dies uocatur dies Noui anni, & solenne est, ut hodie uicinus optet uicino bonum annũ. Etsi autem coram Deo omnes dies sunt æquales, imo uniuersum tempus unus tantũ dies est, Et Annus est uelut circulus, in quo nullũ est certũ initiũ, nullus certus finis per se: tamen distinctio tẽporis in hac terra, diuinitus instituta est propter humani generis utilitatẽ. Gen. 1. Fiant (inquit Deus) luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem. Et sint in signa & tempora, et dies et annos. Sol. n. facit quatuor præcipua discrimina in anno, uidelicet, in duobus solstitijs, & duobus æquinoctijs. Hinc etiã sumuntur initia annorum. Hebræi incipiunt Annum in æquinoctio uernali, in Martio. Aegyptij circa Aequinoctium autumnale in Septẽbri. Romani circa Solstitium Hyemale in Ianuario. Parum quidẽ refert unde incipias anni initiũ numerare. Sed certa anni distributio necessaria

ria est, non solum in rebus humanis, sed etiam ad cognoscendas successiones temporum à creatione mundi, & à reuelatione promissionis de Christo. Hæc omnia in tenebris iacerent, nisi haberemus certã annidescriptionẽ. Non institui aũt de his loqui, sed eò tantum recensui, ut quia hodierno die incipimus numerare nouum annum, & solenne est optare unũquenq; alteri fœlicem annum, discamus hac occasione cognoscere, quibus rationibus efficiamus, ut hic imminens annus fiat nobis quàm fœlicissimus, ac omnia prospera nobis in eo contingant. Superior annus, q iam præterijt, fuit satis calamitosus & miser. Agite ergo cognoscamus quid faciẽdum nobis sit, ut hic futurus annus sit fœlix & fortunatus. Non suscipio concionandum impijs & contemptoribus uerbi Dei, qui fœlicitatem suã collocant tantum in frumẽto, uino & terrenis uoluptatibus, Sed pijs et mẽbris Ecclesiæ, qui hoc quærũt, ut uoluntati Dei seruiant, & piè faciãt, siue assequantur in hoc mundo fœlicitatem, siue non. Sciamus igitur quid faciẽdum sit, ut is Annus sit nobis uerè fœlix. Audi ergo Mosen Deutero. 28. Si audieris uocem Domini Dei tui, ut facias atq; custodias omnia mandata eius, benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro, benedictus fructus uentris tui. Hìc habes paruum prognosticon, qualis tibi futurus sit hic annus, in quo prognostico diligentius nobis legendũ est, quàm in Nugiuendis istis libellis,

quos Practicas uocãt. Si audieris (inqt) VERBVM DOMINI, & custodieris mandata eius. Similiter Deut. 30. Testes inuoco hodie cœlũ & terrã, q̃ proposuerim uobis uitam & bonum, mortẽ & malum, benedictionem & maledictionem. Elige ergo uitã, ut & tu uiuas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atq; obedias uoci eius. VERBVM autem Domini quod Moses proposuit, duo præcipuè exigit. Alterum, ut Legẽ perfectè faciamus. Et quia non facimus eam perfectè, agnoscenda sunt peccata nostra, & quærenda remißio peccatorum. Hîc iam recurrendum nobis est in præteritum annum, Cogitandum initiò quid fecerimus. Inueniemus autẽ multa & magna peccata, Hæc certè agnoscenda sunt & abominanda. Quærenda etiam peccatorum remissio. Deinde cogitãdum est quid paßi simus. Si res nostræ fuerunt prosperæ, gratiæ Deo agendæ, q̃ immeritis contulerit sua beneficia. Si infœlices, agnoscendum est meritum peccati nostri. Gratiæ Deo agendæ, q̃ non fuerint infœliciores. Sicut Hieremias dicit: Misericordiæ Domini, q̃ nõ sumus consumpti, q̃ non defecerunt miserationes eius. Alterum quod exigit uerbum Domini illud est, ut credamus in Iesum Christum, qui est omnis salus & fœlicitas nostra. Deut. 18. Non inueniatur in te qui scisciteturariolos, & obseruet somnia atq; auguria. Neq; sit qui Pythones consulat, nec quærat à mortuis ueritatẽ.

Sed

Sed Prophetam de Gente tua ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, Ipſum audies. Acto. 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo hoïbus datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri &c. Hîc iam ingrediẽdum eſt in Nouum annum. In ueteri peccauimus. Nunc igitur agnoſcamus peccata, credamus in Chriſtũ, q̃ propter ipſum conſequamur remiſſionem peccatorum, & obediamus Chriſto ex fide. Qui helluatus eſt, non amplius helluetur. Qui furatus eſt, nõ amplius furetur. Qui ſcortatus eſt, non amplius ſcortetur. Qui blaſphemauit, non amplius blaſphemet. Hæc ſi fecerimus, annus erit fœliciſſimus. Veteres dixerũt unũquemq; eſſe fabrum ſuæ fortunæ. Hoc non intelligendũ eſt, q̃ euentus rerum externarum ſit poſitus in noſtra manu, Sed q̃, ſi propoſita nobis ſit utraq; fortuna, fœlix et infœlix, utracunq; accidat, poſſit nobis eſſe utilis, ſi nos rectè & piè geſſerimus, & q̃ eam quæ accidit pro ſuo modo architectari poſſimus. At dices, nemo eſt infœlicior q̃ pius & recta faciẽs. Impij ſunt fortunatiſſimi. Idolatræ ſunt fœliciſſimi. Quomodo ergo fœlicitas dicitur cõtingere pijs? Reſpondeo. Hîc conſiderandũ eſt, q̃d uerè fœlix, q̃d infœlix dicatur. Etiam humana ratio non æſtimat rei fœlicitatem à primo et acceſſorio euẽtu, ſed ab ultimo euentu. Romani geſſerunt bellum cum Carthaginenſibus. Si primum euentum inſpicias fœlices fuerũt Carthaginenſes, ſed ultimus euẽtus ſtetit à parte Romæ

norum. Quare dicitur eis fuisse fœlix bellū, quo consecuti sunt imperium orbis. Sic et in Christiana schola rei fœlicitas uel infœlicitas nō æstimāda est à primo euentu, aut à toto etiā euentu in hoc mundo, sed ab ultimo euentu, qui in altero seculo contingit: etsi Deus etiam in hoc mundo aliquibus pijs fœlicē euentum dedit. Vide Iosephū filium Iacob. Vēditur à fratribus, conijcitur in carcerē, Infœliciſsimus euētus, sed primus & secundus: ultimus aūt fuit fœlix, quia euectus est in Principatum. Dauid in exiliū eiectus: Sed hac occasione peruenit ad Regnum. Christiano rum fœlicitas non in hoc seculo. Vide Christum. Oīa ferè in hoc mūdo infœlicia, sed hæc erāt summa eius fœlicitas. Factus obediens usq; ad mortē crucis. Extulit eum Deus in summā sublimitatem. Hæc sunt et nobis cogitanda. Est. n. unusquisq; faber suæ fortunæ. Itaq; si fœlicia externa accidunt, gratiæ agēdæ sunt Deo, atq; agnoscēda misericordia Dei: Si uero infœliciā, certè (si modo uoluerimus) fiēt et ipsa fœlicia. Nā si infœlicia acciderint propter admissa scelera, agnoscenda erunt peccata, atq; uita in melius instituenda. Exēplo est Manasses, qui etsi impietate sua meritus esset captiuitatem & æternā damnationē, tamen postquàm resipuit, liberatus est ex captiuitate, atq; saluatus est. Si uero propter iusticiā aduersa acciderint, respiciēdus est finis ultimus, qui iuxta Paulū ad Ro. 8. fœlix erit. Omnia (inquit) adiumento sunt

to sunt pijs in bonum. Est hæc doctrina diligenter obseruanda, præsertim hoc anno, quem hodie incepimus: imminent enim nobis maxima quæq; aduersa, atq; sumus in periculis corporis, uitæ atq; facultatum nostrarum propter incursionem alieni militis, qui nobis etiam mortem minantur. Danda igitur est summa opera, ut fabri simus eorum periculorum, quæ nobis accidere poterunt hoc anno: quod si fecerimus, poterimus tuti esse hoc anno ab omni malo, per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

DOMINICA POST CIRCVMcisionem Christi Euangelium Ioan. 1.

ALtera die uidit Ioannes Iesum uenientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo dixi: Post me uenit uir, qui ante me factus est, quia prior me erat, & ego nesciebam eum, sed ut manifestaretur in Israel, propterea ueni ego aqua baptizans.

Et testimoniū perhibuit Ioānes



dicēs: Quia uidi ſpūm deſcenden
tē quaſi columbā de cœlo, & man
ſit ſuper eū, Et ego neſciebā eū: ſed
q̄ miſit me baptizare aqua, ille mi/
hi dixit, Super quē uideris Spiritū
deſcendentē, & manentē ſuper e/
um, hic eſt qui baptizat in Spiritu
ſancto. Et ego uidi & teſtimoniū
perhibui, quia hic eſt Filius Dei.

Homilia

HOMILIA DE AGNO DEI, habita anno 1540.



Versamur adhuc in tractanda & explicanda Natiuitate Domini nostri Iesu Christi. Et quia Prophetæ descripserunt Christum maxima maiestate dominaturũ in orbe terrarum, Ideo diligenter cognoscendũ est officium Christi, ne cũ audiamus ipsum in magna miseria & paupertate natum & educatum, nihil minus quàm Christum esse iudicemus. Sunt enim qui putauerunt Regnum Christi fore corporale & mundanum. Nam hi existimauerunt se suis posse uirtutibus et bonis operibus uincere spirituales hostes, & consequi æternã fælicitatem, idcirco non postularũt spiritualem seruatorem, sed tãtum corporalem, ut ab externis afflictionibus liberarentur. Hæc est pernicioſissima opinio. Quare officium Christi diligẽtißimè cognoscendum est. Ac superiori die explicuimus, qd sit de Christo sentiendũ è cõcione angeli, qua tribuit Christo nomen Iesu, et exposuit q, saluum facturus sit populum suũ à peccatis suis. Hodie audiemus concionẽ et testimonium Ioannis Baptistæ de Iesu Christo. Fuit autem Ioannes ab omnibus habitus tantus Propheta, ut etiam detulerint ei honorẽ Meßiæ, Sed in hoc diuinitus uocatus erat, nõ ut ipse usurparet sibi

maiestatem Christi, sed ut ferret testimonium de Ie
su, q. ipse sit Christus. Igitur concio & testimonium
eius de Christo extat apud Ioannẽ ca. 1. Postero die
uidit Ioannes Iesum ad se uenientẽ, & ait: Ecce Ag-
nus Dei qui tollit peccata mundi. Hæc concio Ioan-
nis Baptistæ de Christo diligẽtißimè obseruãda est.
Parua quidem est, sed continet summam totius Euã
gelij ac ueræ Religionis de Christo. Hoc. n. maiores
nostri intellexerunt, & commendauerunt hanc Ba
ptistæ concionem Ecclesiæ uarijs modis. Cũ celebra
rent Cœnam Domini, recitauerunt eam publico car
mine. Recitauerunt etiã eam in publicis litanijs. Vi-
derunt enim in hoc testimonio breuißimè cõprehen
di ueram doctrinã salutis nostræ. Sed quàm piè ma-
iores hac cõcione usi sunt, tã impiè ea abusi sunt hy
pocritæ Papistæ. Nã cum hi audiuissent hanc concio
nem commendari, tanquàm compẽdium salutis no-
stræ, nõ hoc egerunt, ut ex ea conciperent fidem &
rectã Religionis intelligentiam, Sed consecrarunt
ceram & alia nescio quæ suis exorcismis, et uocaue
runt ea Agnus Dei, quæ si gestentur, iudicauerũt ad
hoc efficacia esse, ut expellant dæmones & abigant
incantationes. Hæc est superstitiosißima impietas.
Nam uerba sacræ Scripturæ & cõcio Ioannis de A-
gno Dei, non sunt in hoc data, ut appendamus ea ex
collo, sed ut audiamus, & ex ipsis uerã Religionem
discamus, adeoq; fidem concipiamus. Paulus dicit: E-

uangelium

uangelium est potentia Dei ad salutem omni credẽ-
ti. Hoc Hypocritæ intelligunt, q̃ uerba Euangelij in
membrana scripta, & è collo pendẽtia sint efficaciæ
ad salutem corporalem. Hæc est Iudaica superstitio:
Nam & ipsi Iudæi ponunt partẽ Legis, scriptam in
membrana, super frontem, propterea q̃ Lex dicat:
Sint hæc uerba ante oculos tuos &c. Nam Euange-
lij uerba tunc efficacia sunt cùm audiuntur. Sic enim
sunt organon spiritus sancti, quibus docemur fidem,
iusticiam & ueram salutem. Quare concio Ioannis
de Agno Dei audienda, & in corde suspendẽda est,
ut ex ea discamus uerũ officium Christi, & ueram fi-
dem in Christum. Ac primũ Ioannes hac cõcione seu
testimonio exponit uno uerbo oẽs cultus legis qui è
sacrificijs constabant. Nam in lege Exod. 29. & Nu-
me. 28. institutũ erat, ut singulis diebus offerrẽtur
duo agni anniculi & immaculati, alter mane, alter
uesperi in holocaustũ. Præterea aliâs sæpe, præter
hoc quotidianum et iuge sacrificium, agni immolati
sunt in holocaustum, ut habetur in Leui. cap. 1. Quid
ergo sibi uoluit spiritus sanctus his cultibus? Hypo-
critæ senserunt quidem, q̃ hæc opera sint expiatio-
nes peccatorum suorum, & cùm ista impietas re-
præhenderetur à Prophetis, occiderunt eos. Sed san
guis agnorum non potest expiare peccata, ut est in
Epistola ad Hebræos. Ioannes igitur interpretatur
in hac breui conciuncula de Christo, quòd hæc agno

rum holocausta non fuerint nisi adumbrationes & conciones de Christo Iesu. Hic enim uerus est agnus, cuius sanguis expiat peccata, & mũdat nos à peccatis. Deinde Ioannes nõ solum exponit, uerumetiam reponit seu abrogat hac concione omnia sacrificia legis. Cùm. n. is agnus, nimirũ Iesus Christus, qui per iuge sacrificium agnorum adumbratus est, aduenerit, nõ sunt iam necessariæ umbræ. Nam quemadmodum aduenientе sole extinguũtur lucernæ, quarum tantum usus in nocte est, ita aduenięte Christo cesserunt & cessabunt umbræ Legis. Adhæc Ioannes hac concione explicat officium & maiestatẽ Christi. Sicut enim angelus dixit, eum esse Saluatorem à peccatis, ita Ioannes dicit, eum esse expiatorem q tollit peccatum mundi. Nostræ. n. res non sunt in eo statu, ut si haberemus tantum saluatorem mundanũ, possemus nos ipsi nostris uirtutibus consequi salutẽ cœlestem, Sed in eo sunt statu, ut si omnes heroes huius seculi conferrent oĩa sua auxilia, & nos ipsi conferremus omnes uirtutes nostras, nõ tamẽ possemus his seruari à peccato, morte & inferno. Quare necessarius est nobis cœlestis saluator: & talis est Iesus Christus, qui uenit in hunc mundum, nõ ut esset mũdanus heros, sed cœlestis liberator: nõ ut dominaretur super externa regna, iuxta externã maiestatẽ, sed ut dominaretur super peccata, & aboleret peccata. His enim seruatis, nihil prodest externa fælici

tas,

tas, his autem abolitis nihil nocet, uel afflictio corporalis, uel etiam mors ipsa. Præterea Ioannes hac conciuncula nõ abrogat tantum sacrificia legis, sed damnat etiam opinionem hypocritarum, adeoq; totum Papatum de meritis operum suorum. Nã hypocritæ quicquid boni fecerint, putant esse expiationem peccatorum. Et dicunt de operibus suis: Ecce hi sunt agnus Dei, qui tollunt peccatum mundi. Ioannes autem de Christo ait: Ecce Agnus Dei etc. Cum igitur Ioãnes testimoniũ habeat ueritatis, certe hæc concio Ioannis arguit impietatis oẽs hypocritas. Postremo uaticinatur etiã hac cõcione de morte et resurrectione Christi. Cùm n. uocat agnũ sacrificio destinatum, significat eum effusurum sanguinẽ suum. Cùm aũt dicit, eum tollere et auferre pcã, significat eum à morte in uitã & regnum suum cœleste resurrecturum. Non n. uicisset peccatũ, nisi uicisset mortẽ. Quare cùm dicit, eum uicturũ peccatum, pspicuè docet, eum etiã mortem uicturum. Sed quod peccatum tollit? Peccatũ (inqt) mundi. Hoc uerbo oĩa peccata simul cõprehendit nullumq; excipit. Quicquid dicitur peccatum mundi, hoc expiauit Christus. Peccatum mundi, est peccatum quod nobiscum in hunc mundum afferimus. Peccatum itẽ mundi, est quod in hoc mundo perpetramus. Oĩa igitur hoĩm peccata à Christo expiata sunt, quia oĩa eorum peccata, sunt peccata huius mundi. Venite (inquit) ad me oẽs qui

laboratis et onerati estis etc. Et: *Christus Iesus uenit pctōres saluos facere. Item: Illuminātem oēm hoiem uenientem in hunc mundum.* Et 1. Ioā. 2. *Non pro nostris tātum peccatis, sed pro peccatis totius mundi. Sed quomodo tollit hoc peccatū? num ita tollit ut liceat nobis agere quod libet? Nequaq̄. Num ita tollit, ut nullū amplius peccatū intra nos sentiamus? Ne sic quidē, quantum attinet ad hoc seculum: sed tollit hoc modo. Primū, quia expiat illud corā Deo, & si credimus in ipsum, tunc etsi peccatū adhuc sentiamus, ita tamen propter Christū remittitur, ut reputemur iusti. Deinde donat nobis cœlestem spiritus uirtutem, ut reliquias peccati expurgemus & benefaciamus: & quanquàm nec hæc opa sint perfecta, tamē quod est in eis bonum, hoc gratum est, quod autem est imperfectū, hoc propter Christum ignoscitur. Qui autem in peccatis & in carne ambulat, hic non habet spiritum Christi, nec est Christi, ut ait Paulus. Habes concionē Ioannis de agno Dei, quæ etsi breuissima est, tamen continet totā doctrinam Euangelij, et est ueritas confirmata cœlesti signaculo. Nam Deus reuelauit Ioanni spūm sanctum, qui in specie columbæ descendit super Christū, & testatus est, q̄ hic Christus sit agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & q̄ per fidem in eum habeamus uitam æternam, Amen.*

IN DIE EPIPHANIAE

Euangelium Matthæi 2.

Cum



CVm ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iudęæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriẽ te uenerunt Hierosolymam, dicẽtes: ubi est qui natus est rex Iudæorum? uidimus.n. stellã eius in Oriente, & uenimus adorare eum.

Audiẽs aũt Herodes rex, turbatus est, & oĩs Hierosolyma cũ illo.

Et congregãs omnes Príncipes sacerdotũ & scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nascerẽtur. At illi dixerunt ei: In Bethlehẽ Iudææ. Sic. n. scriptũ est per Prophetã: Et tu Bethlehẽ terra Iuda, nequaq̃ minima es in príncipibus Iuda: Ex te em̃ exiet mihi dux, qui regat populum meum Israel.

Tunc Herodes clàm uocatis Magis, diligenter didicit ab eis tẽpus stellę quæ apparuerat eis, & mittens illos in Bethlehẽ, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, ut et ego ueniens adorem eum.

Qui cùm audissent regem, abierunt. Et ecce stella quã uiderant in Oriẽte, antecedebat eos, usq; dum ueniens staret supra ubi erat puer. Vidẽtes aũt stellã gauisi sunt gaudio

dio magno ualde. Et intrantes domũ, inuenerũt puerũ cũ Maria matre eius, & procidẽtes adorauerunt eũ. Et apertis thesauris suis obtulerũt ei munera, aurũ, thus, & myrrhã. Et respõso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliã uiã reuersi sunt in regionẽ suam.

HOMILIA PRIMA, DE VOCATIONE Gentium, habita anno 1539.



Elebramus hodie memoriã Magorum, qui admoniti stella, uenerunt ex Orientali regione ad Hierusalẽ, ut Christum recẽs natum quærerent, atq; adorarent. Hi autem Magi optimè de nobis meriti sunt, ut honestissimam ipsorum mentionem in Ecclesia faciamus. Cùm.n. originẽ suam duxerint non ex Iudæis, sed ex Gentibus, & primi ex Gentibus non tam Christum natum agnouerint, quàm ab ipso agniti sint, manifestum est q. fuerint primitiæ Gentium, & publicè demonstrauerint, non solum Iudæos, uerumetiam Gentes, in quarum numero etiam nos continemur, ad Christum pertinere. Quare cum hi Magi primi fuerint, qui Christum post nati-

uitatem eius agnouerint & quæsierint, ac per hoc nobis aditum ad Christum aperuerint, haud immerito fit, ut publicã eorum memoriã honestè celebremus. Porrò uocatio Gentium ad Christum nõ est minimum inter maxima et præcipua Dei opa in hoc seculo. Multa.n. sunt quæ uidentur significare, q. Gentes incircũcisæ non pertineant ad Christũ. Primum, quia ex oĩbus Gentibus soli tantũ Israelitæ electi erant in populũ Dei. Deut. 7. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, q. sunt super terrã. Et Amos 3. Tantummodo uos cognoui ex oĩbus cognationib. terræ. Deinde Christus erat promissus tantũ ex semine Abrahæ & Dauidis, nõ ex patribus et regibus Gentiũ. Adhæc, solis tantũ Israelitis erat lex Dei publicis miraculis data. Postremo Gẽtes iãdudum defecerãt à uero Deo, & sectabãtur publicas impietates. Igitur soli Iudæi uidebãtur ad Christum ptinere. Nam affirmare Gentes incircũcisas etiã ad Christũ pertinere, et beneficijs eius frui posse, nihil aliud erat, q̃ si quis cõferret uirũ sanctißimũ cũ hoĩe sceleratißimo, et diceret sceleratißimũ nõ minus dignũ esse fœlicitate, q̃ sanctißimũ. Quid hoc absurdius dici uideretur? Et Christus in Euangelio Matt. 20. facit nouißimos æquales primis, q. portauerũt pondus diei & æstum, id quod apparet mercenarijs iniquißimũ. Sed ea parabola significatũ est, Gẽtes incircũcisas nõ minus iustitiæ con

secuturas

secuturas in Christo, q̃ Iudæos obseruatione legis ho nestißmos. Cũ igitur uocatio Gentiũ ad Christum, sit unum ex maximis opibus Dei in terris, neceßitas ipsa exigebat, ut magnis adeoq; cœlestib. miraculis inchoaretur, et cõfirmaretur, ut nos q ex Gentibus sumus, probè certificaremur, q Christus etiã, adeoq; maximè oĩm ad nos ptineret. Primũ ergo cũ Dominus post natiuitatem Christi filij sui inchoare uellet uocationem gentiũ, inchoauit eã magnis miraculis. Creauit.n in Oriẽtali regione nouã stellã, & excitauit p eam Magos, ut suscepta lõginqua profectione, quærerent Christũ, et adorarent ipsum. Profectis ergo Magis in Hierusalẽ metropolim Iudææ, & edoctis illic è Propheta Micheæ de loco natiuitatis Christi, postquàm Hierosolymã egreßi sunt, aliud cõtigit miraculum: Stella.n. quam uiderãt in Oriente, iterũ appáret eis, et præcedebat eos, donec progressa staret supra locũ in quo erat puer. Admiramur Cometas, q etsi sunt et ipsi miracula Dei, tamẽ habẽt quasdam naturales & ordinarias causas. Multo plus aũt hæc stella admirãda est, quæ nullã planè naturalem causam habuit. Sed accedit huc etiã aliud miraculũ. Nam cùm Magi adorassent Christum, et obtulissent ei munera, admoniti sunt per angelos in somnis, ne reflecterent ad Herodem. Angelorum apparitio ingens certè miraculũ est. Habes quibus miraculis uocatio Gentium inchoata est. Deinde uideamus quan

tis miraculis postea confirmata sit. Nam cum Christus externo suo ministerio non esset missus, nisi ad oues perditas Israelis, non uulgatũ est Euangelium de Christo publicè inter Gentes, nisi post missum spiritum sanctum. Ibi tum iterum magnis miraculis uocatæ sunt Gentes ad Christum. Primum.n. Angelus apparet Cornelio Cẽturioni ethnico, et iubet uocare Petrum. Deinde Petrus iubetur uisione ad Gẽtes accedere, & assumere eas in cõmuntonem Euangelij Acto. 10. Adhæc cùm Petrus primã concionem apud Gentes haberet, priusquàm finiret eam, cecidit spiritus sanctus super eas, quẽadmodum super Apostolos in die Pentecostes. Postremo publico Apostolorum concilio collatis tam testimonijs & oraculis Prophetarũ, quàm miraculis inter Gentes editis decretũ est, ut Gentes abq; Circumcisione, hoc est, Lege Mosi, assumerentur in communionem Euãgelij. Quod ergo in Magis hodierno die inchoatũ est, hoc cœpit postea uulgari p Apostolos, & durabit usq; in fines seculorum, ut Gentes incircumcisæ uocẽtur per Euangeliũ ad Christum. Atq; adeo historia, quæ in Matthæo extat de Magis, haud obscurè significat Gentes maximè omnium pertinere ad Christum, Iudæos aũt à Christi beneficijs excludendos. Nam cùm Magi uenissẽt ad Hierusalẽ, & quæsiuissent de Christo, responsum quidem ipsis est ex Propheta, q; locus Natiuitatis Christi sit Bethlehem, attamẽ nullus

ex

rx Iudæis seu principibus seu uulgaribus profectus est unà cum Magis ad quærendũ & adorãdum Christum. Fecerunt quod statuæ mercuriales solent: hæ enim uiatoribus monstrant quidẽ iter, sed ipsæ nusquam proficiscuntur, & immobiles manent: ita isti Pontifices indicãt quidem locum in quo Christus est natus, sed non comitãtur Magos. Atq; hoc fecerunt partim cõtemptu Christi, partim timore & uenerationе Herodis, cui magis placere uolebãt, quàm uocationi Domini Dei sui obedire. Hoc igitur mitium fuit quo Iudæi Christum deserunt, ad retinendum fauorẽ regis sui, Sed hac impietate meriti sunt, ut non solum respublica eorũ dissiparetur, & terra eorum deuastaretur, sed etiã amitterent omnem cœlestem salutem. Hoc est supplicium eorum, qui ad obsequendum principibus deserunt aut abnegant Christũ, et non obediunt uocationi Dei. At quanto longius Iudæi à Christo recesserũt, tãto nobis propius ad Christum accedendum est. Videmus.n.q; omnia, tam terra quàm cœlum, uocẽt nos ad hunc Christum, & iubeant nos hunc saluatorem sectari. Primum Angeli cœlestes apparent pastoribus, & ostẽdunt eis Christum. Deinde stella uisibilis in Orientali regione uocat ad Christum. Adhæc Prophetæ atteſtãtibus ipsis Scribis & Pontificibus in Hierusalem testificantur de Christo, quemadmodum historia Magorum indicat. Præterea Simeon & Anna, hoc est, uiri & mu-

lieres de hoc Christo testificantur. Deinde Pater de cœlo unà cum spiritu sancto ad hunc Christum uocant. Postremo Apostoli hunc Christum nobis proposuerunt, & miraculis confirmârunt. Breuiter cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt, uocant nos ad hunc Christum, ut eum Saluatorem nostrum agnoscamus. Porro non sufficit Christum ita tantum agnoscere, ut unam tantum aut alteram concionem de ipso audiamus, sed requiritur ut fide in ipsum cõcepta, sectemur eum exemplo Magorũ pro nostræ uocationis modo. Magi enim derelicta impietate, sectati sunt Christum è longinqua regione, & oblatis thesauris suis, non reuersi sunt per priorem uiã ad regionem suam. Sic & nostra interest. Primum, ut postquam Christum fide agnouimus, sectemur uocationem eius. Vocat autem nos ad pœnitentiam, uocat ad dilectionem proximi. Deinde ut offeramus Christo thesauros nostros, hoc est, ut Christus solus sit thesaurus noster, & pro sola ipsius uoluntate administremus bona quæcunq; collata sunt. Postremo ut non reuertamur ad Herodem, hoc est, non redeamus ad uocationẽ satanæ ad uiam peccatorum. Nam ut Petrus ait: Qui reuertuntur ad peccata, similes sunt canibus reuertentibus ad uomitum, & suibus uolutantibus post lotionem in cœno. Et Christus ait: Posteriora peiora erunt prioribus. Nam quemadmodum qui post sumptam à medico uentris purgati

onem

onem immoderatè uiuit, maiorem sibi asciscit morbum: ita qui post acceptam remissionẽ peccatorum iterum labuntur in peccata, coniiciunt se in periculosa discrimina. Fiunt enim impudentes contemptores & indolentes, ut nõ amplius de resipiscentia cogitent. Quare pareamus monitis Apostolicis, ut nõ reuertamur ad pristinã peccatorum uiam, sed pergamus in uia omnium uerarum uirtutum, quæ nos ducunt ad perpetuã fœlicitatem in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA SECVNDA, QVOMODO Christo omnia seruiant, habita anno 1542.

CVm Dominus noster Iesus Christus sit thesaurus omniũ diuinorum & cœlestium bonorum, ac uenerit in hunc mũdum, ut nos tanti thesauri participes redderet, necessarium fuit, ut in aduẽtu suo pspicuè reuelaretur, ac publicè manifestaretur. Quid. n. prodest thesaurus abscõditus, & omnibus occultus? Quare initio cum homines tacerent in Natiuitate Christi, ac nullus Christũ agnosceret, Angeli prædicant eum Pastoribus, Pastores accedunt & adorant eum. Et cum iterum altum esset silẽtium de Natiuitate eius, nec quisquam in terris, uel prædicaret Christum, uel accederet ad

eum, ut adoraret Christũ, tunc emicuit stella in cœlo, quæ significauit Magis in Oriente Christum esse in Iudæa natum. Qua occasione reuelatus est etiam Põtificibus Hierosolymitanis & Regi Herodi, ut & ipsi discerẽt Christum agnoscere et adorare ipsum. Nam de Christo scriptum est Psalm. 8. Oĩa subiecisti sub pedibus eius. Et Psal. 71. Adorabunt eum oẽs Reges, oẽs Gentes seruient ei. Et Esa. 60. Venient ad te curui filij eorum, qui te humiliauerunt, & adorabunt uestigia pedum tuorum. Videamus igitur in hodierno Euangelio, quomodo Christus etsi pauperrimus et calamitosus uidetur, oĩa tamen sibi subijcere inceperit, ut ipsi omnia seruirent, & opam suã conferrent, quo maiestas illius reueletur & promoueat. Hodiernum. n. Euangelium testatur nobilissimas omnium corporalium creaturas, tam in cœlo quàm in terra, incœpisse Christũ colere, Christo seruire, & gloriam eius illustrare. Ac primum, Quid inter corporales creaturas nobilius & illustrius est in cœlo, quàm stellæ? Ecce aũt stella fit cõcionatrix Christi, & significat ex diuina ordinatione Magis Oriẽtalibus Christum natum esse, ac ducit eos in Bethlehẽ. Cùm igitur stella cœperit Christo seruire in Natiuitate eius, & ostenderit Magis uiã ad Bethlehem, manifestum est stellas in hoc à Deo præcipuè conditas, ut seruiant maiestati Christi. Multi eruditi uiri exquisierũt magno studio cursus stellarum in cœlo,

& in

& in hanc curã incubuerunt noctesq; diesq;, ut scrutarentur motus cœlestium corporum. Etsi autem deprehenderunt aliquam certitudinem cursus & motus eorum, ita ut possint etiam multis annis prædicere, quando futura sit Eclipsis Lunæ aut Solis, quãdo congressus aut oppositio aliorum Planetarum, attamen ea scientia nondum perfecta est et absoluta, donec peruenerimus ad cognitionem Christi. Nã & hi Magi fuerunt in Astronomia doctissimi, hactenus tamen nũquàm satis discere potuerunt, nisi postquàm cognouerunt Christum per stellã, & adorauerunt eum. Itaq; sentiendum est, q. in hac stella, quæ Magis reuelauit Christum, cœperunt oẽs stellæ cœli Christum uenerari, & obedientiam suam erga illum declarare. Deinde in Gentibus Orientalibus præcipui & honestissimi habiti sunt Magi, Ex his quondã eligebantur Reges in Persia, Hi erant doctores religionis ac sacrorum inter Gentes. Cùm igitur omnia subijciantur Christo, & seruiant ei, uenitũt etiã Magi post Natiuitatem Christi, & conferunt operã suam ad reuelandam maiestatẽ Christi: prædicant enim in Hierusalem de Christo, & publicè significãt se adoraturos ipsum. Adhæc, inter Iudæos, quod ad Religionem attinebat, summi ac præcipui habebantur Sacerdotes & Pontifices. Ecce autem etiã hi seruiunt Christo, ut maiestas eius reueletur. Interrogati enim ab Herode de loco Natiuitatis Christi, citãt

uaticinium Micheæ. Etsi aũt perinde accidit his põ tificibus, quod statuis ut uocant mercurialibus, quæ indicant uiam, quò ipsæ nunquàm perueniunt: Idem etiã accidit eis quod coti, quæ reddit ferrum acutũ, cùm ipsa sit exors secandi. Hi.n. Pontifices demonstrant quidem locũ Natiuitatis Christi, sed nullus eorũ comitatur Magos, ut ipsum adoret: ideo etsi ipsi nullum fructũ Christi capiant, tamẽ officium & cõcio eorum cedit in gloriã & reuelationem maiestatis Christi. Itaq; seruiunt Christo nolentes & contẽnentes. Pontificum status & ordo maximo sumptu conseruatus fuit inter Iudæos. Sed si nihil aliud boni fecissent, tamen hoc officium quod in hodierno Euãgelio præstant Christo, satis dignum fuit tanto sumptu. Præterea nihil inter scripta excellentius est sacra scriptura. Vides aũt & illam in Christum tantũ respicere, & Christo seruire. Non solum.n. Micheas, quem citant Pontifices, de Christo loquitur, sed tota scriptura eò tendit, ut reuelet nobis maiestatẽ Christi in salutem nostrã. Hîc autem priusquàm pgamus, uide mihi mores huius seculi. Hierosolymitani expectârunt iam multis seculis Christum, nũc autem cùm adnunciatur uenisse, nullus ciuium quærit ipsum cum Magis, quia Herodes persequebatur regium genus Dauidis. Etsi igitur Magi indicant Natiuitatem eius, & Pontifices indicant locum Natiuitatis è Scriptura, tamen quia nec Rex, nec Pontifices

proficis-

proficiscuntur ad Bethlehem, sed potius persequuntur, ideo timore supplicij malunt contemnere Christum quàm suam salutẽ quærere. Hi sunt mores vulgi. Sequuntur eam Religionem quæ tuta uidetur. At Christus ait: Qui me confitetur coram hoĩbus, confitebor & ego illum coram Patre meo, qui est in cœlis. Et quisquis negáuerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo, qui est in cœlis. Postremo inter homines nihil uidetur excellentius regia potentia & maiestate. Cũ igitur Christus in hoc seculum aduenirent, etiã Reges inceperunt ipsi seruire, quamuis ignorãtes ac etiam nolentes. De Augusto nuper diximus, q̃ sua exactiõe seruierit Christo in hoc, q̃ hac occasione Maria peruenit ad Bethlehẽ, & peperit ibi Christum, quo impleretur prophecia Micheæ. De Rege autem Herode docet hodiernum Euangelium, quomodo seruierit Christo. Sed inquis, Hæccine est seruitus, q̃ conatur Christũ occidere, & postea occidit pueros Bethlehemiticos? Hæc magna quidem est crudelitas, et Herodi pernicioſissima, attamẽ Christus tam industrius est, ut potuerit hac crudelitate ad gloriã nominis sui uti. Herodes enim hac sæuicie insigniuit tempus Natiuitatis Christi: Quo factum est, ut multo plures tẽpus illud adnotauerint, quàm si Herodes edicto quodam Christum natum commendasset. Quare manifestum est, q̃ & si Christus natus est in summa pauperiate

& miseria, tamen nobilissimæ quæq; creaturæ in cœlo & in terra statim in Natiuitate eius cœperũt ipsi seruire, & auxiliũ suum ad reuelandã maiestatem eius conferre. Sed nec illud prætereundum est, q. Magi ex Oriente offerunt Christo aurum, thus & myrrham. Admiranda res. Propter Christũ terra Canaã data erat Israelitis, & tamen non conceditur ei angulus aut honestus locus in Natiuitate sua. Propter Christum institutus erat Pontificatus & Sacerdotium Leuiticum, cui etiam cedebant primitiæ, decimæ, & alij prouentus, & tamen Christo nato nec unam quidẽ spicam conferunt. Propter Christum institutũ erat Regnũ Israel, & tamẽ cùm aduenisset, tantum abest ut rex ei uel uillã concedat, ut potius insidietur uitæ eius. Hoccine est Christo seruire? hoc cine est Christo oĩa subijcere? Certè hoc ipsum est. Propter hanc. n. paupertatẽ meretur Christus sublimitatẽ super omnes cœlos, & consequitur nomẽ, quod est super omne nomen. Hæc paupertas est uia ad consequendam subiectionem omnium rerum. Et tamen nec externus ei honor aut uictus deest. Quia cùm cessarent sui, & uicini, uenerunt alieni, uidelicet, Magi è longinquo, qui attulerunt ei munera, quibus inopiã suam sustentaret. Cæterùm, quod de Christo dictum est, uidelicet, omnia ipsi subiecta esse, & præcipuas creaturas huius seculi statim exhibuisse ipsi obsequium pro suo modo & ratione primi

aduentus,

aduentus. idem etiam sentiendum est de Christianis. Nam impetrauit ut quotquot in ipsum credunt, filij fiant Dei, & cohæredes ipsius. Ergo sicut Deus ipsi omnia subiecit, ita subijcit etiam credẽtibus omnia. Non est autem talis subiectio intelligenda, quæ constet externa maiestate, sed quæ constet uera salute. Nam ideo dicũtur pijs omnia subiecta, quia cùm sint in Christo, omnia etiã aduersa cedunt ipsis in bonũ. Crudelitas Herodis, crudelitas crucifixorũ Christi, fuit quidem abominabilis et horribilis, attamen fuit subiecta Christo, & seruiuit ipsi ad summã salutem. Sic & de nobis dicẽdum est, Morbus, paupertas & mors sunt aduersa, attamẽ per Christum sunt nobis subiecta, & seruiunt nobis. Nam initiò creaturæ omnes creatæ sunt ad gloriam filiorum Dei. Etsi autem peccatum inuertit hanc ordinationem, attamẽ quia Christus abstulit peccatum, ideo nunc iterum seruiunt nobis omnes creaturæ, suo modo, & pro ratione fidei, donec uera & æterna maiestas nostra in Christo reueletur in nouissimo die. Quare cùm omnia seruiunt Christo, debemus & nos ipsi seruire, ut omnia etiam nobis seruiant ad perpetuam salutem, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

PRIMA DOMINICA POST Epiphaniæ, Euangelium Lucæ 2.



CVM factus esset Iesus annorū duodecim, ascēdentibus illis Hierosolymam secundū consuetudinem diei festi, consummatisq; diebus cū redirēt, remānsit puer Iesus in Hierusalē, & nō cognouerūt parētes eius, Existimātes autē illū esse ī comitatu uenerūt iter diei, & requirebāt eū inter cognatos,

tos,& notos. Et nõ inuenientes,re
greſsi ſunt in Hieruſalẽ, requiren
tes eum. Et factum eſt,poſt triduũ
inuenerunt illum in tẽplo,ſeden-
tem in medio doctorũ audientẽ il
los,& interrogantẽ eos. Stupebãt
aũt oẽs q eũ audiebãt,ſup pruden
tia & reſpõſis eius. Et uidentes ad-
mirati ſunt. Et dixit mater eius ad
illũ: Fili,qd feciſti nobis ſic? Ecce
pater tuus & ego dolentes q̃reba-
mus te. Et ait ad illos: Quid eſt,q̃
me q̃rebatis? neſciebatis qa in his,
quę Patris mei ſunt,oportet me eſ
ſe? Et ipſi nõ intellexerunt uerbũ
q̃d locutus eſt ad eos. Et deſcẽdit
cum eis,& uenit Nazareth:& erat
ſubditus illis. Et mater eius conſer
uabat oĩa uerba hæc in corde ſuo.
Et Ieſus proficiebat ſapiẽtia & æta
te,& gratia apud Deum & hoĩes.

HOMILIA PRIMA, DE Educatione puerorum, habita anno 1542.



Actenus diximus quædã de infantia Christi, quòd natus sit in Bethlehem: q; uisitatus à pastoribus & adoratus: Quòd octauo die sit circumcisus: q; & sit uisitatus à Magis Oriẽtalibus, & muneribus donatus. Reliqua adhuc sunt fuga in Aegyptum, & reditus ex Aegypto. Etsi. n. ab infantia eius usq; ad duodecimum ætatis suæ annum multa de ipso contigerunt, Euangelistæ tamen adnotârunt tantum insigniora, & festinant ad describenda ea quæ Christus gesſit, postq̃ baptisatus est à Ioanne, & inchoauit officium suum prædicandi Euangelij. Accedit huc q; Lucas paucis omnia de infantia & puericia Christi cõprehendit, cùm dicit: Puer succrescebat corroborabaturq; spiritu, & implebatur sapientia, & gratia Dei erat super illũ. Omissis igitur nunc omnibus alijs dicamus de adolescentia Christi, quid de ipso gestum sit cum esset duodecim annorũ. Ibant (inquit) parentes eius quotannis Hierosolymam in die festo Paschæ. Et ascendit etiam Iesus iam duodecim annorum cum ipsis. Etsi. n. sciebãt ipsum conceptum è spiritu sancto, & succrescere non sceleribus ut alij pueri, sed spiritu sancto, tamen assuefaciunt parentes ipsum seruare publicas legis

legis ordinationes. Et hac occasione dicenda nobis sunt pauca quædam de puerorum educatione. Nam publica nũc est querela de immodestia puericiæ & adolescentiæ. Aiunt adolescentiã non posse nunc ullis uinculis retineri & compesci, Ac ita degenerare homines, ut quod hodie nascitur peius sit, q̃ quod heri natum est. Quare dicendum nobis est de puerorum institutione. Ac id paucis quidẽ dici potest, sed obsequium est tardißimum. Præcipua enim & optima puerorũ institutio est parentum & maiorũ honestas et pietas. Hae institutione nihil est melius. Nã q̃ hoc tempore adolescentia non possit corrigi & compesci, hinc adeo accidit, q̃ parentes & maiores natu non possunt corrigi. Et quòd adolescentia subinde peior fiat, parentes & maiores natu in causa sunt, qui adolescentiam subinde peioribus exemplis corrumpũt. In multorum enim parentum uita, nec reperies ciuilem honestatem, nec Christianam pietatem. Parentes domi suæ loquuntur aut uerba blasphema seu maledica, aut fœda, aut turpia, aut cõuiciatoria, aut detractoria aduersus proximum & uicinum suum. Præterea tractant negocia sua malicio se, mendaciter, imponunt quibusuis, item inebriantur, tumultuantur, & nihil non sceleris admittunt. Quod autem ad religionẽ attinet, domi ne uerbum quidẽ auditur ab ipsis de Deo, de Christo filio Dei, de uera Religione, nisi si quãdo execrantur & ma-

ledicunt. Tunc.n. aliquoties faciunt mẽtionem Paßi onis Christi, sed impijßimè. Adhæc malè loquũtur po tius de Religione, & non uerentur publicè in fami lia dicere, nugas esse quæ in Ecclesia & in concione dicuntur. Iam nec ipsi magnam curam habent audi endi uerbi Dei, nec hoc agunt ut pueri audiant & erudiantur. Quare ut puericia & adolescentia re ctè instituatur, prima omnium cura debet esse parẽ tum & maiorũ, ut ipsi semper & ubiq;, præsertim autem in conspectu puerorum & adolescentiæ ho nestam uitam ducant. Pueri.n. apportant secum in hunc mundum nihil nisi peccatũ, in peccatis sunt cõ cepti & nati. Nec faciunt sua sponte bonũ. Nam quẽ admodum agrestis arbor non facit ex se dulcem fru ctũ, nisi domesticus surculus inseratur: ita pueri per se nihil rectè faciunt nisi noua plantatione curẽtur. Parentes autem & maiores natu in hoc à Deo ordi nati sunt, ut sint hortulani domestici & plãtatores. Deus quidem dat incrementum, sed ipsi sunt planta tores & rigatores. Quare necessarium est ut pueri ad bonum à maioribus natu educentur, id quod pri mum omnium fieri debet honesto exẽplo parẽtum. Nam pueri initio ætatis suæ nondum perfectè perci piũt acutas illas disputationes de uirtutibus & gra ues Philosophorum sententias, sed mouentur exem plis. Et cùm sint adhuc rerum omnium imperiti, oĩa maiorum exempla admirantur, nec quicquam tena

cius inhæret memoriæ ipsorum, quàm quod cum admiratione à maioribus natu uiderint et audiuerint. Quare si maiores natu uoluerint instituere pueros ad ueram pietatem, necesse habebũt ante omnia bonis exemplis præire. Multa de hac re dici possent, sed consultius est pauca eáq; obseruatione digna dicere. Itaq; recensebimus duntaxat dictũ Christi, quo deterret maiores natu à præstandis malis offendiculis adolescentiæ. Cùm. n. Christus statuisset puerum in medio discipulorum, & concionaretur de eis, dixit: Qui offendit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspẽdatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Videtur quidẽ loqui de discipulis suis, sed quia puerum adduxit in exemplum, ideo etiam de pueris hoc intelligẽdum erit. Crudele uidetur homicidium, si quis interficit innocentẽ. At Christus quia pronũciat eum, qui offendit puerum, dignũ esse submersione, significat offensionem puerorum grauius peccatum esse homicidio. In diluuio, in incendio Sodomæ, & in aliis publicis calamitatibus, perierunt unà cum parẽtibus & maioribus natu infantes. Videtur aũt hoc iniustum. Atqui duabus de causis non fuit iniustum, q; perierunt unà cum parentibus. Prior est, q; infantes fuerint concepti & nati in peccatis, & meruerint mortẽ. Altera est, q; maiores natu eius seculi fuerint suffocati in impietate et sceleribus. Quare etiã

amsi Deus distulisset supplicium usq; ad adultam infantium ætatem, tamen nulla fuisset spes resipiscentiæ, sed facti fuissent duplo priores. Ita maiores natu trahunt secũ infantes in exitiũ pessimis suis exẽplis. Hæc de exẽplo. Deinde parentes nõ debent tantum ipsi pietatẽ colere & bono exẽplo esse, sed etiam pueros suos omni diligentia ad pietatem uerbis & factis instituere. Nõ sufficit q; parentes non præbeãt malum exemplum pueris, sed requiritur ut etiam corrigant errata eorum, & ad facienda bona ipsos assuescant. Eli fuit honestus uir, sed neglector liberorũ suorum. Itaq; perdidit se & ipsos. Nã Deus dat parentibus pueros, non præcipuè ob id, ut post hos ciues alij sint ciuium successores in terrenis ciuitatibus, sed ut fiant ciues regni cœlestis. Quare danda est opera unicuiq; patrifamilias, ut educet cœlo ciues, & non Satanæ mãcipia. An non uehementer horreres, si quis diceret te educare filium latroni, aut furi, aut incẽdiario? Multo autem magis cauere debes, ne educes Diabolo mancipium, sed potius regno cœlesti ciuem. Id autem fiet, si non sinas pueros tuos peiari, q̃ primum aliquid discere possunt. Iuuẽtus enim nihil agendo discit malè agere, sed ante omnia assuescas ad Orationem, ad Catechismũ, ad conciones, & exigas ab eis quid didicerint. Assuescas etiam ut uisitent scholas. Non omnes quidem possunt in studio literarũ immorari, sed tamẽ puericia tam

capax

apax est, ut priusquàm apta fuerit ad opificium discendum, possit literas, quantum satis est ad legenda sacra, discere. Apud Atheniēses lege fuit sancitum, ut filius non deberet necessaria uitæ subsidia patri, à quo nullā artem accepisset. Quid ergo huic parenti debetur, qui quòd maximè omnium necessarium, uidelicet, doctrinam pietatis non accepit à parente suo, sed tantum discit ab eo pessima quæq; facinora? Nam festa præcipuè instituta sunt, ut liberi à parente discant Religionem. Exod. 12. Cùm te interrogauerit filius tuus: Quæ est ista Religio? Dic ei: Victima trāsitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Aegypto, percutiēs Aegyptios, & domos nostras liberans. Et Deus parentibus benefacit, ut filios erudiant de pietate & uera Religione. Vide pulchrum exemplum de Abrahamo, Gene. 18. ubi Deus reuelat Abrahæ futurum incendium Sodomæ, ut annunciet filijs suis, et doceat eos uerum Dei timorem. Sed hæc apud nos adeo mutata sunt, ut nō sperari possit melior uitæ instituto. Festa consumuntur conuiuijs. Itaq; satis impetratum esset, si saltem parētes mitterent pueros suos ad publicas cōciones, & exigerēt domi q̄d didicerint. Si malè cesserit bona educatio, parens liberat suam animā, ut est apud Ezechielem. Hæc de puerorum institutione pauciß mis, uidelicet, ut maiores natu instituant pueros tū bonis exemplis, tum etiam operibus ad pietatem, ut

pueri non fiant tãtum ciues in terrenis ciuitatibus, sed etiam ciues regni cœlestis. Pergamus in Euangelio. Iesus remansit Hierosolymis, Mater & Ioseph quærunt ipsum maximo animi dolore, ac uerisimile est, Mariæ uaria incidisse. Quid? quis hunc puerum magnopere desideraret? Quas curas, quas molestias non pertulisti hactenus eius nomine? Præsepe, Fuga in Aegyptum, Exilium, et multa alia exhibuerũt mihi maximos labores, afflictiones & alia. Hîc agnoscẽda est hominum importunitas in habendis aut carendis liberis. Deus.n. distribuit dona sua, prout cuiq; uisum est. Alteri dat liberos, alteri negat liberos in suo coniugio. Et utriq; benefacit, Et tamen neutra pars contenta est sua sorte. Adeoq; uerum est quod Eccles. 7. dicitur: Solummodo hoc inueni, q. fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstiõibus. hoc est, Deus unicuiq; largitur, quæ ipsi sunt commoda, sed nullus est cõtentus diuino dono. Itaq; implicat se multis molestijs, et sibiipsi detrimentum facit. Sic & fieri solet in habendis & carendis liberis. Qui carent liberis, putant summã esse fœlicitatem habere liberos. Qui habent, existimant se fœliciores fore in hoc mundo si non haberent. Quantis molestijs (inquiunt) carerem, si carerem liberis? Idem conqueruntur & hi qui carent liberis. Quantis molestijs carerem, si haberem liberos? Idem fortasßis utraq; parte sensit Maria. Nunc mallet carere filio,

filio, ne necesse haberet tam multa aduersa nomine eius ferre. Nunc si careret, putaret sibi nō esse uiuendum. At si quis uoluerit habere tranquillitatem, necesse habet à se has quæstiones & querelas abijcere. Ac illi quidem quibus Deus nō concessit liberos, suū habent solatium, q̄ liberos habere non sit necessarium, nec ad iusticiam, nec ad fœlicitatē cœlestem consequendam. Qui autem habent liberos, etsi molestias capiunt ab eis, Primum tamen cogitare debent, q̄ non debeant delicatiorem uitam inter suos pueros habere, quàm parentes Christi cū suo puero. Vide quot illi molestias accipiūt? Tu igitur patiēs esto in perferēdis molestijs tuorū puerorum. Deinde cōspicienda sunt & considerāda epitheta, quibus spiritus sanctus ornat multitudinem puerorum. Vocat enim eam Benedictionem. Sic in Gene. 1. & 12. item Psal. 127. Magis credēdum est uerbo Domini, quàm nostro sensui. Et certum est, q̄ qui pauperes sunt & pueros habent, tunc uerè pauperes essent, cùm carerent pueris. Minus enim clementius apud homines alimenta consequerentur. Quare multitudo liberorum habenda est pro benedictione, & in ea sese ita gerendum, ut hac benedictione fruamur. Postremo Christus manens Hierosolymis, non ingreditur aulā Regis, sed templum: non init externū certamē cum fortiequite, sed disputat et docet. Quo significat, Regnum suum in hoc mundo non constare externa pō

pa, sed doctrinâ. Nunc enim docetur Euangelium, ut illustretur Regnũ Christi uerbis: Qui capit capiat, Qui non capit, is nihilo infœlicior uidetur, Sed tandem reuelabitur suppliciũ impietatis. Quare danda nunc est opa, ut doctrinam Euangelij sectemur, quo ueram fœlicitatẽ assectemur in Christo Iesu Domino nostro, q̃ est Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA SECVNDA, DE REDITU ex Aegypto, Euangelium Matth. 2. habita anno 1545.

DEfuncto Herode, ecce Angelus Domini in somnis apparet Ioseph in Aegypto, dicẽs: Surge & assume puerum & matrem eius, & uade in terram Israel &c.

INstituti sunt hi Natalicij dies, ut publicè in Ecclesia de Natiuitate Christi & infantia eius dicamus. Cùm igitur nuper audiuerimus de Circumcisiõe Christi, et de fuga eius in Aegyptum propter sæuiciam Herodis, audiamus nunc de reditu eius in terram Israel. Euangelistæ aũt paucissimis perstringunt infantiã & adolescentiã Christi, et quid Christus in his ætatis suæ gradibus egerit.

Dicunt

Dicunt enim: q profectus sit cum parentibus suis in Nazareth, & obedierit eis. Sed non fit sine causa, q Euangelistæ tam pauca de infantia & adolescentia Christi scribunt. Primum. n. susceperunt tantum officium eius describendum, quo publicè prædicãdo & edendo miracula defunctus est. In puericia autem nihil gesit pro publico officio, sed tantum domestica & ciuilia negocia egit pro more aliorum adolescentulorum, absq; tamen peccato, nisi q duodecimo anno ætatis disputauit cum doctis Hierosolymæ. Deinde cauit spiritus sanctus ne gesta puericiæ Christi describerentur, ut non daretur occasio Hypocritis, ex illis puerilibus operibus instituendi Monasticos ordines. Sicut. n. corpus Mosi ablatum dicitur, ne Iudei instituerent idolatriam: ita uerisimile est spiritum sanctũ effecisse, ut obscura manerent gesta puericiæ Christi, propter hypocritas & superstitiosos Monachos & sacrificulos. Nã si scriptũ esset, q collegisset matri sarmenta ad ignem fouendum, instituissent superstitiosi ordinem, in quo non nisi sarmenta colligenda fuissent. Quare utile est Ecclesiæ, ut nihil gestorum Christi in puericia & adolescẽtia extet. Nos igitur nõ inquiremus nunc, quid Christus in Aegypto egerit (fuit. n. in Aegypto quinq; ferè annis, sed ut alij sentiunt septem annis) Sed audiamus quanta cura Angeli eum obseruauerint & custodierint: audiamus quid angeli de hoc puero fecerint po

tius quàm quòd ipse fecerit. Magna.n. semper fuit cu ra Angelorum de hoc puero iam inde ab initio. An gelus adnunciat conceptionẽ Ioannis Baptistæ pro pter hunc puerum. Angelus adnunciat Mariæ cõce ptionem huius pueri. Angelus hortatur Iosephũ ne abijciat Mariã prægnantem. Angelus adnunciat pa storibus Natiuitatem huius pueri. Monet Magos ne reuertantur ad Herodẽ. Monet Iosephum ut fugiat in Aegyptum. Monet Iosephum, ut redeat in terrã Israel. Monet etiã, ut diuertat in Galilæam. Adeoq; maximã ubiq; est cura Angelorum de hoc infante, & tamen infans nihil melius habere uidetur. Tam pauper est ut reclinetur in præsepi. Tam impotens uidetur ut fugiat persecutorem, atq; adeo omnibus calamitatibus expositus est. Primum igitur, cura an gelorum pro hoc puero manifestum argumentum est, q; hic puer uerè sit Dominus angelorum. Non.n. extat in scriptura, q; angeli tãta sollicitudine alium quendã curauerint, etsi etiã Lotho & Iacobo appa ruerint angeli, Sed lõgè amplius solliciti sunt de hoc puero. Quare perspicuum est hunc puerum esse ue rè Dominum angelorum & Patriarcharum. Deinde non est sentiendum, q; angeli tantum de hoc puero sint solliciti, uerum etiam propter hunc puerum sunt solliciti pro omnibus pueris, qui per Baptismũ huic puero sunt incorporati. Hoc diligenter est con siderandum. Multi enim dicunt: Quid? Angeli fue-

runt

runt ſolliciti pro puero Ieſu. Sed quid hoc me aut meos pueros iuuat? Alij ſentiunt, q; ſi cõtingat ipſis multitudo puerorum, putent ſibi contingere maledicti onem. Dicunt de pueris, Hæc fortuna eſt meum magnum infortuniũ. Similiter in cõiugijs contrahendis, uiduas ſteriles ambiunt, propterea q; exiſtimãt magnum beneficium eſſe nullos habere liberos, & magnũ incõmodum multos habere liberos. Sed hodiernũ Euangeliũ aliud nos docet, uidelicet, q; ubicunq; ſit multitudo infantium Chriſtianorum, ibi ſit etiam multitudo angelorum. Nam uidemus quanta ſollicitudine angeli curent pro infante Ieſu. Si autem pro hoc infante curant, certè ſuſcipiunt etiam curam eorum infantium, qui huic puero ſunt incorporati. Incorporantur autẽ infantes Chriſto per Baptiſmum. Quare ſunt etiam pro baptiſatis infantibus ſolliciti. Dicit. n. Chriſtus ipſe de pueris: Angeli eorum uidẽt faciem Patris mei, qui eſt in cœlis. Et Hebr. 1. Omnes angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus, qui emittuntur propter eos qui hæredes ſunt ſalutis. Quare ſentiamus, q; ubi ſit multitudo liberorũ, ibi etiã ſit multitudo angelorum. Adhæc, ſcriptura ubiq; uocat pueros benedictionẽ Dei. Benedixit (inq;) Deus. Quomodo? Creſcite & multiplicamini. Et cũ Deus uellet benedicere Abrahamo, ait: Multiplicabo ſemen tuũ ſicut ſtellas cœli & arenã maris. Benedictio aũt Dei adminiſtratur per angelos. Quare ubicũq; eſt multitudo

puerorum, ibi etiã est multitudo Angelorum. Nãq; infantes non sunt considerandi secundum suos fletus & fœtores, sed secũdum uerbum Dei, secundũ Christum, cui sunt incorporati. Hæc idcirco nobis cõmemorantur, non ut parentes discant ignauiã, & reijciant omnem curã puerorum in Angelos, sed ut præcipuè de duabus rebus admoneantur. Altera, ut parentes concipiant fidem erga Deum in multitudine puerorum, ne diffidant in egestate aut alijs calamitatibus. Altera, ut excitentur ad maiorẽ habendam curã de pueris suis. Etsi. n. in multitudine puerorũ, multi sunt Angeli, tamen etiam ibi multi sunt Diaboli, qui pugnant cum Angelis. Cauendum igitur parentibus est, ne dent turpitudine sua locum Diabolis, id quod fieri solet, cùm parentes sunt pueris offendiculo, blasphemijs, ebrietatibus, spurcitia, imposturis, nugis, mendacijs. His rebus abigunt parentes Angelos, & dant locũ Satanæ, qui deinde suum exercet imperiũ in pueros. Quare prouidendũ est parẽtibus ut studeant pietati, quo Angeli in officio suo perdurent. Deinde nec hoc est oscitãter prætereundum, q. infans Iesus non admoneat Ioseph um, sed sinat Angelum hoc facere. Potuisset quidem infans hic unius horæ, loqui & omnia parẽtibus suis indicare. Extat exemplum de infante qui cùm esset 24. horarum, cœpit loqui, & exitium Gentis suæ uaticinari, ac statim mortuus est &c. Multo magis Christus potuisset

tuisset in præsepi loqui, atq; Iosephũ adhortari ad fugam, sed nõ fecit. Cõmisit hoc angelis. Primùm, quia cùm suscepisset uerum hoĩem, suscepit etiam uerum infantem. Infantes autem nõ sciunt loqui, & nõ sunt tam prudentes, ut doceãt parentes quid pro ipsis agendum suscipere debeant. Deinde uoluit etiã significare hac actione, Regnum suũ non esse de hoc mundo. Sicut.n.iacet in præsepi, uehitur in Aegyptum, educitur ex Aegypto iam septẽnis, & interea sinit parentes omnia peragere & angelos. Ita sedet nũc ad dextrã Dei: & quanq̃ omnia administret, tamẽ uidetur sinere angelos, parentes & legitimos magistratus, omnia administrare. Ac uidetur quodammodo ad omnia conniuere, donec tandẽ reuelaturus est maiestatem uniuerso mundo per secundũ aduẽtum. Præterea sicut ipse, cùm facit suum officium in infantia, adolescentia, & uirili ætate, habet curatores angelos, ita quiuis pius in Christo, interea dũ ipse suo officio fungitur, habet angelos qui pro ipso excubent. Quare hoc tantum age, ut tuum facias officiũ, & curæ eris omnibus angelis. Postremo dicemus etiam de Archelao: fugit & hũc Ioseph, ut non diuertat in Bethlehẽ. Hic Archelaus fuit filius Herodis, Tetrarcha Iudææ, non Rex nisi spe: abduxit fratri suo uxorem, Tyrannus fuit sæuus, Quare deiectus à Cæsare in exiliũ in Galliam. Hunc necesse habet Ioseph fugere. Cur scriptura meminit huius tyranni? nõ de

beret hoc honore affici, ut nomẽ eius cõseruaretur. Sed ideo facit, ut ostendat q, hostes Christi seruiant Christo contra uoluntatẽ eorum. Primò seruit Christo propter Chronica: deinde hac occasione impletur prophecia, Nazaræus uocabitur. Sic seruiũt Ecclesiæ Pharao & Nebucadnezar, iuxta illud: Dominare in medio inimicorum. Monemur igitur q, pijs omnia aduersa adiumento sint in bonum.

DOMINICA SECVNDA
post Epiphaniæ, Euangelium Ioannis 2.



Nuptiæ

NVptiæ factæ sunt ī Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est aūt & Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente uino, dicit mater Iesu ad eum: Vinū nō habēt. Dicit ei Iesus: Quid mihi tecū est mulier? nōdū uenit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcūqꝫ dixerit uobis, facite. Erāt aūt ibi lapideę hydrię sex positę secundū purificationē ludęorū, capientes singulæ metretas binas uel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et ipleuerūt easusqꝫ ad summū. Et dicit eis Iesus: Haurite nūc, et ferte architriclino. Et tulerūt. Vt aūt gustauit architriclinꝰ aquā uinū factā, et nō sciret, uñ esset: ministri aūt sciebāt qꝫ hauserāt aquā, uocat sponsum architriclinꝰ, & dicit ei: Oīs homo primū bonū

uinum ponit,& cùm inebriati fuerint,tũc id,q̃d deterius est. Tu aũt seruasti bonũ uinum usq; adhuc.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam,& crediderũt in eum discipuli eius.

HOMILIA PRIMA, DE matrimonio, habita anno 1540.

AVdiuimus nuper, quomodo Iesus se manifestauerit aliquo modo in adolescentia, cũ ageret annũ ætatis suæ duodecimũ. Audiamus nũc, quomodo manifestauerit sese in adulta & uirili sua ætate. Audiuimus Iesum præbuisse de se specimẽ prudẽniæ supra humanũ captũ, audiamus nũc ipsum supra humanũ captũ miracula edere. Nã cum eo tpe publicè expectabatur Messias, ac multi uẽdicaret sibi maiestatem Messiæ, probè confirmandũ erat quis uerus esset Messias. Itaq; Iesus filius Mariæ, cũ fuerit uerus Christus seu Messias, recepit etiam sese id certis argumẽtis, & firmis testimonijs declaraturũ & confirmaturũ. Ac initio declaratus est Christus testimonio angelorũ, deinde testimonio Simeonis et Annæ prophetissæ: postea testimonio Ma-

gorum

gorũ, deinde occisione puerorũ Bethlehemiticorũ: postea admirabili indole, quã duodecimo ætatis anno Hierosolymis ostẽtauit. Postremo cũ factus esset triginta annorũ, suscepit publicè officium docẽdi, q; ipse sit Messias, et cõfirmauit doctrinã suã miraculis. Nõ ostẽtauit statim initio puericiæ & adolescentiæ oẽm suã maiestatẽ, sed subinde magis ac magis se reuelauit. Quẽadmodũ et Sol ipse nõ cõtinuo ostẽdit se plena luce, sed præmittit aurorã, deinde lucem quandam adhuc obscurã, donec peruenerit usq; ad meridiẽ. Et ut fructus terræ paulatim proferuntur, ita Christus uoluit pedetentim inclarescere. In natiuitate eius, & in aduentu Magorũ eluxit quidẽ splendor eius, sed is procedẽte tempore penè obscuratus est usq; ad duodecimũ ætatis annum. Ab anno aũt duodecimo duxit Iesus obscuram uitam usq; ad Baptismum suũ, hoc est, usq; ad tricesimũ ætatis suæ annum. Postq; aũt baptisatus est à Ioanne, et testimonio spiritus sancti reuelatus, ibi tum incœpit pleno splendore inclarescere, tam doctrina, quàm miraculis. Primum igitur miraculum, quo cõprobauit ueritatem doctrinæ suæ illud est, quod edidit in Cana Galilææ in nuptijs, & fecit ex aqua uinum. Ac multa quidẽ continẽtur in hoc Euãgelio de nuptijs in Cana Galilææ, obseruatu dignissima. Inter ea autem & illud contimetur, q; Christus præsentia sua & publico miraculo cõmendat statũ legitimi matrimonij. Itaq;

de matrimonio quædã dicẽda sunt. Ac difficile quidẽ est in tam corruptis et furiosis huius seculi moribus de cõiugio dicere. Nã si cõmẽdatur matrimoniũ, existimãt adolescẽtiores sibi impunè licere pro sua libidine matrimoniũ contrahere. Si uituperatur, condẽnatur ordinatio Dei. Adhæc, si docetur de officio mariti erga uxorẽ, & ecõtra uxoris erga maritũ, tã puersi sunt hoĩm mores, ut ex his nõ capessant resipiscentiã, sed tãtum exprobrationes, et domesticas cõciones, dum neuter coniugũ facit suum officiũ, sed tãtũ exigit ab altero officiũ. Itaq; difficilè est de matrimonio cõcionari. Attamẽ necessitas exigit, ut ratio cõiugij explicetur et cõiuges erudiãtur. Quare pauca de hoc argumẽto ex hodierno Euãgelio audiamus. Ac principiò superuacaneũ est recẽsere institutionẽ cõiugij, quæ in quauis nuptiarũ benedictiõe publicè recẽseri solet. Sed hoc necessariũ est, ut cognoscatur qũo cõiuges sese debeãt gerere, quò habeant in cõiugio ipsorũ nõ solũ iusticiã corã Deo, et fælicitatẽ post hãc uitã, id quod maximũ est, sed etiã, quod ad conseruationẽ cõiugij necessariũ est, sufficientiã uictus & amictus ĩ hoc seculo. Nõ est aũt opus, ut hãc doctrinã ex alijs locis scripturæ sollicitè inquiramus, cũ ex hodierno Euãgelio liceat discere qd faciendũ, ut cõiuges corã Deo habeãt fælicitatem, & in hoc mundo tolerabilẽ uictum suũ. Nam cũ nuptiæ celebrantur, inuitãdus est etiã Christus unà cũ disci

pulis

pulis suis ad nuptias, quod in his nuptijs Galilæis factum est. Sic. n. fiet ut benedicantur nuptiæ: & quan quàm aliquid desit, Christus tamẽ quod deest cõpenset. Nam Christus primùm summa est iusticia et fœlicitas. Ergo quocũq; uenerit, affert secum iusticiã & fœlicitatem coram Deo. Deinde Christus est thesaurus oĩm bonorum. Ergo quocunq; uenerit, affert secum omnia genera bonorum, non solum cœlestium, sed etiã terrestrium. Et cõfirmauit istud miraculis. Ioã. 6. cibat quinquies mille homines quinq; panibus hordeaceis, & duobus piscibus. In hodiernis nuptijs cùm deficeret uinum, facit uinum ex aqua. Habes panem & uinũ, quæ sunt præcipua in uictu. Sed necessaria etiã est pecunia: igitur Christus affert etiã pecuniam. Vide Matt. 17. Iubet Petrum accipere ex ore piscis staterẽ pro tributo. Habes etiã pecuniam. Sed quid delectant panis, uinum & pecunia, si non accesserit sanitas corporis, qua his frui liceat? Itaq; Christus affert etiam sanitatem. Nunc sanat paralyticum, nunc cæcum, nunc surdum, nunc dæmoniacũ etc. Hæc personalia quidẽ miracula sunt, quæ nõ solent ad hunc modum quouis tempore edi, uoluit aũt Christus his declarare ueritatẽ doctrinæ suæ. Inter alia autem etiã hoc docuit: Nolite solliciti esse quid edatis, aut quibus induamini, sed primùm quærite Regnum Dei, & iusticiã eius, & tunc hæc oĩa adijcientur uobis. Vbicunq; enim Christus est, ibi nulla po

test esse egestas tam aĩo quàm corpore. Nõ uidentur semper Cæsi opes, attamen reipsa sentitur benedictio etiã in minimis opibus, si Christus præsto affuerit. Quare ut coniuges habeant fœlix coniugium, tã bonis spiritualibus quàm bonis corporalibus, necesse est ut inuitent ad nuptias suas Iesum unà cũ discipulis suis. Sed hoc opus hic labor est, quomodo Iesus & discipuli eius inuitentur. Iesus enim Christus ascendit nunc in cœlũ, & discipuli seu Apostoli eius obdormierunt in Christo, & uiuunt cũ Christo, quomodo igitur nũc inuitari possunt? Obserua igitur q, etsi Christus ascenderit in cœlum, et Apostoli obdormierint in Christo, tamen reliquerunt post se Euangelium suum. In hoc Euãgelio docemur primum credere in Christum, q, propter ipsum habeamus propicium Deum Patrem: deinde ex hac fide suæ uocationi obedire. Ergo tunc inuitamus Christum et discipulos ad nuptias, cùm audimus diligẽter Euangelium, & credimus in Christũ, ac sectamur ex fide uocationem Christi. Porro hæc inuitatio non tum primũ fieri debet cũ nuptiæ celebrantur, sed ante nuptias Solent. n. hospites uocari aliquot diebus, priusquàm dies nuptiarum aduenerit. Sic, ut Christum cum discipulis inuites ad nuptias, necessariũ tibi est omne tẽpus puericiæ, adolescentiæ & iuuentutis tuæ, uidelicet, ut ab adolescentia tua iugũ Domini feras. Hîc ergo uide mihi quàm pauci sint, qui Christũ cum discipulis

pulis suis ad nuptias suas inuitent. Vide corruptissimos mores adolescentiæ, ac præsertim opificũ. Discipuli opificũ priusquàm discunt opificia, sectantur extremã impudicitiam. Non hoc agunt, ut diligẽter discant opificia, sed ut mox coniugia ineant. Deinde si didicerint opificia, & nondum cõtraxerint cõiugia, solent peregrinari. Ibi non hoc agũt ut fideliter laborent, sed ut sectentur uel lusus, uel potationes, uel scorta. Quid? num putas hos inuitare Christum, aut afferre secum Christum in coniugium? Nõ certè afferunt Christum secum, sed afferunt nebulonem, ebriosum, ignauum & scortatorem. Quid ergo fit? Postquàm contractũ est matrimonium, nonnulli uix possunt famem sustentare quatuor hebdomadis, ac necesse esset ut uictũ statim à nuptijs emendicarẽt. Sequitur deinde alia impudentia, ut uel ipse fiat adulter, uel uxor adultera, iuxta legis maledictionẽ, Deut. 28. Si nõ audieris uocẽ Domini Dei tui, duces uxorem, & alius dormiet cũ ea. Nephãdissimum scelus est adulterij, Sed Deus sic punit impietatẽ. Quare ut Christus inuitetur ad nuptias, necesse est primum Euangelium discere, deinde opificium, ut scias patremfamilias agere. Necesse habet et puella prius discere domum administrare. Itaq; si afferunt in cõmune iusticiam Christi & scientiam opificij sui, ibi etiamsi fuerint pauperes, tamẽ benedicentur ab hospite Christo. Nõ sufficit autem ut Christum inuites

ad nuptias, sed necessarium est, ut etiam cum retineas::aut si omnimo non inuitaueris antea, ut adhuc eũ inuites & recipias, ac perpetuò conserues. Quid ergo faciant coniuges, ut retineant & conseruent Christum? Non possum melius docere quàm Paulus ad Ephesios, qui cùm doceat, matrimonium esse Sacramentum Christi & Ecclesiæ, docet primum inter coniuges debere esse uerum studium Religiõis. Non potest affectus esse fidus, ubi non est eadem fides. Non separat quidem Paulus coniugium inter eos qui sunt diuersæ Religionis, sed ut uera sit benedictio, necesse est eandem esse Religionem in Christum. Deinde iubet maritum diligere uxorem, & uxorem obedire marito. Hæc sunt præcipua præcepta. Alia omnia inutiliter præscribuntur, si nõ adfuerit pietas, dilectio & obedientia. Si uero hæ uirtutes adfuerint, tunc superuacaneum est de officijs coniugum admonere, quia hîc omnia eorum officia comprehenduntur. Si enim affuerit pietas, tunc non est timendũ, ne maritus aliquid impiè exigat ab uxore, et ne uxor in impietate obediat. Si adest dilectio mariti, & obedientia uxoris, constat & tranquillitas. Hæ igitur sunt uirtutes, quibus & inuitatur & retinetur Christus, ut & in hoc seculo tranquillam uitam ducamus, & in futuro consequamur fœlicitatem perpetuam in Christo Iesu, qui est Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

Homilia

HOMILIA SECVNDA, QVA re Christus duriter tractârit matrem suam, habita anno 1542.

DE infantia & adolescẽtia Christi superioribus diebus satis dictum est. Nunc dicendum nobis erit de officio Christi, quod tricesimo demum ætatis suæ anno publicè inter hoïes manifestauit. Vixit. n. Christus hactenus ab adolescẽtia sua obscurus, donec Ioãnes Baptista excitatus fuit à spiritu sancto, ut præpararet ipsi uiã. In medio (inquit Ioannes) uestrûm stat, quẽ uos nescitis, ipse est qui cùm me sequeretur, anteceßit me. Cùm igitur tempus esset emergẽdi ex obscuritate à tricesimo ætatis suæ anno, & à Ioãne baptisatus esset, inchoauit officium prædicandi Euangelij sui, & qa nulla adhuc præditus esset autoritate, cœpit gloriam suam miraculis manifestare. Principes huius seculi cùm ostentant maiestates suas instituunt magnũ sumptum, quo faciũt ex hoïbus diuitibus pauperes. Principum enim magnificẽtia solet subditorum suorum crumenas exhaurire. Christus autem summus omnium principum ostentaturus maiestatẽ seu magnificentiam suam, edit miracula, quibus reddit homines diuites è pauperibus, & sanos ex infirmis. Et huc præcipuè facit miraculum, quod primum oĩm

in nuptijs Canæ Galilææ edidit. In his.n.nuptijs cum deficeret uinũ, & ſponſus perfunderetur rubore coram hoſpitibus præ egeſtate ſua, Chriſtus ſuccurrit indigẽtiæ, & facit ex aqua uinum, ut inopia magna copia compenſaretur. De hac igitur hiſtoria nũc dicemus, ut & nos gloriã & maieſtatem Chriſti ad ſalutẽ noſtram rectè cognoſcamus. Nuptiæ (inquit) factæ ſunt in Cana Galilææ, ad quas & Ieſus cũ matre ac diſcipulis ſuis inuitatus fuerat. Cùm autem deficeret uinum, dicit Maria ad Ieſum: Vinum non habẽt, ſignificans, uidelicet, ſe cupere, ut miraculo quodã ſubueniat egeſtati & pudori ſponſi. Sed Chriſtus duriter alloquitur eam. Mulier (inquiẽs) quid mihi tecum eſt? Nondũ uenit hora mea. Mirum fortaſsis uidebitur quid acciderit Chriſto, q̃ matrem ſuam tam duriter tractet, ac tã inhumaniter alloquatur? Nec hoc tantum loco id fecit, ſed aliâs ſæpenumero. Lu. 2. ait: Quid eſt q̃ me quærebatis? an neſciebatis q̃ in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et Mat. 12. Quæ eſt mater mea? aut qui ſunt fratres mei? Et protenſa manu ſua in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei: Quiſquis enim fecerit uoluntatem Patris mei, qui eſt in cœlis, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt. Non miraberis aũt ſi conſilium Chriſti diligenter cognoueris. Nam quod quidẽ ad eum honorem attinet, quẽ liberi debent parẽtibus, nullus unquam filius plus honorauit matrem ſuam

quàm

quàm Christus. Lex. n. Dei est: Honora parẽtes, quã impleuit Christus perfectißimè. Descendit (inquit Lucas) cum parentibus in Nazareth, & fuit subditus illis. Vbi uero Maria non eum tantum honorem quærit, qui debetur parentibus, sed etiam ambit honorẽ Meßiæ, et cupit esse quasi socia administrandi eius officij, quod Christo diuinitus mandatũ erat, ibi tum Christus durißimè eam alloquitur, ut cõtineat ipsam intra terminos suæ uocationis. Honor enim et officium Meßiæ (quod est humano generi salutẽ offerre, reconciliare homines cũ Deo, & parare ipsis eternam fœlicitatem) nulli alteri competit præterquàm Iesu Christo. Vidit aũt Christus futuros hypocritas, qui relicto se quæsituri sint in Maria salutem suam, & remißionẽ peccatorum suorum, Cuius rei manifesta adhuc extãt monumẽta inter hypocritas. Nam Maria una sola illa est, quam sine intermißiõe colunt inuocationibus suis. Salutatio Mariæ habet mane & uesperi suũ campanæ signũ. Et interea Oratio dominica nullũ habuit publicũ signum campanæ, cum tamẽ ea tam saluifera sit, ut seruet nos propter Christum in maximis malis, adeoq; digna esset quæ cũ recitatur omnium cãpanarum tumultu insigniretur. Adhæc Maria pingitur excipiẽs pallio suo sagittas è cœlo emissas: hoc certè est Mariam pro saluatrice colere. Sunt & aliæ innumerabiles Idololatriæ, qbus totus mundus hactenus repletus fuit, quæ

quidem quales fuerint, nunc propter angustiã temporis enumerari nõ possunt. Quare ut Christus his erroribus obuiam iret, quãtum in ipso esset, semper duriter tractauit matrẽ suam, cùm uoluit esse socia officij sui. Et quemadmodũ Christus in institutione Cœnæ dominicæ uidit futurũ, ut auferretur à Cœna calix, ideo plus muniuit usum eius, q̃ usum panis, dicens: Bibite ex eo OMNES. Sic uidit futuram idolatriam de Maria matre sua. Quare uisum est ipsi cõsultius esse, ut alloquatur ipsam inhumaniter, quàm ut blandiẽdo daret occasionem erroribus. Etsi enim nulla unquàm fuit mulier in terris, nec ulla futura est, cuius de beamus honestiorẽ mentionem facere, q̃ uirginis Mariæ matris Christi, tamen non est ei tribuendus honor Meßiæ seu Saluatoris. Iam si Christus noluit hunc honorẽ concedere matri suæ, multo certè minus cõceßit eam alijs uel sanctis uel operibus. Si.n. ulli esset concedendus, cui æquius cederet quàm matri? Quare habeamus quidem Mariam, & alios pios homines pro sanctis Deo acceptis, Solum autẽ Iesum Christum ueneremur, & adoremus pro uero nostro Saluatore & propiciatore. Quãquàm aũt Maria non sit saluatrix nostra, tamen in hodierno Euangelio præbet nobis utile exemplum ad consequendam petitionẽ nostrã in oratione ad Deum. Etsi.n. duriter fuit tractata à filio, tamen pergit bene sperare, & iubet ministros facere quodcunq; dixerit,

xerit, omnino futurũ confidens, ut succurrat inopiæ miserorum coniugum, adeoq; quod sperat consequitur. Obseruabile exẽplum, quo admonemur ut perseueremus in fide, in oratione & in obedientia Dei, etiãsi audiamus manifestam salutis & exauditionis negationem. In Matt. ca. 15. Mulier Cananæa audit manifestam recusationẽ Christi, tamen cùm perseuerat in fide & oratione, non solum impetrat quod petit, uerumetiam reportat maximam laudem. In Luca cap. 18. iniquus iudex audit uiduã propter importunitatẽ, quãto magis Deus omnium æquissimus. Sic Lucæ cap. 11. de amico postulãte noctu panes, inquit Christus, Dico uobis etiamsi non daturus sit illi surgens, eo q; amicus eius sit, propter improbitatem tamẽ eius surget, & dabit illi quotquot habet opus. Et Psal. 21. dicit Christus: Deus meus clamabo per diẽ, & non exaudies, nec noctu sileo. Et in alio Psalmo: Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Et tamen quia perseuerauit in oratiõe, ait paulo post in Psal. 21. Timeat Deum omne semen Israel, quia non spreuit, neq; despexit deprecationem pauperis. Deus.n. non respondet statim precibus pij, non q; nõ exaudiuerit eum, sed ut accẽdat fidem nostrã, & præstet nobis maiora & plura quàm petere possumus, uel etiam audeamus. An tu diceres, eum non exaudire tuam petitionem, qui cùm tu peteres, ut hac ho-

ra det tibi numũ, iubeat te tres horas expectare, se tibi pro uno argẽteo numo daturum multos aureos florinos? Sic & Deus differt reuelationẽ exauditionis, ut nobis multo plura largiatur quàm postulauimus. Quare non debemus remittere orationem, etiamsi nõ continuo efficiamur uoti compotes, sed perdurare in fide & obedientia. Sic enim consequemur omnes petitiones nostras. Postremo Christus non solũ accedit cum discipulis suis ad nuptias, uerũetiam honorauit nuptias clarissimo miraculo. Facit enim ex aqua uinum. Quo miraculo nõ solum testatur se approbare coniugium, quod est ordinatio Dei, sed etiam obligat se, si ad nuptias cum Apostolis suis inuitetur, daturũ coniugibus oĩa uitæ suæ necessaria. Homines huius seculi putãt eas nuptias esse fælices, in quibus noui coniuges conferunt amplas dotes, & quas honorant diuites ac potentes præsentia ac munusculis suis. Etsi autem honestum est, q, amici honorent nuptias sua præsentia, tamen fælicitas cõiugij non constat, nec magnis dotibus, nec multis amicis: Hi. n. donant coniuges uno aut altero aureo numo, & postea relinquũt eos suis cõsilijs & fortunis. Sed tunc fit coniugium fælix, & consequitur omnem benedictionem, cùm etiam Christus & discipuli eius inuitãtur ad nuptias. Christus. n. impetrauit coram Deo Patre, ut quotquot in ipsum credunt, & ambulant in uocatione seu ordinatione, defendantur & conseruentur

conseruentur in omnibus malis. Ac Deus tam placatus par Christum factus est, ut non possit se continere quin omnem benedictionem effundat super ordinationem & uocationem suam. Cuius rei exempla sunt multa. Exod. 24. ubi promittit Deus se defensurum fines Israelitarum, dum ipsi in diebus festis proficiscuntur ad tabernacula. Hæc enim erat ordinatio Dei. Et Leuit. 25. ubi promittit se in uno anno datarum prouentum trium annorum, ut septimus annus obseruetur. Vides Deum fauere et benedicere suæ ordinationi. Manifestum autem est, quòd cõiugium sit ordinatio Dei. Quare manifestũ etiam est, q. Deus uelit huic ordinationi præsto adesse, & inopiam cõiugũ sustẽtare. Adhæc extat Lex in Decalogo: Non committes adulterium, qua prohibetur omnis scortatio. Qui ergo ducit uxorem ad uitandã scortationem, is cõijcit se in uaria onera coniugij propter uocationem. Scriptum autem est: Si audieris uocẽ Domini Dei tui, benedictus eris in ciuitate &c. Proinde certa est benedictio Dei in coniugio, si hoc ex uocatione ineas. Vulgo dici solet: Qui non potest se nutrire, ducat uxorem. Hoc rectè dicitur, si etiã rectè intelligatur. Cœlibes enim ferè solẽt scortari: ubi autẽ est scortatio, ibi nulla est Dei benedictio, sed absumptio omnium facultatũ. Hiob. 31. Hoc nefas est & iniquitas maxima. Ignis est ad perditionem deuorãs, & omnia eradicãs genimina. Et Prouerb. 6. Preciũ scor

si uix est unus panis. hoc est, scortatio tam maledicta est, ut ne panem quidem seu uictum scortatori propter impuritatē relinquat. Quare rectè monentur ut coniugium ineant, & honestè uiuant, quo consequantur benedictionem Dei. Quomodo autem, inquies, inuitabo Christum ad nuptias? Primùm, quia Christus & apostoli prædicauerunt Euangelium, ideo inuitantur nunc, si amaueris Euangelium Christi, quod est prædicatum per apostolos & resipueris. Deinde si Deum pro benedictione nuptiarum et coniugij ex fide inuocaueris. Tertio, si iuniores non ineant temerè cōiugium, sed faciant id autoritate et consilio parentum & maiorum. Quarto, si iuuenes prius discāt suum officium, et uirgines discant domestica & muliebria negocia administrare. Postremò, si non solum nuptiæ contrahantur piè, sed etiam pudica uita in coniugio ducatur. Hoc. n. est non solum Christum et apostolos eius inuitare ad nuptias, sed perpetuò in coniugio retinere. Vbi aūt Christus retinetur, ibi necesse est omnia cœlestia bona præsentia esse. Quare admoneamur hoc miraculo, ut maiestatē Christi cognoscētes, inuitemus eum ad nostras nuptias, ut per ipsum cōsequamur ueram fœlicitatem, qui est unà cum Deo Patre Deus benedictus in secula, Amen.

TERTIA DOMINICA POST Epiphaniæ. Euang. Matt. 8.

Cum



CVm autē descēdisset de mon te, secutę sunt eum turbę mul tæ. Et ecce leprosus ueniēs, a dorabat eum dicēs: Dñe, si uis, po tes me mundare. Et extendens ma num Iesus, tetigit eum dicēs: Volo mūdus esto. Et cōfestim est mūda ta lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris, sed uade ostēde te

ſacerdoti,&offer munus tuum,q̃d
præcepit Moſes in teſtimoniũ illis.

Cùm aũt introiſſet Capernaũ,ac
ceſsit ad eũ Cẽturio,rogãs eũ & di
cẽs: Dñe puer meus iacet in domo
paralyticus,& malè torquet̃. Et ait
illi Ieſus: Ego ueniã & curabo eũ.
Et reſpõdẽs Cẽturio, ait illi: Dñe,
non ſum dignus, ut intres ſub te-
ctum meum,ſed tm̃ dic uerbum,et
ſanabit̃ puer meus. Nã & ego hõ
ſum ſub poteſtate conſtitutus, ha-
bẽs ſub me milites,& dico huic ua
de,& uadit,& alteri,ueni, & uenit,
& ſeruo meo, fac hoc,& facit. Au-
diẽs aũt Ieſus miratus eſt, & ſequẽ
tibus ſe dixit: Amẽ dico uobis, nõ
inueni tantã fidem in Iſrael. Dico
aũt uobis,q̃ multi ab Oriẽte & Oc
cidente uenient,& recumbẽt cum
Abrahã & Iſaac & Iacob in regno

cœlorum,

cœlorꝝ, filij aũt regni eijcient̃ in tenebras exteriores, Ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Cẽturiõi: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

HOMILIA PRIMA, DE VOLVNtate Dei in afflictione hominis, & de uirtutibus Centurionis, habita anno 1538.



IN hoc Euãgelio commemorantur duo ingẽtia miracula, alterum de Leproso, alterum de Centurione & seruo eius. Habent autem miracula à Christo edita, quẽadmodum aliquoties diximus, duplicem usum, Generalem & specialem. Generalis usus est, ꝙ sint cœlestia testimonia et sigilla doctrinæ Euangelij. Nã Ioan. 5. ait Christus: Opera quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa (inquã) opera quæ ego facio, testificantur de me, ꝙ Pater miserit me. Et Ioan. 20. Multa signa fecit Iesus in cõspectu discipulorũ suorum, quæ nõ sunt scripta in hoc libro, hæc autem scripta sunt, ut credatis ꝙ Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius. Quare & hæc duo miracula testantur Iesum esse Christum, iuxta Euãgelium suum, & certificant nos, ꝙ cùm crediderimus in ipsum, habeamus uitam æternam. Specialis autem

usus miraculorum Christi ex uniuscuiusq; miraculi historia colligitur. Percurremus igitur breuiter historiam istorum duorum miraculorum, ut ex ipsis quæ nobis ad salutem cõducunt discamus. Ac primũ ex historia leprosi discimus, quod nobis in afflictiõibus cognitu maximè oĩm necessarium est, ut nõ desperemus, sed salutẽ consequamur. Nã cùm cõprehendimur aduersis, et eleuamus oculos nostros ad Deũ pro auxilio, cogitare solemus, Deum quidẽ satis potentem esse ad liberandum nos ex aduersis, sed non satis uolentem esse. De potentia eius nõ uidemur dubitare. Hanc.n. proponit nobis ob oculos ipsa rerum oĩm creatio, sed de bona eius uoluntate dubitamus. Et ad hanc dubitationẽ multa nos sollicitant. Ex una parte sollicitat nos nostra abiectio & humilitas: cogitamus.n. nos cõtemptiores esse quàm ut à Deo, tanta uidelicet maiestate, respiciamur. Ex altera parte agnoscimus nos esse peccatores, & atrocia scelera designasse. Scribit aũt Moses, Maledictũ qui nõ permanserit in uerbis legis. Et Esa. ca 59. Manum quidẽ Domini nõ esse abbreuiatã, ut saluare nequeat, sed iniquitates nostras diuisisse inter nos & Deum, et pcta nostra abscõdere faciem eius, ne exaudiamur. Ex his nota est nobis potius noluntas, ut ita dicam, quàm uoluntas Dei. Quid igitur faciemus? num desperabimus? Nequaquam. Sed perstringemus historiã de leproso, et inueniemus in ea quæ sit uoluntas Dei erga afflictos. Cùm.n. leprosus diu afflictus esset lepra, na

ctus Iesum, procidēs: Domine, inquit, si uis potes me mundare. De potentia tua nihil dubito, sed uoluntas tua nondū mihi satis perspecta est. Ego. n. fortasis mi serior sum, quàm ut me respicias, & indignior, quàm ut cōsequar hoc beneficium. Christus igitur respōdet ei: Volo, mundator. Et cōtinuo mundauit eū Hoc uerbum Volo, diligentissimè obseruādum est. Christus. n. hoc uno uerbo reuelat, et palàm annunciat quicquid est abscōditissimæ uoluntatis in Deo patre nostro in cœlis. Nam Christus non est considerandus, ut alius quispiā homo, sed ut filius Dei, in quo reluceat & re ueletur uera imago Dei, & manifestetur omnis uoluntas eius. Ioannes enim dicit: Deum nemo uidit unquàm, filius autem qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Et aliàs: Qui uidet me, uidet et patrem meum. Et Coloss. 2. In Christo sunt omnes thesauri sapiētiæ ac scientiæ recōditi. In hoc autem Euāgelio Christus affirmat publica uoce se uelle afflictū sanare, & confirmat uocem suam præsenti miraculo. Restituit in. leprosum pristimæ sanitati. Personale (inquies) est, quod Christus hoc loco dicit, & ad unum tātum leprosum pertinet, quid igitur mihi utilitatis hinc accedit? Fateor dictum esse personale, sed utilitas eius est generalis, ad omnes homines pertinens. Nā quæcunq; miracula Christus edidit, ea edidit in generalē confirmationem Euangelij sui, quemadmodum antea diximus. Christus autem hoc Euangelium cōcionatus

est: Venite ad me oēs q laboratis & onerati estis, & ego reficillabo uos. Et Lucæ 9. Filius hoīs non uenit ad perdendas aīas hoīm, sed ad seruādas. Et Luc. 19. Venit filius hoīs quærere & seruare quod perierat. Quod igitur dicit Christus ad leprosum VOLO, hoc oībus dictū esse sentiamus, quantū quidē ad usum eius generalē attinet. Quare cum Christi uolūtas nō alia sit, quàm ut seruet afflictos in ipsum credētes, et liberet eos ex oībus aduersis, manifestum est, Deum patrem nō posse tantum, sed etiam uelle nos in oībus periculis seruare. Et quanquam peccata nostra lōgè aliā uoluntatem Dei fecerint, Christus tamen, quia expiauit peccata, & mortuus est propter pcta, impetrauit etiam à Deo Patre, ut hanc uoluntatem assumeret, qua nos potenter ex oībus malis eripere uelit. Demus igitur operam, ut in Christo inueniamur per fidē. Deinde q, Christus iubet leprosum iā sanatū ostendere sese sacerdoti, & offerre munus in Lege præceptum, sunt qui ex hoc loco confirmārunt confessionem auricularem, & Pōtificiam, sed quid rectè sentiendum sit de confessione aliàs ostensum est. Nā hic locus n n approbat auricularem confessionē. Primùm, quia ostendere non significat confiteri. Deinde, quia etsi lepra aliquoties adumbrat pcta, tamen hoc loco nō agitur de peccatis, sed de externa lepra. Et Christus remittit à se leprosum magna indignatione, ut Marcus ait, ad sacerdotem, & diserte iubet

eum

eum offerre sacrificia legis, quia uult exẽplo leprosi docere obedientiam publicarum & legitimarum ordinationum, ut unusquisq; tribuat alteri quod ei publica ordinatiõe debet. Nã pronunciare de lepra iuxta legẽ ad sacerdotes pertinet. Leuit. 14. Cũ autẽ Esa. 60. cap. scriptũ sit, q̃ adueniente Messia, oĩs populus Israel futurus sit iustus, ac hæreditaturus terrã, & minimus in mille ac paruulus in gentẽ fortissimã, hoc est, q̃ oẽs Israelitæ futuri sint domini, et principes potẽtes, alĩ aũt serui eorum: incipiebant autẽ quidã Iesum pro Messia agnoscere, ideo sentiebãt se nihil cuiquam debere, et se nulli legi subiectos esse, si Christo adhærerẽt. Quare Christus uehementer indignatur, et repellit nunc leprosum à cõsortio suo, & iubet eum prius publica ordinatiõe admitti in publicum consortium, quo exemplo monet, ut unusquisq; ordinarijs legibus suæ reipublicæ obediat. Cæterum quid obtulerint leprosi, et quid oblationes illæ significent, nunc nõ licet explicare, præsertim cùm adhuc restet altera pars huius Euangelij explicanda. Sequitur ergo alterum miraculum quod de Centurione et seruo eius cõmemoratur. Quanquàm autem Paralyticus seruus Centuriõis uno uerbo ab absente Christo sanetur, idq; sit stupendum miraculum, attamen in ipso Centurione maiora penè miracula recensentur. Hic enim Centurio fuit externo habitu ethnicus & professione sua miles: attamen inuenies in eo tan

tas uirtutes, ut merito pro miraculis cõmemorãdæ sint. Primùm enim admiranda est humanitas eius erga seruum. Alij domini habẽt seruos suos pro iumentis, & præsertim milites crudeles sunt erga seruos. Hic autem Centurio tanta humanitate complectitur seruum suum, quanta alius uix filiũ suum. Intercedit enim pro eo apud Christum. Et in Luc. 7. mittit etiam senatum urbis, qui pro eo intercedat. Sic Paulus docet Colos. 4. Vos domini æquitatem & æquabilitatẽ seruis exhibete, scientes quòd & uos habeatis Dominum in cœlis. Deinde admiranda est huius Centurionis humilitas. Etsi enim erat Magistratus, & Christus nulla potestate præditus uidebatur, tamen iudicat se indignum, qui aut ipse per se alloquatur Iesum, aut recipiat in domum suam. Vnde mittit ad ipsum urbis suæ senatum. Alij quibus data est potestas in unũ tantum aut alterum seruum, existimant sese tantæ dignitatis, ut oẽs hoĩes merito quosuis honores in ipsos conferant. Quibus hic Centurio dissimilimus est. Discamus igitur huius exemplo, ut nos in omni dignitate submisse geramus. Adhæc admiranda est huius Centurionis pietas & liberalitas. Nam apud Lucã commendat eum senatus, quòd ædificuerit eis Synagogã, hoc est, Scholã, in qua doceretur Religio. Alij milites rapiunt tam prophana quàm sacra. Et publico dicto iactant, unumquemq; militem debere simul & semel tribus modis prædari, uidelicet pedibus, manibus

nibus & oculis. Hic autem Centurio suis sumptibus scholam ædificauit. Et admonet nos, ut si miles hoc fecit, certè unusquisq; alius debet pro sua uirili doctrinam pietatis adiuuare. Postremo fides eius in Christum tam admirabilis est, ut etiã Christus ipse admiretur eam in milite. Dicit enim Centurio: Nõ sum dignus, sed dic tantũ uerbum, et sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum &c. Hac uoce Centurio, primo exponit disciplinam militarem inter Romanos. Huc pertinet Scipionis Aphricani dictum apud Plutarchum de suorum militum obedientia. Et hanc tantam obedientiã pararunt sibi Romani seueritate supplicij, ut uides in Posthumio & Manlio. Deinde explicat fidem suam in Christum. Similitudine enim sua declarat se habere Christum pro principe oĩm afflictionum & mortis, hoc est, ipsum esse uerũ Deum et Meßiam. Postremo declarat similitudine sua quanta sit potentia uerbi Dei. Hominis uerbũ facit, ut oẽs uires hominis moueantur, quanto magis Dei uerbum. Exemplũ habes Gen. 1. Producat terra animã uiuentem in genere suo, iumenta & reptilia, et bestias terræ secundum species suas, & fecit Deus uerbo suo bestias terræ iuxta species suas. E quo discamus potentiam Euangelij. Paulus dicit: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Quãquàm igitur nunc non uideamus potentiam Euangelij, tamen uidebimus, si credimus. Habemus uirtutes Centurionis, quæ nobis non tantum admirandæ, uerumetiam

imitandæ proponuntur, ut officium nostrum Domino Deo nostro per Iesum Christum probemus.

HOMILIA SECVNDA, habita anno 1542.

VTile est, quòd hoc Euangelium frequẽter et singulis annis in Ecclesia recitetur. Docet enim nos bene de clementi uoluntate Dei erga nos cõfidere, & nobis optima quæq; de ipso polliceri, quod est cultus Dei lõgè omnium optimum et præstãtißimus. Ac tametsi hic cultus uidetur facti facillimus: Nemo.n. etiam sceleratißimorum hominum est, qui non affirmet se optimè de uoluntate Dei erga se confidere. Quid (inquiunt) putas ne me esse Turcam, aut Iudæum, aut hæreticum, qui nõ bene de Deo confidam? tamen si rem probè perpendas, inuenies, hoc uerbis quidem dici, non aũt factis præstari. Homo enim usq; adeo corruptus est originali peccato, ut natura sua nihil boni sibi de Deo pollicetur. Etsi.n. fatemur Deum posse nos seruare, semper tamen dubitamus de Voluntate eius. Ac imaginamur Deum quasi terrenum quendã Cæsarem, qui possit quidem multos in hoc seculo beare, sed non uelit, Sumus enim natura peccatores & osores Dei. Putas ne eum, qui alicuius filium occidit, posse sibi aliquid boni de parente eius polliceri? Existimas ne fo-

rem

rem posse bene confidere de eo iudice, qui publicè pronunciat ipsum suspēdio dignum? At nos plus peccauimus in Deū, quàm si alicuius hominis filium occidissemus. Et audiētes decalogum, manifestam audimus sententiam cōdemnationis aduersus nos. Quare natura nostra fugimus Deū, nec possumus nobis aliquid boni de ipso polliceri. Accedit huc, q & opera nostra declarant nos non bene de Deo confidere. In aduersis enim raro inuocamus Deum, sed potius execramur, et diris deuouemus proximos quosq;. Interdum confugimus etiam ad impietates & scelera, & speramus nos per ea seruandos. Hæc sunt manifestæ argumenta, q natura malè de diuina uoluntate Dei erga nos sentiamus. At hoc est grauissimū peccatū: pugnat enim ex diametro cum primo & præcipuo præcepto: Diliges DOMINVM DEVM TVVM ex toto corde. Præterea est radix omnium pessimorum scelerum, & sequitur ex eo uiolatio oīm aliorum præceptorum Dei. Nam qui dubitat de bona Dei uoluntate, is nō inuocat eum, quod est cōtra secundum præceptum. Non curat uerbum Dei, quod est contra tertium præceptum. Non diligit proximū suum quē uidet, syncero corde, quo uiolantur omnia alia præcepta. Quare utile est, ut hodiernum Euāgelium nobis familiare faciamus, quo discamus è Christo uoluntatem Dei erga nos rectè cognoscere, et bene de ipso confidere, hoc est summum cultum Dei fi

tere. In hodierno enim Euãgelio fit mentio duorum hominũ, unius leprosi & alterius Centurionis, quorum uterq; maximam quidem fidem habet de potentia Christi, sed uidentur adhuc nonnihil de uoluntate eius dubitare. Leprosus ait: Si uis, potes me mundare, De potẽtia tua nihil dubito. Accedat igitur uoluntas, & sanus ero. Centurio ait: Domine, non sum dignus ut subeas tectum meum, imo dic tantum uerbum, & sanabitur famulus meus, hoc est, probè mihi cognita est per fidem potentia tua. Quare nõ est necessarium ut mecum proficiscaris. Sed VELIS tantum ut sanetur famulus meus, & significes uoluntatem tuam uno saltem uerbulo, tunc famulus meus cõsequetur sanitatem. Quales autem hi gerunt se erga Christum ex magna fide, tales solemus nos gerere erga DominumDeum nostrum penè ex incredulitate. Cùm enim admonemur, ut in aduersis bene de Deo speremus, tunc solemus dicere, Scio quidem Deũ habere satis potentiæ ut nos adiuuet, sed de uoluntate eius dubito. Non deest ei facultas, uoluntatem deesse timeo. Quare ut discamus rectè de Deo sentire, docendum nobis erit, Primùm, quòd Deus non solum possit, sed etiam uelit seruare. Deinde quos uelit seruare. Postremò, quomodo uelit seruare. Nam q; uelit seruare, primùm omnium testantur epitheta eius solennia, Vocatur enim BONVS, & CLEMENS, uocatur Auxiliator & Adiutor in necessitatibus.

Hæc

Hæc epitheta sunt Deo attributa nõ humanis figmentis, sed à spiritu sancto, & perspicuè significant Deum uelle seruare. Quomodo enim uerè bonus diceretur, si non haberet bonam seruandi uoluntatem? Deinde promissiones reuelant uoluntatem Dei bonam. Et ne rem multis agamus, accipiemus præ manibus Iesum Christum, in quo omnes promissiones Dei sunt etiam & Amen. Etsi enim Deus natura sua habitat lucem inaccessam, & nemo unquàm uidit Deum, tamen filius eius Iesus Christus enarrauit nobis. Nec potest quispiam uidere Deum et uoluntatẽ eius, nisi per Christum, et in Christo. Est autem in Christo manifestè declaratum, quòd Deus uelit seruare. Sic enim Paulus ait: Commendat charitatem suam erga nos Deus, quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Et 1. Ioan. 3. In hoc est caritas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Nec hac tantum parte manifestata est uoluntas Dei per Christum, sed etiam hodiernis miraculis adeoq; omnibus miraculis quæ in terris edidit. Talis. n. est Deus erga homines, qualem se gessit Christus filius Dei, quia Pater omne iudicium dedit filio. Christus aũt cùm adhuc ambularet in terris, nulli unquã infirmo petẽti auxiliũ suũ negauit. Exempla sunt duo hodierna miracula. Et quanquàm aliquoties differat & dissimulet, ut uides in exem-

plo mulieris Cananææ, tamen quod differebat, cõtulit tandem maiori gloria & commodo. Quare nihil certius est, quàm q̃ Deus uelit seruare. Et quemadmodum nihil est dubitandum de potentia & facultate eius, ita nec dubitandum est de bona eius uoluntate. Sed quos (inquis) uult seruare? De hoc igitur quod secundo loco proposuimus nobis dicẽdum est. Nã & hæc dubitatio multos auertit à studio ueræ pietatis. Etsi enim homines etiam fatentur, q̃ sentiant Deum uelle seruare, tamen conscientia sollicitatur aliis tentationibus. Alius.n. cogitat Deum uelle seruare, sed magnos tantum & potentes in hoc seculo. Alius cogitat Deum uelle seruare, sed prædestinatos tantum ab æterno, se aũt nescire num sit prædestinatus. Quare non posse sibi aliquid certi de uoluntate Dei polliceri. Obseruandum igitur primum, q̃ Deus non uelit seruare impios et incredulos. Benefacit quidẽ ipsis, & conniuet ad impietatem, ut inuitet eos ad pœnitentiam, si uero perdurauerint in impietate, necesse habebunt in morte perire. Sed Deus seruat credẽtes in Christum, et inuocãtes nomen eius per Christum, idq̃ sine discrimine. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundũ, ut filium suum unigenitum daret, ut OMNIS, OMNIS, inquam, qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternam uitã. Et aliàs: Omnis qui inuocauerit nomẽ Domini saluus erit. Quare si quis cupit à Deo seruari, necesse est ante oĩa ut credat in Christum,

& inuocet

& inuocet nomẽ Domini per Christum. Tunc. n. qualis qualis alioqui sit, unus est ex illis quos uult seruare Deus. Nec est sollicitè inquirendum in occultam prædestinationem Dei. Qui. n. uerè credit in Christum, is & prædestinatus est. Dãda igitur opera est, ut ex Euangelio Christum discamus, & per fidem eum accipiamus. Deinde Deus non uult seruare eos qui in peccatis & sceleribus ambulant, sed eos qui sectantur uocationem Dei. Exempli gratia. Fur quispiam infringit noctu ædes uicini ut furetur. Is non potest sibi in furto polliceri bonam Dei uoluntatem, quia Deus odit furtum. Ac fieri quidem potest, ut Deus seruet eum ne deprehendatur in furto, sed fur quia non ambulat in uocatione Dei, non potest sibi salutem Dei per fidẽ polliceri nisi respiscat. Deus. n. uult seruare eos, qui in ipsius uocatiõe ambulant. Ad Hieremiam dicit: Ad oĩa ad quæ mittã te ibis, & uniuersa quæ mandauero tibi, loqueris. Ne timeas, quia ego tecum sum, dicit Dominus. hoc est, Deus uult eos seruare, q ambulãt in uocatione sua. Quare postquã credimus in Christum, dãda est opera, ut ambulemus in uocatiõe Dei, et ut opus quod agimus sit iustum, rectum, ac Deo acceptũ, ut possimus in ipso Deum inuocare. Sic. n. certi possumus esse, q sumus ex eorũ numero quos Deus uult seruare. Postremo uidẽdũ erit de modo, quo Deus uelit seruare. Quẽadmodum aũt Christus ad Apostolos ait: Non est uestrum nosse tẽ-

pora et momenta, quæ pater posuit in sua potestate? ita & nobis dicendum est, q. nõ sit nostrum nosse modum, uiam, rationem, & tempus seruandi. Hæc. n. Deus in sua potestate posuit, & suæ solius cognitioni ac electioni reseruauit. Deus. n. ut uarias condidit creaturas, ita uarios habet modos seruandi, ex quibus eligit, quos uult, & qui uidentur ipsi nobis commodissimi. Videamus exempla. Abel, Iacob & Ioseph, tres sunt, qui à fratribus suis odio habiti sunt, & expectârunt ab ipsis mortem. Non dubium autem est quin fuerint pij, & inuocauerint Deũ pro auxilio, ac ambulauerint in uocatione Dei: Deus igitur seruauit eos. Sed quomodo? certe diuersis modis. Abelem permisit à fratre trucidari, & seruauit eum in morte. Iacobum permisit fratrem fugere, & seruauit eum in exilio. Iosephum permisit à fratribus uendi, & seruauit eum in seruitute & captiuitate. Vides eãdem in tribus afflictionẽ & salutem, sed uarios conferendæ salutis modos. Aliud exemplum. Iacob, Iob & Lazarus afflicti sunt paupertate. Iacob profectus est in exilium, habens tantum baculum. Iob spoliatus omnibus fuit possessionibus suis. Lazarus tam pauper fuit, ut ne panem quidem haberet quo uesceretur. Et hi tres inuocauerunt nomen Domini in afflictione paupertatis suæ, ac consecuti sunt salutem à Deo, Sed uarijs modis. Iacob necesse habuit uiginti annis seruire, & postea rediit ad patriam cum magnis diuitijs.

bilijs. Iob deiectus in paupertatem, factus est etiam ulcerosus, & oĩbus abominabilis, & tandẽ consecutus est duplo plura, quàm antè habuit. Lazarus mortuus est in sua paupertate, & consecutus est perpetuas diuitias in sinu Abrahæ. Habes eandem in tribus afflictionem, habes etiam salutem Dei, sed quæ uarijs modis collata est. Quare in inuocatione diuini auxilij relinquamus modum & tempus seruandi Domino, ut ipse nos seruet pro eo modo, quem nouit nobis esse utilissimum. Sunt quidem in hodierno Euangelio alia multa obseruatu digna, sed tempus non sinit ea explicare. Quod autem diximus de uoluntate Dei erga nos, ideo diligenter est obseruandum, uẽ discamus ex eo summum Dei cultum, quod est benè de Deo cõsidere. Nã cum hunc cultum præstiterimus Deo, tunc non solum ambulabimus uirtute spũs sancti in iusticia huius seculi, sed etiam pergemus rectà ad regnum cœleste, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Deus laudandus in secula, Amen.

QVARTA DOMINICA POST Epiphaniæ. Euang. Matt. 8.

Ascendẽte Iesu in nauiculã, secuti sunt eũ discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur



fluctibus, Ipse uero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerũt eũ dicẽtes: Dñe, salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit uentis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porrò hoĩes mirati sunt, dicẽtes: Qualis est hic, quia uenti & mare obediunt ei?

HOMI-

HOMILIA PRIMA, DE NAuicula Petri, habita anno 1541.



IN Euangelio quod nunc recitauimus, duo nobis obseruanda proponuntur, Alterum est ingens & stupendum illud miraculum, quo Christus uno uerbo suo cõpescuit tempestatẽ maris, è quo confirmauit ueritatem doctrinæ suæ, q̃ ipse non solum sit reconciliator noster erga Deum, sed etiam uerus Deus Dominus cœli & terræ, & maris, & oũm quæ in eis sunt. Alterum est, q̃ in historia huius Euangelij proponitur nobis imago totius Ecclesiæ Christi, & fortunæ, quam Ecclesia habere solet omnibus seculis ab initio orbis terræ usq; ad consummationem eius. Et quia antea sæpe numero ostendimus rationem miraculorum Christi, explicabimus nunc in hac historia imaginem et typũ Ecclesiæ, qui ideo nobis ob oculos ponitur, ut magnitudine aduersitatis non abducamur à fide et obediẽtia Christi, sed tanto cõstantius Christum sectemur, quanto maiores procellæ nobis imminẽt. Cùm igitur hac Euãgelij historia depingitur nobis Christi ecclesia & fortuna eius, obseruandum erit initio quæ sit uera Ecclesia. Sunt qui occasione huius Euangelij uocãrunt ecclesiam, Naviculam Petri, & dictum est, q̃ Nauicula Petri soleat quidem mergi, sed nõ submer

gi, hoc est, Ecclesia periclitatur quidem, sed nõ perit in periculis. Hoc uerissimè & aptissimè dictũ est. Audiamus igitur quæ sit uera ecclesia Christi, ut & ueram Nauiculam agnoscamus. Ac principio, Ecclesia Christi in præsentia, non dicitur lapideum illud templum, in quo cõuenimus ad audiẽdum uerbum Dei, & sumenda sacramenta Ecclesiæ. nã id genus & construuntur manibus et iterum destruuntur manibus. Deinde Ecclesia non dicitur cõgregatio tantum aliquot Episcoporum ex omnibus nationibus. Etsi enim in legitimis & pijs Conciliis, quæ initiò celebrata fuerunt, multi boni uiri aliquoties conuenerint, qui fuerunt membra ecclesiæ, tamen hi non fuerunt tota ac talis Ecclesia, quæ non potuerit errare, & quæ habuerit potestatem cõdendi nouos articulos fidei. Sed ecclesiam Christi dicimus eum populi cœtum, qui agnoscit Euangeliũ Christi, et credit in Christum Hæc Ecclesia non est unius tantum temporis, sed est oĩm seculorum et ætatum. Adam cum familia sua, cũ Eua et Abelo fuit Ecclesia. Noẽ cùm familia sua fuit ecclesia, quia habebãt Euangelion Christi, & erant in eo cœtu, quia credebat in Christũ. Melchisedec cum populo suo fuit Ecclesia. Abraham cum familia sua. Sic Isaac, Iacob, Dauid, Prophetæ & apostoli cum suis auditoribus credentibus Euangelio Christi fuerunt ecclesia. Et hoc tempore ubicunq; prædicatur Euangelium Christi et agnoscitur, ibi est ecclesia Christi.

Secundò,

Secundò, hæc est igitur ecclesia illa, quæ aptissimè uocatur Nauicula Petri. Habet. n. ecclesia planè eandē fortunam, quam uidemus in hodierno Euangelio Nauiculam Petri habuisse. Etsi. n. Christus sedet in hac naui, & habet secum præcipuos discipulos, tamen tāta oritur tempestas, ut nauis pene submergeretur: ita etsi Christus semper præsto adsit suæ Ecclesiæ, tamen ecclesia semper fuit in hoc mundo tantis periculis expositā, ut uideretur omnino peritura. Vide mihi ecclesiā sub Adamo. Præcipuum membrum in ea erat iustus Abel, sed in hunc grassatur Cain propter religiōem, & trucidat eum. Et hoc erat initium tempestatis aduersus Nauiculā Petri. Initium (inquam) erat persecutiōis aduersus ecclesiā, quæ persecutio duratura est usq; ad cōsummatiōem seculi. Sic passa est ecclesia persecutionē sub Abrahamo ab Ismaele, Sub Isaaco ab Esau, Sub Mose à Pharaone. Sub Elī Pōtifice capiebatur Arca à Philistimis, et uidebatur Ecclesia peritura. Sub Hieremia deuastabatur Hierusalem à Babyloniis, & uidebatur ecclesia nō peritura, sed iam periisse. Cùm Christus crucifigeretur, qui erat caput Ecclesiæ, omnino actum esse de Ecclesia iudicabatur. Nos putabamus (inquiunt) eum redēpturum Israel. Itaq; Ecclesia oībus seculis exposita fuit periculosissimis fluctibus ueluti in medio maris, Cuius rei imago non solū in hac Petri Nauicula proposita est, uerumetiam in Arca Noē, in qua cùm Ec-

clesia cõgregata fuerit ex toto orbe terrarum, nihil nõ periculorum fuit ipsis expectãdum. Tertiò. Qui ergo fit, q. Ecclesia semper cogitur esse periculis exposita, ut nauis uento & procellis? Num quia sectatur impietatem? Scriptum est enim: Maledictus qui non permanet in uerbis legis. Minimè omnium. Etsi enim impietas sit maledicta, & supplicijs obnoxia, non tamen omnes coram Deo maledicti sunt, qui aduersis in hoc seculo affliguntur. Num ideo affligitur Ecclesia quòd Christus absit? Ne id quidem. Christus enim semper præsto adest suæ ecclesiæ. Sed ideo affligitur, quia Christus dormire uidetur, hoc est, quia Christi regnum uidetur in hoc seculo infirmißimũ. Non enim dominatur in hoc mundo iuxta externam maiestatẽ Regum & Monarcharum. Sed ante incarnationem suam reuelabat regnum suum tantum promißionibus & figuris Legis. Post Natiuitatem suam prædicabat tãtum de regno suo per Euangeliũ. Post ascensum suum in cœlos, misit apostolos in orbẽ terræ, et ordinauit ut Euangelium prædicetur, interim çonniuet ipse inuisibilis ad oẽm ueterem cursum huius seculi. Quare Ecclesia ideo exposita est tot periculis, quòd Christus dormire uidetur, & q. regnum eius non sit de hoc mundo. Quartò. In his ergo periculis quæ in hoc seculo ferenda sunt, quid faciendum est ut seruemur? Alij quidẽ, qui sunt impij, desperant de salute ecclesiæ, & dant operam, ut ex hac naufra-

la

la transiliant in terram firmam, hoc est, tradunt se relicta religione, moribus huius seculi. Contemnunt religionem, in qua tanta pericula sufferenda sunt, et student rebus terrenis, ut tranquillã uitam ducant. Alij autem etsi non discedunt ex nauicula, sed excitant Christum, tamen penè despondent animum suũ, & excitant Christum importuna diffidentia, Ideoq; reprehenduntur. Nos autem debemus ipsum excitare ex fide. Excitatur autem ex fide, si crediderimus quòd ipse sit adiutor in tribulationibus & necessitatibus, & inuocauerimus eum, ut nobis iuxta promissionem suam subueniat. Excitatur etiã filius Dei pijs precibus. Exẽpla sunt preces Mosi. Filius enim Dei dormire uidebatur, cùm Pharao conclusisset Israelitas, hoc est, Ecclesiam intra montana et mare rubrũ, Sed excitabatur à Mose, qui audit: Quid clamas ad me? Loquere filijs Israel ut proficiscantur. Tu autem eleua uirgam tuam, et extende manum tuam super mare, & diuide illud, ut gradiantur filij Israel in medio mari per siccũ. Ego autẽ indurabo cor Aegyptiorum, ut persequãtur uos, & glorificabor in Pharaone, Et scient Aegyptij, quia Ego sum Dominus. Videbatur etiã filius Dei dormire cùm Saneherib incurrisset in regnum Iuda, & in hoc erat, ut deuastaret urbẽ Hierusalem, sed excitabatur precibus Ezechiæ regis. In actis cap. 12. uidebatur filius Dei dormire, cùm Herodes occidisset Iacobum gladio, & uolebat

etiam Petrum trucidare. Ibi ecclesia excitabat precibus suis filium Dei, qui misit angelum, ut eriperet Petrum. Quare Ecclesia exposita uarijs periculis et procellis maris, ad orationem tanquam ad sacram anchoram confugere debet. Nam quid impetret & consequatur, in hodierno Euãgelio explicatur. Christus. n. excitatus sedat tempestatem, quo miraculo comprobauit filius Dei, q̃ necesse habeant ipsi cedere oẽs afflictiones, adeoq̃ mors ipsa. Habes imaginẽ & typum fortunæ ecclesiæ in historia hodierni euangelij. Nunc ea quæ audiuimus in priuatum etiam usum transferenda sunt. Vnicuiuis pio expectandæ sunt in hoc seculo maximæ afflictiones. Sed non est ideo è naui prosiliendum, sed manendum Excitandus est Christus. Is non tantum iuuat seruando homines in hac uita, sed etiam seruando eos in media morte. Dicitur uictor mortis, non in sua tantum externa persona, uerumetiã in uniuersa sua Ecclesia, quæ est corpus eius. Excitemus igitur Christum fide & precibus, ut siue uiuamus, siue moriamur, salutẽ per ipsum consequamur, Amen.

HOMILIA SECVNDA, habita anno 1542.

BReue est Euãgelium de sedata tempestate, quod recitauimus, sed continet in se multa obseruatu digniſima. Docet. n. non solum quam fortunam

tunam habere soleant homines pij in hoc seculo, cùm obsequuntur uocationi diuinæ, sed etiam docet tam nos ipsos, quàm Iesum Christum Dominum nostrum uere cognoscere. Quare cùm nobis necessaria sit ad salutẽ, & nostri & Iesu Christi cognitio, nihil nobis prius esse debet doctrina hodierni Euangelij. Cùm enim Iesus inchoasset in Galilæa officium prædicandi Euangelij, & declarasset iam aliquot miraculis tam ueritatem doctrinæ suæ, quàm maiestatem personæ suæ, ascendit quodam die in nauim, & secuti sunt eũ discipuli eius, quos & iussit trãsfretare. Ecce autem tã magna tẽpestas orta est in mari, ut naicula operiretur fluctibus. Hîc nobis aliquantisper consistendum erit. Quid n. hic uides, nisi factum Christi, mandatum Christi & obedientiã discipulorum? Christus ascẽdit in nauim, Discipuli sequuntur. Christus iubet eos trajicere mare, Discipuli obsequuntur. Nihil uides, nihil audis iniquum, & tamen tanta oritur tempestas et infœlicitas, ut omnia uideantur interitura. Quid? an non potuisset quispiam cogitare, nullã ibi esse prosperam fortunam, ubi sit Christus? nec eo tantum tempore id accidit, sed hic est solennis cursus rerum in hoc seculo, q. infœlicius procedunt, quæ iustè quàm quæ iniustè fiunt. Et sunt qui palàm dicere audeant, se multo infœliciores esse in obediendis, quàm in trãsgrediendis præceptis Dei. Ac homines sæpe malas causas obtinere solent, in optimis autem cõ-

dere. Quod cùm non iam primum in orbẽ intrauit, sed solenne fuit ab initio orbis terrarũ, existimárunt impij ideo accidere, quòd aut nõ sit Deus, aut si est, non gerat curam rerum humanarum. Sed lõgè alia est causa, propter quam non soleat esse magna fœlicitas huius seculi in studio iusticiæ. Etsi enim est Deus in cœlo, qui administrat omnia, et cui omnes res sunt curæ, qui et omnia rectissimè creauit ac ordinauit, tamen postquàm Adam peccauit, factus est Satan propter peccatum princeps huius mundi, qui omnes rectas ordinatiões Dei, quoquo modo potest, inuertit & euertit, ac efficit, ut ea multo infœlicius gerãtur, quæ rectè quàm quæ secus fiunt. De hoc principe, sicut de uero peccato, nihil nouerunt Ethnici. Quare non est mirum, q̃ nõ cognouerunt ueram causam tã tæ cõfusionis in terra. Nobis autem manifesta est potentia Satanæ, & Christus ipse perspicuè docet in parabola, quam recitat de mimico seminante zizania interbonum semen. Hac parabola manifestè significatur, q̃ quæ Deus rectè cõstituit & ordinat, ea satan turbet & confundat. Dices igitur: Nõ miror quidem q̃ Satan resistat Deo, & pugnet cum ipso, ut ordinationes eius inuertat, Sed hoc miror, q̃ Deus cõniueat Satanæ, & permittat ipsi tantam lasciuiendi potentiam? De hac re nobis pauca quædã dicenda sunt. Primum enim Deus conniuet Satanæ, ut inuertendo diuinã ordinationem & immittendo infœlicitatem in

obsequia

obsequia Dei, manifestum & cognitum nobis fat no strum humanũ ingenium. Vide mihi discipulos Christi. Hi sequuntur Christum, et qui uiderunt magna eius miracula, existimarunt se iã totos recta fide usq; ad summum impletos. Postquàm uero oritur tempestas, et Christus dormit, ibi tum perspicuum fit, quòd uix adhuc scintillã ueræ fidei conceperint. Ex hac igitur infœlicitate, quæ accidit in obsequio Christi, manifesta fit incredulitas cordis ipsorum, quæ antea occultissimè latebat. Iob obsequebatur Domino, permittebat autem Dominus Satanæ ut affligeret Iobẽ: admitio rectè quidem gerebat sese Iob, postquàm autẽ calamitas calamitatem trudebat, & Iob fiebat omnibus abominabilis, ibi tum erumpit in maximas blasphemias. Quis tanta mala in corde tam pij hoĩs erga Deum quæsiuisset? Habes exemplum etiam in Mose et Israelitis. Idem uides accidisse beato Hieremiæ. Is obsequitur uocationi Dei, & cõcionatur de deuastatione Hierusalẽ. Et in hac obedientia ridetur Hieremias, contemnitur, & in uincula etiam conijcitur. Quare fit impatiẽtissimus, ita ut etiã maledicat diei natiuitatis suæ. Quis existimasset tantam impatientiam latuisse in uiro tam sancto? Plurimum autẽ prodest, imo necessarium est, ut sanctis cognita sit impietas cordis ipsorum. Nisi. n. esset cognita, non fieret cognita clementia Dei, & sancti non orarent pro sua impietate, sed confiderent sua externa pietate. Pra

clarè dictum est à quodam, Multos potuisse fieri sapientes, si agnouissent suam insipientiam: ita rectè dici potest, multos potuisse fieri pios & sanctos, si agnouissent suã impietatem et iniusticiam. Quare q. Deus conniueat satanæ, ut inuertat ordinationem suam, & immittat infœlicitatem in obsequium Dei, fit propter utilitatem sanctorum, ut ex infœlicitate in obsequio Dei, discant suũ ingenium agnoscere, & ueram salutem inquirere. Deinde permittit Deus satanæ, ut reddat iustas actiones infœlices, quo excitet in sanctis fidem & inuocationem nominis Dei ad cõsequendam ueram salutem. Habes exẽplum in Israelitis. Iudic. 20. Suscipiebant bellum ex uocatiõe Dei aduersus Beniamitas, sed bis sunt uicti & fugati. Nõdum.n. inuocauerunt Dominum pro recta fidei uehementia, sed sperarunt in multitudine exercitus sui. Vincuntur igitur ut discãt Dominum ex uera fide inuocare. Adhæc, Deus cõniuet Satanæ in cõfundenda sua ordinatione, propterea q. præparauerit sanctis, et obedientibus suis maiorẽ benedictiõem & fœlicitatem, quàm quæ est huius seculi. Ac iniquum quidẽ esset, q. iusticia seu obedientia non esset fœlix, si nullum esset aliud seculum, in quo Deus nõ rependeret labores piorum. Nunc aũt quia Deus uult honorare suos pios maioribus benedictionibus quàm huius mũdi, non iniustè facit q. conniueat satanæ, dum infœlicẽ reddat obedientiam præceptorum Dei. Apostoli

& Prophetæ obedierunt Deo, et fuerunt in hac obedientia infœlices, quia trucidati ab impijs. Sed iußit Christus apostolos bono animo esse, Gaudete (inquiens) quia merces uestra copiosa est in cœlis. Quare cùm uidemus iustitiam & obedientiam Dei in hoc seculo esse infœlicem, nõ sentiamus nullum esse Deum, sed sentiamus Deum optimo cõsilio ista permittere, ut & impietas humani cordis nota fiat, & inuocatio nominis Dei excitetur, & ut maius beneficium à Domino cõsequamur. Vidimus quomodo se habuerit mare erga discipulos trauciẽtes cum Christo. Videamus nunc, quomodo sese habeãt discipuli. Orta enim tempestate et dormiente Christo, ibi tum discipuli trepidant, sursum deorsum cursitant, ac tantum nõ desperant. Hæc est imago humani cordis in afflictione. Existimat. n. aut nullum Deum esse, aut Deum non uelle adiuuare, seu, ut loquuntur, obdormijsse, aut etiam mortuum esse. Magna hæc est impietas, & dãda opera, ut quia in hac carne euelli prorsus non potest, saltem cõpescatur. Deus enim non dormit in afflictionibus piorum, qui ambulant in uocatiõe ipsius, & inuocant nomẽ eius. Nam Christus filius Dei, cui Deus omnem dedit potestatem, ascendit super oẽs cœlos, ut oĩa impleret, non tantum contemplando, sed præsenter adiuuando. Quis est (inquit Paulus) qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, & interce

dit pro nobis. Hic externus sol clarissimè quidem lucet, et intuetur de cœlo oẽm locum in terra sibi subiectum. At Christus Dominus noster nunc in cœlesti maiestate habitans, longè clarius, longè manifestius omnia intuetur, siue in cœlo siue in terra, nec ociatur intuendo, sed tantam agit curã suorum, ut etiam numeret gemitus eorum. Vnde Psal. 55. Deus uitã meam adnunciaui tibi, posuisti lacrymas meas in cõspectu tuo, pro quo Hebræus ita habet, Gressus fugæ meæ tu numeras, ponis lacrymam meam in utre tuo: nũquid signatos habes in registro tuo gemitus meos? Vide exemplum Stephani. Hic cùm lapidandus esset, uidit Iesum à dextris Dei stantẽ, ut cognoscamus Iesum nõ dormire in afflictionibus, etiãsi cõniueat. Paulus colaphisatus ab angelo Satanæ, ter rogat Dominum, nõ tamen dormit Dominus, sed ait: Sufficit tibi gratia mea: quasi dicat, uideo tuos labores, sed & conniueam, tuo hoc bono fit, satis est quòd sciam, et tibi propicius sim, reliqua oĩa benè erunt. Quare, ut ut res acciderit in uocatione Dei, non est sentiendum q Deus dereliquerit nos, sed quòd meditetur nobis semper summã salutem. Cæterùm Christus importunitate discipulorũ excitatus, imperat mari et uentis, quæ & continuò obediunt ipsi. Maximum miraculum. Vno uerbo efficit, quod omnes Monarchæ huius mundi non potuissent collatis omnibus uiribus suis efficere. Voluit quondam Xerxes rex Persarum

uideri

uideri etiã dominus maris propter potentiam suam. Et cum tẽpestas maris abstulisset ei pontem in Hellesponto ædificatum, iussit ei uerbera infligi, & cõpedes in ipsum demittere, ac etiam notas inurere. Quo spectaculo quid fuit uanius? quid hoc rege insanius? Sed ualeat ille impius Ethnicus. Nam Christus Dominus noster potuit maris tempestatem uerè compescere, idq; uno uerbo. Ad quid ergo prodest nobis huius miraculi cognitio? Primùm, ut cognoscamus ueritatem doctrinæ Christi. Deinde, ut cognoscamus maiestatem personæ Christi. Postremo, ut excitemur ad inuocandum nomen Christi in omnibus tempestatibus cordis nostri. Magna tempestas est ignitio peccatorum. Ingens fluctus est horror mortis. Hæc si excitata fuerint in corde nostro, ostendit nobis Euangelium hodiernum Dominum mortis & tempestatum, quẽ si inuocauerimus, fieri nõ potest, quin euestigiò oës procellæ fiant trãquillæ per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula, Amen.

QVINTA DOMINICA POST Epiphaniæ. Euang. Matt. 13.

ALiã parabolã ꝓposuit Iesus, dicẽs: Simile est regnũ cœlorum homini, q̃ seminauit bonũ sem̃ in agro suo. Cùm aũt dor



mirent homines, uenit inimicus e/ius, & ſuper ſeminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cùm aũt creuiſſet herba & fructũ feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.

Accedẽtes aũt ſerui patrisfamili/as, dixerũt ei: Dñe, Nónne bonũ ſemẽ ſeminaſti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimi

cus

cus hō hoc fecit. Serui aūt dixerūt ei: Vis, imus & colligimus ea? Et ait: Nō, ne forte colligētes zizania, eradicetis simul cū eis & triticū: Sinite utraq; crescere usq; ad messē, & in tpe messis dicā messoribꝫ. colligite primū zizania, & alligate ea in fasciculos ad cōburendū: triticū autē cōgregate in horreum meū.

HOMILIA.



Vangelium quod proposuimus uidetur de re simplicissima & prophanissima tractare, uidelicet quid accidere soleat agricolis in agrorū suorum satione. Hi. n. nunquam tam bona semina in agros suos spargunt, quin unà succrescant etiam zizania. Quid hac re uulgarius aut magis cognobile? Attamen si rectè excutiamus hanc parabolam, inueniemus q. Christus medeatur per eam scandalo & offendiculo fidei longè oīm periculosissimo. Nam Prophetæ, ac præsertim Esaias, uaticinatē sunt de tēpore Aduentus Christi, q. cūm Christus aduenīat, omnes homines Christum agnoscentes sint futuri iusti & sancti. Esaiæ 54. Dabo omnes filios tuos doctos à Domino, et multitudinē pacis tuæ, & in iu

ſticia fundaberis. Itẽ: Populi tui oẽs iuſti in perpetuum. Et Hieremiæ: Poſt dies illos dabo legem meam in uiſceribus eorũ, & nõ docebit ultrà uir proximum ſuum, & uir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominũ. Oẽs. n. cognoſcent eum à minimo etc. Hæc & ſimilia loca prophetarum perſpicuè ſignificãt oẽs Chriſtianos in aduentu Chriſti fore iuſtos et ſanctos. Sed cùm Chriſtus iam aduenisſet in hunc mundum, & prædicaret Euãgelium ſuum, nihil minus uiſum eſt, quàm ut oẽs redderentur iuſti, ſed potius uidebatur, eos q Chriſtum agnoſcebant, ſubinde peiores et inobedientiores fieri. Idem planè uidetur etiam noſtris temporibus, ut quo diutius Chriſtianiſmis cõſtitit, et quo dilucidius Euangelium prædicatur, eo impudentiores & ſceleratiores fiant Chriſtiani. Quare factum eſt tempore aduentus Chriſti, ut propter talem rerum curſum, magna hoĩm pars noluerit Chriſtum pro uero Meſſia agnoſcere. Et hoc tempore qui ſibi prudẽtiores uidẽtur, ſentiunt oĩa temere labi, atq; nec Chriſtum aduenisſe, nec in regno cœleſti gubernare, cum uideant Chriſtianos nõ ſolum infœlices, uerumetiam ſceleratiſſimos oĩm nebulones eſſe. Et quanquam nemo tale quiddam ore loquitur, tamen qui ſibi ſapere uidentur, mouent capita ſuo, et cogitant ſecum, oĩa eſſe mendaciſſima, quæcunq; prædicantur à ſacriſiculis. Adeoq; alijs quibuſdam dictis ſententiam animi ſui haud obſcurè ſignificant. Alij. n. dicunt: ſe oĩbus

ſacrifi-

sacrificulis tam nouis quàm ueteribus fidem adhibere. Et cùm interrogantur, quomodo? Respondent. Quia ueteres dicunt, nouos esse nebulones. Et noui dicunt, ueteres esse nebulões. Atq; hoc utrunq; sese credere. Hoc dictũ iudicatur esse urbanum & ridiculum, sed pspicuè indicat religionis cõtemptum. Alij enigma proponunt, quæ sit uera & recta uia ad æternam uitã, atq; hoc ita soluunt ut dicãt, Si ueteres sacrificuli ex una parte arborum, & noui ex alia suspenderentur, eã uiam quæ media est inter suspensos esse rectißimã ad cœlum. Hæc cùm cõmemorãtur, ridetur, applauditur, et urbanißimè dicta iudicantur. Sed si rem probè perspicias, horrenda sunt inter Christianos. Ac nõ multum quidem referret si hæc dè ea redundarẽt tantũ in sacrificulos, quos uocãt, seu ministros ecclesiæ, sed hæc demum maxima est impietas, q; redundent in ipsum Christum & Euangelium eius. Hoc enim sibi uolunt ista dicta, q; omnia sint uana falsißimaq;, quæ de Christo & Euangelio eius dicuntur, propterea q; omnia temerè labantur, & ex quo die Patres dormierunt, sic omnia permanẽãt ab initio conditionis. Christus igitur tanto offendiculo medetur hac parabola, in qua perspicuè docet, Primùm, unde tot mala & peccata inter Christianos oriantur. Deinde quãdo peccata penitus è regno suo eradicanda sint. Assimilatum est (inquiens) regnum cœlorum etc. Regnũ cælorũ non est hoc loco intel-

ligendū, regnū illud absconditū in cœlo, in quo Deus & angeli in maiestate incōprehēsibili uiuūt. In hoc n. regno nulla crescunt zizania, sed oīa sunt iusta et fœlicia. Sed intelligendū est regnum cœlorū, quod Christus secum attulit in terrā, uidelicet, status reuelati Euāgelij p Christum et Apostolos eius. In Daniele enumerantur quatuor regna terrestria, Babyloni cum, Persicū, Alexandrinum, et Successorum Alexādri, et his adijcitur regnum quintū, quod uocatur regnū Dei, seu cœlorum. Et dicit Propheta: In istis regnis ac præsertim in postremo reuelandum esse Euāgelium. Quod tunc reuelatum est, cum Christus aduenit, & prædicauit Euangelium suum. Ergo cùm nunc prædicatur Euangelium de remißiōe pctōrum propter Christum, & de uita æterna, uere dicimus regnum cœlorum in terra esse, & nos in regno cœlorum uersari. In hoc igitur regno, hoc est, in ecclesia, idem propemodum accidere solet, quod accidit bono agricolæ. Etsi n. agricola bonum semen seminauerit in agrum suum, tamen habet malum uicinum qui inuidet ei bonam fortunam, et noctu spargit malum semen inter bona. Sic & accidit in ecclesia. Nam Christo interprete, agricola significat Christum, Ager est mundus. Christus. n. quod ad se attinet, sparsit optimum semen in agrum mundi, nec ullus est defectus in hoc patrefamilias. Primùm. n. Christus exposuit legē Dei exactißimè, ut unusquisq; perspicue intelligere queat, quid ipsi diuinitus mandatum sit, ut

in Matthæo & Luca scribitur. Deinde docuit Euangelium clarissimè, q̃ propter ipsum solum habeamus placatum patrem & uitã æternã. Adhæc nõ cõtẽtus fuit doctrina, sed etiã rebus ipsis administrauit nobis salutẽ. Exposuit. n. seipsum uarijs afflictiõibus, & obiecit se tã cruci quàm morti, ut expiaret peccata nostra, et recõciliaret nos sua passione cùm Deo patre suo. Postremo postquam resurrexisset à mortuis, misit spiritum sanctum in Apostolos, qua admirabili missione confirmauit Euangelium suum, ut uulgaretur in totum orbem terrarum. Vnde & apostoli diligentissimè & fidelissimè sparserunt bonum illud semen Euãgelij seu doctrinæ Christi in totũ mundum. Et quisquis huic doctrinæ per Christum prædicatæ, & per apostolos sparsæ fidem adhibet, is certè fit iustus & beatus. Quare quantum ad Christum agricolam pertinet, nihil est omissum, quin omnia in regno cælorum, in Ecclesia, optima essent. Vnde igitur tot mala quotidie pullulant? Sequitur: Dormientibus hominibus, uenit inimicus homo &c. Et is inimicus, interprete Christo, est Satan. Nam q̃ tot mala in Ecclesia oriantur, & tot peccata designentur, nõ uenit uel à Deo Patre, uel à Christo filio Dei, Sed à Satana. Etsi. n. Deus omnia administrat, tamen non est autor peccatorum. Deus enim natura bonus est, quomodo igitur operaretur mala aut peccata? Præterea, publica lege prohibuit peccata. Et Lex decalogi pu

blicum est testimoniũ uoluntatis Dei, q; abominetur peccata, quomodo igitur faceret peccata? Psal. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Et paulò antè: Non Deus uolens iniquitatem tu es: neq; habitat iuxta te malignus. Vnde ergo peccata oriuntur? Certè si originem respicias nõ aliunde, quàm ab autore Satana. Gen. 3. decepit Satan mendacio suo Patriarcham nostrũ. Et Ioan. 8. Ille homicida est ab initio, et in ueritate nõ stetit, quia non est ueritas in eo. Cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est, et eius rei pater. Et hoc loco inimicus homo sparsit malum semen, ut oriantur zizania. Ergo ne (inquies) uita qua uiuit Satan, non est à Deo? Certè est à Deo, sed peccatum nõ est à Deo, Creauit. n. Deus satanã bonum, & adhuc cõseruat Satanam in sua uita, sed uti uocant in essentia. Sed is non perstitit in bonitate. Ergo quod est, à Deo est. Quod autem peccat, à seipso peccat. Quemadmodum. n. optimus faber lignarius habens dentatam bipennim, optimè quidem quantum ad se attinet ligna præcidit. Sed quia bipẽnis est dentata, fit ut opus fiat malũ. Sic et Dominus Deus optimus est artifex, sed quia habet instrumentum malum, quod est Satan, fit & opus malum per satanam, nõ p Deum. Sed iterum dices: Cur ergo Deus non mutat satanã, aut in totum eum exterminat, ut oĩa mala exterminarentur? Hoc est illud quod in Euangelio sequitur: Accedentes ad eum serui patrisfa-

millias, dixerunt illi: Domine, Nonne bonum semen &c. uis abeamus & colligamus &c. His uerbis exprimitur affectus piorum in ecclesia. Nam cùm pij uident tanta mala in mundo, ac præsertim in ecclesia, uehementer admirantur quî fiat, unde tot mala sint, cùm tamen Dominus non sit autor malorum, et Christus oĩa optimè administret? Et cùm respõdetur eis, Satanam autorem esse, continuo cogitant, quî fiat, q̃ Deus nõ extirpet Satanã unà cum oĩbus malis. Itaq; cupiunt ipsi, si possent, ministerio suo oĩa mala è mũdo eradicare, etiam fulmĩnibus. Lucæ 9. Ioannes & Iacobus dicunt: Domine uis dicamus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos, quemadmodum & Helias fecit? Huc accedunt Hier. 12. & Abacuc. 1. Sed audiunt serui hoc loco: Simite utraq; crescere &c. Hæc est ratio propter quã Deus toleret mala, & iubeat etiam nos tolerare. Quia si ipse aut nos uellemus oĩa eradicare, tunc bonum cum malo eradicaretur. Quare uult ut mala tolerentur usq; ad finẽ seculi. Atq; hìc uidemus q̃ quandiu hoc seculũ durauerit, durabunt in mũdo pcta & impietates. Et ut in hospitali infirmorum accidit, ut maior pars imbecillis sit, ita ecclesia est hospitale, ciuitas est hospitale, unaquæq; domus est hospitale, in q̃bus semper plus peccatur, quàm rectè agitur. Ergo (inquies) nec ecclesiastes, nec magistratus, nec pater familias pro sua uocatione puniet delicta? Absit. Vnusquisq; faciat suum

officiũ: ecclesiastes corrigat dicto, Magistratus pro sua ratione, Paterfamilias pro sua uocatione puniat scelera. Sed nõ egrediãtur limites suæ uocationis, id quod hoc loco admonẽtur. Nã ita in rebus humanis cõparatũ est, ut semp zizania unà cũ tritico crescãt. Primùm igitur magistratus et alij cõtineant se in sua uocatione, qua nõ possunt oĩa mala eradicare: deĩde cõsolẽtur se, q; si fecerint suum officium, ne desperẽt propter mala, sed cõfidant propter hanc Christi sententiam. Adhuc (inquies) nõ est mihi satisfactum. Cur, n. Deus cum posset nõ mutat Satanam, ut nõ crescat malum? Hîc iam Paulum audi Ro. 11. O altitudo diuitiarum & sapientiæ et cognitiõis Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, et imperuestigabiles uiæ eius. Quis. n. cognouit mẽtẽ Domini? Aut quis illi fuit à cõsilijs? Deus sibi huius rei causam reseruauit, et cognoscemus eã in futuro seculo. Interea oportet nos Deo subditos esse. Sicut subditi nõ cognoscunt causas oĩm operũ sui magistratus, nec milites cõsilia ducũ: Ita nec nos debemus perscrutari oĩa cõsilia Dei. Quo usq; autem durabunt hæc mala? Vsq; ad extremum seculi: donec hic mundus durabit erunt ecclesia & ciuitates hospitalia. In fine autem seculi omnia rectè ordinabuntur. Videtur & hoc ridiculum, quoties dicitur de extremo iudicio, quia differtur. At memimerimus quod dicitur: Diuturnum nõ est perpetuum. Et mille anni (dicit Petrus) sunt sicut unus dies. Præterita

terita transierunt, Ergo & futura transeunt. Quid prodest impio Sauli quod fuerit Rex? Quid Neroni? Haec transierunt, & nunc imminet Iudicium. Ibi iniquitas perpetua exterminabitur, Ibi ratio reddēda erit de uerbo ocioso, & de risu ac contemptu religionis, Ibi non proderit illa media uia inter suspensos ex arboribus sacrificulos, sed una erit ad uitam: Venite benedicti, Alia ad ignem: Ite maledicti. Quare in tempore resipiscamus, et discamus eam uiam, quae nobis proponitur ex Euangelio per Christum, ut in eo & per eum tanquam unicum saluatorem, perpetuam salutem consequamur, Amen.

DOMINICA SEPTVAGESIMAE,

Euangelium Matthaei 20.

SImile.n.est regnū cœlorū homini patrifamilias, q exijt primo diluculo cōducere operarios in oneā suā. Conuentiōe aūt facta cū perarijs ex denario diurno, misit eos in uineā suā. Et egressus circa horā tertiā, uidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis: Ite & uos i uineā meā, & quod iustū fuerit, dabo uobis. Illi autem abierunt. Iterū



autem exĩt circa ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa undecimam uerò exĩt, & inuenit alios ſtantes, & dixit illis: Quid hîc ſtatis tota die ociosi? Dicunt ei. Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & uos in uineam meam.

Cũ ſero aũt factũ eſſet dixit dñs uineæ procuratori ſuo: Voca operarios

rios,& redde illis mercedē,incipiēs à nouissimis usq; ad primos. Cùm uenissent ergo,qui circa undecimā horā uenerant,acceperunt singuli denariū. Venientes aūt & primi,arbitrati sunt q; plus essent accepturi. Acceperū t aūt & ipsi singuli denariū. Et accipientes murmurabāt aduersus patrēfamilias, dicētes: Hi nouissimi unam horā fecerūt,& pares illos nobis fecisti, q portauimus pondus diei & æstū. At ille respondēs uni eor, dixit: Amice,non facio tibi iniuriā. Nō ne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est,& uade. Volo aūt & huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod uolo facere in rebus meis? An oculus tuus nequam est,q; ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi,&

primi nouissimi. Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi.

HOMILIA PRIMA, DE MVTVA FIde quâ alter alteri debet, habita anno 1540.

QVod recitauimus Euangelium cõtinet utilem doctrinam, qua eruimur tam in mutuis officijs, quæ alter alteri in hac uita debet, q̃ in operibus cõscientiæ, quibus coram Deo uitam agimus. Nam uocati sumus ad duplicia genera bonorum operum. Alterum est, ut rectam et iustam uitam inter nos inuicem mutuis officijs & operibus caritatis transigamus. Alterum est, ut in cõscientia coram Deo rectè sentiamus, credamus, speremus, & quicquid est id genus operum. Vtrunq; uitæ genus nobis necessarium est. Hoc quidem ut per sõdem coram Deo iustificemur, illud autem ut per opera caritatis fidem testemur, & gratitudinem nostram declaremus. Cùm igitur in hac Euãgelij pericopa, quam recensuimus ex Matthæo, utrunq; proponatur, perstringemus eam breuiter, ut de uocatione eruditi, promptum obsequium Deo præstemus. Recitat ergo Christus parabolam de patrefamilias cõducente mercenarios in uineam suam. In hac parabola primum obseruandum est, q̃ paterfamilias conueniat cum primis operarijs de certa mercede. Atq; hi recipiunt quidem se laboraturos, sed postea murmurant

rant aduersus patremfamilias. Hic est rerum cursus in hoc seculo. Nulla est mutua hoim gratitudo, etiam si unicuiq; tribuas quod suum est. Et quod multo peius est, nulla est penè mutua hominum fides. Etsi. n. conueneris pacto quodam cũm proximo, uel de mercede, uel de solutione debiti, uel de conficiendo opere, tamen tanta est hominum inconstantia, ut nihil certi tibi de alterius fide & promissione polliceri audeas. Hoc uitium inter homines uulgarissimum est, quod inde adeo prouenire puto, quia homines existimant non esse peccatum, nec diuino supplicio obnoxium. Putant tantum latrocinia & furta esse peccata, uiolationem autem datæ, et promissæ fidei iudicant ludibria. Ostendendum igitur est quantum peccatum sit uiolatio præstitæ fidei seu promissiõis. Aliud est, si per te non steterit, quo minus seruetur fides. Sed si per te, aut auariciam, aut inconstantiam tuam steterit, ibi tum designatur tanto maius peccatum, quãto uilius ab imperitis hominibus iudicatur. Nam lex naturæ docet: Omnia quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Vult autem unusquisq; ut sibi data fides seruetur. Quare natura docet, ut & tu fidem serues. Itaq; uiolatio fidei peccatum est aduersus naturam. Et qui hoc peccatum designat, is non deberet locum habere inter homines, sed tantum inter bestias, quia degenerauit a natura humana. Capitale iudicatur, si quis temere publicum murũ, qui sacrosanctus dicitur, diruerit.

propterea q; peccaret in totam ciuium congregatio nem, quæ muris cõtinetur & munitur. At ciuium cõ gregatio multo magis constat & cõseruatur mutua fide. Si.n. inter ciues nulla fuerit tuta fides, nõ potest ciuitas diu cõstare. Igitur quantum peccant in ciui les leges, qui diruunt temerè publicum murum, tan tum peccant aduersus morales & diuinas leges, qui uiolant datam suam fidem. Nam Deus tanti facit ob seruationem mutuæ fidei, ut tulerit de ea propriam legem in decalogo: Nõ dicas falsum testimonium ad uersus proximum tuum. Non solum autem falsum di citur testimonium in iudicio publicè, sed falsa etiam testimonia sunt datæ fidei uiolationes. Paulus enume rat uiolatores fidei inter gentium scelera, & inter homicidas, blasphemos, & id genus alios. Repleti (in quit) omni iniusticia, inuidia, cæde, pactorum haud quaquam tenaces, alieni à caritatis affectu, nescij fœ deris &c. Porrò cùm fidei uiolatio horribile sit pec catum, habet etiã suum supplicium. Ac in Hieremia recensentur inter ea scelera, propter quæ Hierusalẽ & tota regio Iudæorum deuastata est. Hiere. 5. Cir cuite uias Hierusalem, & aspicite, & cõsiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis uirum facientẽ iudicium, et quærentem fidem, & propicius ero eis. Hìc loquitur Propheta de ciuili fide, quæ est inter ho mines in seruandis mutuis promissis. Et addit: Quòd si etiam dixerint, Viuit Dominus, & hoc falso iura bunt.

bunt. Quid ergo erit? Ecce ego (inquit) Dominus adducam super uos gentem de longinquo, gẽtem robustam, gẽtem antiquam &c. Et comedet segetẽ tuam & panẽ tuum, et deuorabit filios tuos et filias tuas, comedet gregem tuum & armenta tua, & comedet uineam tuam, & ficum tuam, & conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciã. Et Oseæ 4. Audite uerbum Domini filij Israel, quia iudiciũ Domino cum habitatoribus terræ. Non. n. est ueritas (hoc est, alter alteri non seruat fidem) non est misericordia, & non sciẽtia Dei in terra &c. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea. Atq; hoc externum supplicium peccati affert secum perpetuam damnationẽ. Maledictus (inquit) omnis qui non permanet in uerbis legis huius. Tametsi enim magistratus non semper puniat eos qui uiolant fidem, tamen Deus nõ conniuet ad hoc peccatũ, sed punit ipsum supplicijs corporalibus & spũalibus, tẽporarijs & perpetuis. Quare si uoluerimus esse homines, si uoluerimus supplicia effugere, si uoluerimus ut Deus nobis seruet fidem, necesse habemus ut & inter nos mutuam seruemus fidem. Atq; hactenus de ea uita, quàm inter nos mutuo transigere debemus. Nunc etiã de operibus quæ Deo debemus. Nam cũ uesperi uocarẽtur operarij, & numeraretur postremis æqualis merces cum primis, murmurârunt primi aduersus patrẽfamilias, tanquàm iniquum &

iniustũ. Hæc parabolæ pars significat Deũ ab hoĩbus condẽnari iniusticiæ. Est et hæc blasphemia uulgaris inter hoĩes, q, iudicemus Deũ esse iniustũ & iniquũ. Iudæi cùm audiũt Euangeliũ, et uident Gẽtes recipi à Deo, murmurãt aduersus Deũ, & cõqueruntur de magno suo labore in lege, cùm Gentes postremò ad ueenerint, et tamẽ consequantur eandem fœlicitatẽ, quæ ipsis in lege promissa est p semẽ Abrahæ. Hypocritæ murmurant aduersus Deũ, cùm uident peccatores consequi p fidem, quod ipsi nõ potuerunt cõsequi per multa opum suorum merita. Pauperes murmurant aduersus Deũ, q, tantas tribuerit diuitias locupletibus, & sinat ipsos esurire & algere. Infirmi murmurant aduersus Deũ, q, faciat alios iniquores sanos, se aũt cõiiciat in extremas infirmitates. Itaq; Deus accusatur ab hoĩbus iniusticiæ. Hæc est magna blasphemia. Et in hac parabola docet Christus Deum lõgissimè abesse ab iniusticia. An non licet mihi facere in reb. meis quod uolo? An oculus tuus malus etc. Aliud est debiti solutio, Aliud eleemosynæ distributio. Aliud est meritis reddere mercedẽ debitã, Aliud ex clemẽtia et liberalitate aliqd donare. Iã si Deus deberet oĩbus hoĩbus sempiternã salutẽ ex merito eorum, tũc esset iniustus, si uni daret cœlestẽ salutẽ, & alteri, q & ipse meritus esset cœlũ, daret infernum. Hæc esset magna iniusticia. Nũc aũt Deus nulli hoĩ quicquam debet, nec meritus est quisquam cœlestem fœlicitatem.

fælicitatẽ. Quare nõ est iniustus Deus, q̃ unũ clemẽ ter seruet, & alterum seueriter puniat pro merito suo. Iniustus esset magistratus, q̃ ex duobus, q̃ ambo bene meriti essent de repub. alterũ honoraret, alterum supplicio afficeret. Non est aũt iniustus, cùm ex duobus q̃ ambo malefactis satis meriti sunt mortem, alterum punit, alterum liberum dimittit, probabili quadã & legitima causa. Sic & de Deo sentiendum est, q̃ nõ sit iniustus, cum ex duob. qui ambo infernũ meriti sint, unum dãnat, alterũ beat. Quare absit ut Deum reputemus in cõscientia nostra iniustum, sed existimemus eum lõge oĩm iustissimum, etiamsi nos nõ intelligimus causas iusticiæ eius in hoc seculo. Deinde addit ad finem duo epiphonemata, quæ & ipsa erudiunt nos in cõscientia nostra erga Deum. Primi erunt nouissimi, & nouissimi primi. Multi uocati, pauci electi. Multus est abusus horum uerborũ seu dictorũ. Quare explicanda erunt paulò diligentius. Nam impij cùm audiunt: Nouissimos fore primos, nõ requirunt uerbum Domini, non resipiscunt, & cùm admonẽtur, dicunt sibi adhuc satis temporis esse ad resipiscẽdum, & sperare se adhuc primos fore, quia nunc sunt nouissimi, itaq; abutuntur hoc dicto in suã perniciem. Christus aũt protulit illud ad discendam pietatẽ, non impietatem. Consolatus est. n. his uerbis Apostolos & alios, ut non desperent in abiectione sua, sed bene confidant & sectentur suam uocatio-

nem. Etsi. n. alij, uidelicet, Pontifices & Phariſæi uideantur primi in populo Dei, attamẽ in regno Dei fieri ſolet, ut primi fiant nouiſſimi, & nouiſſimi primi. Inter Eſau & Iacob, Eſau erat primus, Iacob nouiſſimus. Sed Iacob factus eſt primus, & Eſau nouiſſimus. Sic inter Dauidem & fratres eius. Sic inter Iudæos & Gentes. Sic inter Phariſæos & peccatores. Sic inter Apoſtolos, & Nicodemum, & Ioſephũ in paſſione Chriſti. Quare nemo deſperet in ſua abiectione. Alterum epiphonema eſt: Multi uocati, pauci electi. Hoc abutuntur imbecilles ad deſperationẽ. Chriſtus aũt quæcunq; docuit ad confirmandam fidẽ docuit, non ad iniciendã deſperationẽ. Veni (inqt) ad conſeruandas animas hoĩm, non perdendas. Abutuntur & alij ad confirmandas hæreſes ſuas. Cum. n. aliquoties pauci ſint qui ſectantur errorẽ hæreticorum, ſolẽt ſibi de paucitate ſua blãdiri. At Chriſtus adiecit hoc epiphonema, non ut doceat deſperationẽ, non ut approbet paucorum impietatẽ, ſed ut cõſeruet fidem imbecillium in paucitate eorum. Nam cũ ij qui ſectantur ueram pietatis doctrinã pauci ſint, ſolent propter paucitatẽ ſuam in cauſa ſua trepidi eſſe & meticuloſi, cõſolatur nunc Chriſtus paucos, ut bene confidant, & pergãt in ſectatione rectæ doctrinæ, quia multi uocati, pauci electi. hoc eſt, Deus cõplectitur potius paucos ueritatẽ ſectantes, quàm multos ſectantes mendacia & impietatẽ. Sic multi

erant

erant Pontifices & Pharisæi, Pauci aũt Apostoli & discipuli Christi. Sic multi erãt Iudæi & Gẽtes, pauci autem Christiani. Sic multi nunc sunt qui stant à parte Romani Pontificis, pauci à parte Euangelij. Paucitas autem non deterreat nos à uocatione nostra, sed potius animet nos propter promissionem Christi, ut perseuerãtes in uera pietatis doctrina p̃petuam habeamus uitã in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

ALIA HOMILIA HAbita anno 1542.

PArabola, quã de patrefamilias, qui misit mercenarios in uineã suam recitauimus, paulò lõgior est. Sed Christus cõtulit eam in duas breuissimas easq; memorabiles sententias. Primi (inq̃ens) erunt nouissimi, & nouissimi primi. Et multi uocati, pauci uero electi. Tametsi autem Christus dixit has sententias ad consolationem omnium piorum & afflictorum hominũ, tamen sunt, qui his non rectè intellectis pessimè in suam ipsorum perniciem abutuntur. Quare adhibẽda est diligẽtia, ut sensum earum rectè percipiamus, et ex ipsis ea quæ sunt salutis nostræ discamus. Quod ut cõmodè explicemus, uidebimus antè omnia, qua occasione Christus hanc concionem habuit, Ea uero sic se habet. Christus sele

git ex omni auditorũ suorũ numero duodecim Apostolos. Et designauit etiã alios septuagĩta discipulos, q̃ essent collegæ prædicãdi Euãgelij de Christo. Erãt aũt hi selecti primũ ex infima sorte, uidelicet ex ordine piscatorũ & publicanorũ, non ex ordine Principũ & potentum ac Pontificũ huius seculi. Deinde erãt etiã paucissimi, si cõferebãtur cum multitudine Iudæorũ. Ac demãdauerat ipsis Christus ministerĩ, quod uidebatur nõ solum periculosissimũ, sed etiam grauissimũ, uidelicet, ut reprehenderent impietatẽ populi, & mueherent in orbem regnũ Christi, hoc est, nouã Religionẽ. Cum igitur non essent saxei, sed multis infirmitatibus præditi, uerisimile est, sæpe ac multũ ipsos cogitasse secũ: Quid uos estis ex infimo hoĩm genere, et audebitis sperare uos heroes illos futuros, q̃ totũ orbem reformaturi sunt? Hæc maiestas nullis Prophetis cõtigit, & cõingeret uobis hoĩbus abiectis? Si Deus aliq̃d præclari uellet in hoc seculo efficere, eligeret principes et proceres mundi, q̃ magnã habẽt autoritatẽ. Accedit huc q̃, uestrũ sint paucissimi. Vos ne soli sapitis, oĩbus aliis tam doctis q̃ sapientibus delirãtibus? hæc certè & his similia incidẽrũt in cogitationes Apostolorũ. Quare Christus recitat eis parabolã, et addit sentẽtias grauissimas, q̃bus cõsolatur eos, ut bono sint ãio, & pergant suam uocationẽ diligẽter exequi. Ac primũ de abiecto & humili ipsorũ ordine. Nõ debet (inq̃t) uos à functiõe

uestræ

uestræ uocationis deterrere, q̃ estis ex infima hoīm sorte, quia uobis accidit, quod mercenarijs accidit. Ex his. n. primi facti sunt nouissimi, & nouissimi primi. Quod pater familias fecit in suis mercenarijs, hoc Deus fecit in uobis ministris Euãgelij. Præcipui in Iudaismo sunt Põtifices et Principes, uos estis nouissimi et abiectissimi. Sed Deus constituit nunc uos in regno cælorũ, hoc est, in prædicatione Euãgelij primos. Quare pergendum uobis est in uestra uocatione. Nec noua est hæc consuetudo, qua ex nouissimis facit primos. Solẽne hoc fuit apud Deũ iam inde ab initio orbis terræ Iacob erat minor et posterior fratre suo Esau, sed posterior factus est prior. Et Deus dilexit Iacob, Esau aũt odio habuit. Dauid minimus & postremus fuit fratrum suorum, sed factus est primus. Daniel fuit postremus in Babylone & Persia, quia captiuus, sed factus est primus. Sic & inter mulieres, Ruth, Anna mater Samuelis, et Maria mater Christi, fuerũt mulieres postremæ, & factæ sunt primæ. Innumera sunt exempla, quæ longum esset nũc cõmemorare. Videamus igitur causas huius diuinæ consuetudinis, ut non abutamur hac sententia ad nostrum interitum, sed ut cognoscamus quomodo è postremis fiamus primi, & discamus in abiecta sorte consolationẽ accipere. Abutuntur aũt hac sententia temerarij qui dicunt, pergam in peccatis, et tandem fiam è postremis primus. Sed hæc est impietas. Hæc

sententia rectè intelligenda est. Primum enim q, Deus facit è postremis primos, hinc adeo accidit, quia Deus omnino hoc agit, ut nomen & gloria eius manifestētur in orbe terrarum. Non potest aũt magnã gloriam consequi è primis, hoc est, è sapientibus & potentibus ac diuitibus huius seculi, quia quod agũt tribui solet sapientiæ & potētiæ humanæ. Eligit ergo postremos, ut gloria eius manifesta fiat. Virtus mea (inquit) per infirmitatē perficitur. Deinde Deus recepit promissione sua miseros, afflictos & abiectos, qui dicuntur postremi, curæ sibi fore. Deus (inquit Psalmus) in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Et, Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, Cor contritum & humiliatũ Deus non despicies. Quare cùm tētamur de abiectione sortis nostræ, non est desponendus animus, sed inuocandus est Dominus ex fide, & sentiẽdum est, q, tunc simus in eo ordine, quo è postremis fiãt primi. Præterea q, Deus facit è primis postremos, hoc ideo fieri solet, quia qui primi sunt, hoc est, magnis dignitatibus & uirtutibus ornati in hoc seculo, hi solent non in Domino, sed in suis uirtutibus gloriari, et fastu intumescere, Deus aũt non potest ferre humanũ fastum, sed exigit, sicut debetur, ut soli suo nomini oĩs gloria accepta feratur. Deĩcit ergo primos, & eligit postremos, ut nõ glorietur in cõspectu eius omnis caro, et ut sola ipsius gloria eluceſcat. Sic inter Iudæos præ-

terĩt

terijt Pōtifices & Phariſæos, qui erant primi, & ſe-legit publicanos & meretrices ad regnum cœlorū, quia illi fidebant ſuæ iuſticia, hi autem nullam habentes iuſticiam, conſiſi ſunt tantum clementia Dei per Chriſtū. Hæc eſt gloria diuinæ miſericordiæ. Poſtea abiecti ſunt Iudæi qui erāt primi, & electæ ſunt Gētes quæ erant poſtremæ, quia in electione Gentium apparuit manifeſtè gloria diuinæ clementiæ. Et hæc de priori ſententia. Videamus nunc etiā poſteriorē. Multi uocati, pauci electi. Hac ſententia duo hoīm ordines abutūtur. Alij ſunt hæretici, qui cōmendant ſe paucitate. Auguſtinus ſcribit Donatiſtas & Manicheos mirū in modū gloriantes de paucitate ipſorū, propterea q; Chriſtus dicit, paucos eſſe electos, & paucos intrare in anguſtā uiam. Sic & noſtro tē pore gloriātur Anabaptiſtæ. Alij ſunt meticuloſi et ſuperſtitioſi, qui cùm audiūt paucos electos, deſpondent animum ſuū, & dicunt: Quid faciam? fieri non poteſt, ut inter paucos illos electos inueniā locum. Quare ducā uitam pro mea libidine & more. Chriſtus autem nihil eſt concionatus, quod nobis debeāt in perniciē & deſperationem cedere, Sed quæcunq; dixit, ea ſunt ad ſalutē noſtram, et ad concipiendam ſpem & fiduciam utilia ac neceſſaria. Igitur & hæc ſentētia nobis propoſita eſt, ut excitet & cōſeruet in nobis fidem. Ac initiò non eſt nobis ſentiendum, quòd Chriſtus hac ſententia confirmet impietatem

paucitatis. Non dico, causam idcirco iustam esse, q̃ pauci eam approbent. Paucitas enim approbantiũ, non facit ex impietate pietatem. Inter centum aut ducentos ciues pauci sunt latrones & adulteri. Ergo ne dicemus latrocinia & adulteria iusta esse, propterea q̃ pauci ea inter cẽtum designent? Sic & hæresis nõ est ideo approbanda, quia pauci sunt qui hæresim amplectuntur. Sicut nec approbanda est, si multi in eam consentiant. Nam Christus recitat hãc sententiam, ut commendet piorum, non impiorum paucitatem, et sustentet fidem piorum in paucitate ipsorum. Hi enim existimant se fortassis habere malam causam, propterea q̃ pauci eam approbent, & cogitant: Si rectè ageres & uera sentires, tunc omnes homines adscriberent se tuæ sententiæ. Christus autem iubet eos bono animo esse, & non propter paucitatem abiicere animum. Nam hoc non nouum est, sed iam antè usitatũ, q̃ pauci fuerint electi, hoc est, q̃ optima paucis placuerint, & pauci uocationem Dei susceperint. In diluuio omnibus proponebatur liberatio è diluuio, sed pauci suscipiebant eã. In medio Sodomitico multi uocabantur ad redemptionẽ, sed pauci eam consequebantur. In egressu ex Aegypto multi uocabantur ad terrã Israel, sed pauci ex his qui ultra uicesimum ætatis annum egressi erant ex Aegypto, cõsequebantur eam. In deuastatione Iericho multi uocabantur ad libertatẽ, sed pau-

cis

cis contingebat. Quare propter paucitatẽ credentium non est abijcienda fides. Sed quid causæ est, q̃ pauci fiant electi? Non est culpa, non est uitiũ Dei, sed est uitium hominum. Deus.n. uocat omnes ad salutẽ, & uult omnes homines saluos fieri. Venite ad me omnes (inquit Christus) qui laboratis & onerati estis, et ego refocillabo uos. Homines aũt tam impij, tam increduli, & tam scelerati sunt, ut oblatã salutẽ nõ recipiant. Quare quod ad Dei uocationẽ & gratiam attinet, licebit unicuiuis homini inter paucos electos inuenire locum & consequi salutem. Postremo est & illud in hodierna parabola obseruandum, q̃ in mercenarijs qui murmurant, pulchrè describitur humanum ingenium. Nemo.n. sua sorte contentus est, & cùm alter alterius fœliciorem fortunam uidet, tunc concipit inuidiam, & excogitat insidias quibus proximo incõmodum afferat: & planè idem nobis accidit, quod canibus, qui præsentem & obiectum cibũ nulla prorsus mora et uoluptate ita deuorant, ut tantũ respiciãt ad alium cibum obijciendũ: ita nos nõ sumus præsentibus bonis cõtenti, sed tantũ alia auidissimè expectamus, nullo interea fructu è præsentib. bonis accepto. Sed hic affectus domandus est, idq; uirtute spũs sancti. Et quia spiritus sanctus opatur in nobis p sua organa, ideo debemus ei organa præparare & proponere, ut per ipsa in nobis sit efficax, Organon aũtẽ spiritus sancti est uer-

bum Domini, quod organõ proponimus ei, cùm meditamur in uerbo & lege Domini. Primùm ergo requiritur, ut iuxta mandatum Domini cognoscamus nos ipsos, & cogitemus q, ne hoc quidem qualecũq; donum quod habemus meriti simus coram Deo, & q, etiam eo dono indigni sumus. Hoc si spiritus sanctus inuenerit in nobis, tunc efficit ut simus nostra sorte contenti. Deinde cogitandum est, q, ne pro hoc quidem dono, quod nunc habemus, satis gratiarum Deo uel egimus uel retulimus. Præterea cognoscendum etiam est, q, Deus sapientissimus omnium rerũ administrator distribuerit unicuiq; quæ ipsi utilia sunt. Et quãquàm nos iudicamus proximi fortunam nobis utilem fore, tamen Deus cognoscit eam nobis inutilem esse. Quare cedendũ est diuinæ sapientiæ, & tribuenda ei est gloria rectæ rerum administrationis. In humano corpore mẽbra sic distincta sunt, ut unumquodq; habeat suum donum, & incommodum esset, si alterum alterius donum usurparet. Exempli gratia, si oculus officium manus, & pes officium capitis faciendum susciperet. Sic etiam est in hominum uita. Omnia benè sunt distributa. Hoc tantũ nobis curandum est, ut unusquisq; suo dono contentus sit, & det operam ut hoc exornet. Sic enim fiet, ut qui fidelis est in paucis, constituatur super multa in regno cœlesti, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

DOMI=

DOMINICA SEXAGESIMAE

Euangelium Lucæ 8.



CVm aũt turba plurima conueniret,& de ciuitatibus properarẽt ad eum,dixit per similitudinẽ:Exijt q seminat seminare semẽ suum: & dũ seminat,aliud cecidit secus uiã,& cõculcatũ est,& uolucres cœli comederũt illud. Et ali

ud cecidit supra petram,& natum aruit,quia nõ habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ, suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam,& ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiẽdi,audiat. Interrogabant aũt eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysteria regni Dei,cæteris autem in parabolis,ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant.

Est aũt hæc parabola,Semen est uerbum Dei. Qui aũt secus uiam, hi sunt,qui audiunt, deinde uenit diabolus, & tollit uerbũ de corde eorũ,ne credentes salui fiant. Qui aũt supra petrã, hi sunt,q cum audierint, cũ gaudio suscipiunt uerbum.

bum. Et hi radices nō habēt, quia ad tēpus credūt, & in tpe tentationis recedūt. Quod aūt inter ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audierunt, & à ſollicitudinibus & diuitijs & uoluptatibus uitę eūtes ſuffocantur, et nō referunt fructum. Quod aūt in bonam terrā, hi ſunt, qui corde bono & optimo audientes uerbum, retinent, & fructū afferunt in patiētia.

Nemo aūt lucernam accēdens operit eam uaſe, aut ſubtus lectum ponit, ſed ſupra candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumē. Nō eſt. n. occultum, quod non manifeſtetur, nec abſcōditum, quod non cognoſcatur, & in apertū ueniat. Videte ergo quid audiatis. Qui enim habet, dabitur illi, & quicunque non habet, etiam quod putat ſe habere, auferetur ab illo.

HOMILIA PRIMA, HABITA ANNO 1540.

PArabola quam de seminatore ex Luca recitauimus intellectu facilis est, nec indiget multa interpretatione. Nam Christus ipse suscepit eam discipulis interpretandã, quã et tam perspicuè exposuit, ut magna esset temeritas si qs conaretur eã aliter & melius exponere. Quare hoc tantum nobis elaborãdum est, ut quod est dilucidè expositum conseruemus, et eo ad salutem nostram utamur. Summa igitur parabolæ & expositionis eius est, q̃ in concione Euangelij idem accidere solet, quod in seminatione. Nã ut in seminatione aliud semen cadit circa uiã, & conculcatur, aliud cadit supra petrã, & exaresc it, aliud inter spinas, & suffocatur, aliud in terrã bonam, & fert fructum copiosum. Ita in concione Euãgelij, alij excipiunt Euãgelium, iuxta uiam, hoc est, audiunt quidem, sed sectantur publicos uulgi mores: alij excipiũt supra petram, & in tentatione amittunt: alij excipiũt in cor spinis obsitum, hoc est, curã diuitiarũ occupatum: alij excipiunt in cor fidele, quod est terra bona, & fert fructum centuplũ. Principio, hæc parabola excitat nos à somnolentia et ignauia sectãdæ uocationis Christi. Nam in hac parabola nihil agitur de contẽptoribus

ptoribus uerbi Dei, nihil de persecutoribus, sed tantum de auditorib. Euãgelij. Et tamen inter hos quarta tantum pars seruatur. Tres. n. partes auditorum pereunt. Quid ergo dicemus? num quia paucissimi sunt, quibus Euãgelium utiliter cedit, abijciemus uocationẽ Dei ex desperationẽ? Minimè omnium. Generalis enim regula est, q. uerbum Dei in hoc est reuelatum, non ut perdat, sed ut seruet homines, non ut deterreat hoïes à uocatione Dei, sed ut in uocatione Dei conseruet eos. Lu. 9. Filius hominis (qui est uerbum Dei) non uenit ad perdendas animas hominum, sed ad seruãdas. Quare quæcũq; scripturæ sententiæ uidẽtur te abducere à spe in Dominũ, & solliciture ad desperationẽ, scias te non rectè eas intelligere, nec rectũ sensum earũ assequi. Itaq; quod hoc loco Christus concionatur de paucitate uerè credentium, nõ in hoc concionatur, ut deterreat auditores à sectãndo Euangelio, & cõijciat eos in desperationẽ, sed ut excitet eos ab ignauia et torpore, id quod Euãgelista ipse significat, cùm ait: Plurimã turbam conuenisse & properasse ad Christum. Et Christus mox ait: Qui habet aures audiendi, audiat. Quibus uerbis significatur, multos quidẽ esse auditores uerbi Dei, sed paucos inter eos uerè fideles, quia inter hos auditores multi erant somnolẽti, multi curiosi, multi ignaui, qui putabãt se posse consequi regnum cœlorum somnolentia. At regnum cœlorum non pa

ratur ignauia & somnolentia, sed expergiscendum est, & uocatio Dei studiose sectãda est. Passus quidẽ est Christus pro peccatis nostris, & emeruit nobis cœlestem hæreditatem, non est autem ideo passus ut nos torpescamus, sed ut postquàm expiauerit peccata nostra, exẽplum eius imitemur et bona faciamus. Quemadmodum n. industrius parens, congregat sollicito labore liberis suis mulcas opes, nõ ut liberi dilapident eas, sed ut conseruent eas diligentia, & in timore Domini fruantur. Ita Christus parauit nobis cohæredibus suis æternum patrimonium, non ut socordia dilapidemus, sed ut pietate & diligentia seruemus, & perpetuo fruamur. Quare Christus non uult hac parabola deterrere imbecilles in fide, sed excitare torpidos, ut excutiant somnolentiã, & sectentur uocationẽ Dei. Certum. n. est præmium nostrũ, si modo curramus. Nõ accidit hic, quod ijs q̃ in stadio currunt. Hi omnes currunt, unus autem accipit brabium. Ergo in incertum currunt. Nos autem non currimus in incertũ. Nostrum brabium certum est omnibus currentibus, quia fundatum est, non super nostræ iniusticiæ merita, sed super merita Christi, quæ sunt certißima & firmißima. Quare studiose obediendũ est uocationi Dei. Deinde hæc parabola obstruit ora sycophantarum calumniantium uerbum Dei, & excusat uerbum Dei. Sycophantæ. n. calumniantur uerbum Dei, q̃ nullum fructum affert.

Quid

Quid? inquiunt. Quomodo hoc Euangelium posset esse uerum, cùm nullũ uideamus ex eo fructum? Maxima auditorũ pars manet in ueteribus suis sceleribus, adeoq; seipsis subinde peiores fiũt, quomodo igitur posset esse uerbũ Dei? Itaq; Christus recitat parabolã, qua explicat q̃ nulla culpa sit in uerbo Dei, sed tota culpa est in auditoribus. Sicut.n. in semente, si semen bonum fuerit, nulla culpa reijci potest in semen q̃, non afferat fructum, sed tota culpa est in terra excipiẽte semen. Alia est trita, alia est petricosa, alia est spinosa. Ita in concione Euãgelij nulla culpa est uerbi Dei, sed tota culpa est in auditoribus. Alij sectantur uulgi exempla, alij sunt suffocati curis huius seculi, alij habent dura corda. Horum igitur culpa est q̃ bonum semen Euangelij nullum fructũ afferat, quia ipsi nõ afferunt cor à petris & spinis purgatum, non afferunt agrum bene cultum. Videamus ergo ex ordine quomodo ager cordis nostri purgãdus sit, ut fiat terra bona, & excipiat semen Dei ad proferendum multum fructũ. Ac primus ordo auditorum est eorum, qui significãtur per uiam tritam, in quam semẽ cadit, sed cõculcatur, & uolucres cœli deuorant illud. Hi sunt qui audiunt quidẽ uerbum Dei, sed sectãtur exempla trita & publica uulgi, dicunt se mãsuros cum multitudine. Multitudo aũt populi ducit uitam impiam & iniustã. Ad horum mores multi sese cõparant: Multitudo blasphemat, peie

rat, studet imposturis, helluatur, sectatur scortationes, maledicit etc. Qui autem ea mẽte prædituſ est, q̃ uelit uulgi mores sectari, is etsi audit uerbũ Dei, tamen conculcatur in eo per exemplar uulgi: & angeli Satanæ, qui sunt uolãtes spiritus, auferunt illud è corde. Hæc non est bona terra, sed ut fiat bona elaborandũ est. Nõ debemus esse ignaui agricolæ. Quo modo ergo hæc terra colenda est, ut fiat bona? Primùm cognoscendũ est, quid scriptura sentiat de multitudine uulgi. Multitudo peßimè audit, q̃a peßimè agit. Ante diluuium maxima hominum pars impiè egit, & in diluuio perijt, paucißimi seruati sunt. Ante incendiũ Sodomiticum, multitudo impiè uixit, et incendio perijt, paucißimi seruati sunt. Ioan. 14. Dabit alium consolatorem spiritum ueritatis, quẽ mundus non potest accipere. 1. Ioan. 2. Ne diligatis mundum, quia omne quod est in mundo ueluti concupiscẽtia carnis, concupiscentia oculorũ, & fastus uitæ, nõ est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit & cõcupiscentia eius. Qui autem facit uoluntatem Dei manet in æternum. Vulgatum dictum est: Fallitur insipido qui uult confidere mundo. Deinde cogitandum est quòd Deus promiserit sectãtibus suã uocationem præmia cœlestia, etiamsi unus tantum aut alter eã sectaretur. Hæc est cultura qua terra bona fit ad excipiendum semen Dei. Secũdus ordo est eorum qui adumbrãtur per terram petricosam. Ab ijs

ergo

ergo exigitur ut effodiant petras et saxa, et purgẽt terrã. Quomodo autem hoc fieri soleat? nimirum per diligentem meditationem promissionum Dei. Esaiæ 54. Montes cõmouebuntur, & colles cõtremiscent, misericordia aũt mea non recedet à te & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miserator tuus Dominus. Et Hiere. 33. Si irritũ potest fieri pactum meum cum die & cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo, et pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, ut nõ sit ex eo filius qui regnet in throno eius. His et similibus promissionibus munienda est cõscientia aduersus futuras tentationes, ut cõcipiamus uerã fidem, quæ et in aduersis constet. Præterea discendum est, q. Deus immittat nobis tẽtationes, non ut pereamus, sed ut maiora beneficia conferat. Hoc multis exemplis comprobatum est, q. Deus nulli unquàm credẽti afflictionem immiserit, quam non compẽsauit maiori fœlicitate. Tertius ordo est eorum qui adumbrantur per terrã spinosam. Est & hæc terra purgãda. Consideranda est conditio diuitiarum et uoluptatum huius seculi. Diuitiæ nõ prosunt in die iudicij. Voluptates nõ constant, non auferimus nobiscũ diuitias. Et futura uita perpetua est. His et alijs id genus meditationibus terra cordis nostri colitur, ut fiat bona et faciat fructũ: Nam omnino debet in nobis uerbũ Dei fructificare. Quartus ordo est eorũ qui adumbrantur per terram bonam.

Hi dãt opam, ut cognoscãt uerum scopũ Euãgelij, q̃ est, q̃ Euangeliũ sit reuelatũ, non ut liceat nobis facere id quod libet, sed ut uerã iustitiã corã Deo cõsequamur, et Deo seruiamus per opa quæ ipse præcepit, & faciãt fructus dignos pœnitẽtiæ, unusquisq; in suo uitæ genere. Habes nũc uerã interpretationẽ parabolæ de seminatore. Deinde reprehendit etiam Christus hac parabola uanã illorum opinionẽ, q̃ putant pietatẽ sitam esse tantũ in ope audiendi Euãgelij, et hortatur ut non solũ audiamus Euãgelion, sed etiã ut bonũ fructum afferamus. Est aũt hæc doctrina & exhortatio ualde necessaria. Nã opinio ista, ui delicet, uerã pietatẽ et iustitiã absolui externis & Ecclesiasticis sacris, nõ est recẽs exorta, sed natura nobis agnata. Ac mox initio mũdi ostentauit sese in Caino, q̃ putauit uerã religionẽ sitam & absolutam esse in ope sacrificij. Post diluuium sectatæ sunt impietatẽ Caini, Gẽtes. Post Mosen & instituta sacra Leuitica, hæreditarũt hãc falsam opinionẽ hypocritæ Iudæi, Pseudoprophetæ, Baalitæ & Pharisæi. Et Christo iã prædicante Euãgelion, maxima pars auditorũ, quẽadmodum hodiernũ Euangeliũ testatur, existimabant summã pietatem sitam esse in ope tantũ audiẽdi Christi. Post Christũ et Apostolos exortũ est genus Monachorũ & hypocritarum, q̃ senserũt uerã iustitiã absolui externis sacris in ecclesia. Et cũ omnes hoĩes natura eò propẽdeant, q̃ sentiãt perfectam

dam iustitiã positam esse in ope, quod uocant operato sacrorum Ecclesiasticorũ, quæ fuit opinio Caini, Pharisæorũ & Monachorum, manifestum est unumquemq; afferre secum aliquã uenam Caini & cucullã Pharisaicam aut Monasticã. Quare necessaria est cõcio hodierni Euãgelij, ut ex eo discamus naturalẽ illam monasticã cucullam abijcere, ac ueram religionẽ sectari. Etenim quẽadmodum quondam apud Iudæos sacra Leuitica utilia quidẽ erãt, non aũt fuerunt in hoc instituta, ut his opibus factis absoluta esset pietas, sed tantũ fuerunt instituta, ut essent organa & instrumẽta, quibus discceretur uera pietas, ita in Christianismo auditus Euãgelij & sumptio Sacramentorũ Christi iuxta legitimã suam institutionem, necessaria quidem sacra sunt, nõ autem in hoc instituta, ut his operibus expletis sentiamus his uerã iustitiã expletam & perfectã esse. Nõ auditores (inquit Paulus) legis iustificãtur: Sed sunt instituta ut organa & instrumenta, quibus & nos discamus pietatẽ, & quibus spiritus sanctus pietatẽ in nobis operetur. An non iudicaremus opificẽ esse stultissimum, qui in hoc solum collocaret operã suam, ut pararet sibi artis & opificij sui instrumẽta, & interea non uteretur instrumentis, nec quicquam operis faceret? Exẽpli gratia de scriniatore. Item de studioso qui multos emeret libros, quibus tamẽ nõ uteretur. Sic etiam sentiendũ est de Christiano, qui multos aũ

dit cõciones, & sæpe sumit Sacramentum Cœnæ dominicæ, interea tamẽ nullum facit fructum pietatis. Ac ut antè diximus, necessaria quidẽ sunt hæc sacra, sed non est existimandum q̃ iusticia sit absoluta his sacris iuxta opera sua perfectis. Cùm igitur Christus uideret auditores suos eadem uanitate teneri, (Concurrebat enim maxima turba ex omnibus ciuitatibus, & putabant se eò fælices ac iustos, si tantum uiderent & audirent Christum) reprehendit uanam ipsorum opinionem hac parabola. Et ut doceret ordine quodam, distribuit turbam auditorum suorum in quatuor ordines. Faxit Dominus Deus noster spiritu sancto suo, ut nos quarti ordinis simus, & bonũ proferamus fructum, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA SECVNDA, HABITA ANNO 1542.



VM parabolæ & similitudines magnam afferant in docendo perspicuitatem, & rem de qua est sermo, clarissimè illustrent, Christus sæpe ac multum parabolis in doctrina Euãgelij sui utitur. Descendit.n. de cælo ut doceret Euangeliũ, non obscurum, non incõprehensibile, non etiã horarium aut momẽtaneum, sed clarum, perspicuũ, illustre, omnibus expositum, &

et quod esset perpetuò durabile. Euangeliũ. n. est potẽtia Dei ad salutẽ omni credenti. Quare hodiernã quoq; concionem, quam suscepit de natura & ingenio uerbi Dei tractandã, explicat parabola, ut quod docet, et clarius intelligatur, et altius memoriæ infigatur. Multa aũt sunt, quæ in hac parabola de seminatore & expositione eius docẽtur. Conciones Christi sunt thesaurus inexhaustus. Nos quædã pauca decerpamus, ut ea quantũ temporis ratio finit tractemus. Ac initio, cum Christus dicit, se per semen sparsum in agrũ intelligere uerbũ Dei seu Euangelium suum, quod inter hoĩes prædicatur, manifestè significat, qualis ager sit natura sua homo. Nam quemadmodũ ager, quantumcunq; alioqui bonus & fertilis, nullũ prorsus fert fructũ, nisi fuerit semen in ipsum iactum, tantum abest, ut petricosus ac spinosus ferat fructum absq; semine. Ita homo quãtacunq; ratione sit præditus à natura, nullũ tamen fert fructũ absq; diuini uerbi semine. Postquàm. n. peccauit Adam, et amisit spiritum sanctum, nihil relictum est in homine, quod posßit per se fructificare ad ueram iusticiã et fœlicitatem. Relicta quidem est ratio, relictus est aliquis sensus honesti, relictum est aliquod seminarium humanarum & externarum uirtutum, sed nihil est relictum, quod per se ualeat ad consequendam ueram iusticiam & perpetuam uitã. De terra dicitur: Maledicta terra in opere tuo. Spinas et tribulos

germinabit tibi, sed hoc maximè oīm de hoīe intelligendum est. Terra.n. maledicitur propter hoīem. Multo igitur magis homo, propter peccatū ita maledictus est natura sua, ut quantūcunq; in ipso est, non sit nisi ager senticosus & saxosus, q quantūcunq; colatur et stercoretur, nō ferat fructū nisi semē in ipsum proieceris. Huc accedūt testimonia scripturæ. Non permanebit (inqt Dominus) spūs meus in hoīe, quia caro est, hoc est, nihil habet spūs sancti, sed totus est caro, quæ per se nullum fert spūalem fructum. Et iterum: Sēsus & cogitatio hoīs sunt mala ab adolescentia. Quare natura & ingeniū hoīs conuenienter delineatur per agrū, q quantūcunq; bonus fuerit, non tamē nisi spinas & tribulos absq; cultura & semine ferre potest. Hæc nobis diligēter & cognoscēda, & sæpe ac multū in mentē reuocāda sunt, uidelicet, ut discamus agnoscere nostrā maliciā et infœlicitatem. Non.n. tunc primū meremur æternā damnationem, cū aut latrocinamur aut furamur, aut aliud externū genus sceleris designamus, Sed afferimus nobiscū in hāc lucē meritū æternæ dānationis. Existimamus quidē nostra oīa rectè se habere, cū sumus corpore sani, & rerum oīm copia ac uilitas est, sed quōmodo oīa salua sunt, si in nobis est meritū æternæ dānationis? Diceres ne, res huius hoīs rectè ualere, q haberet quidē sanitatē corporalē, & lautè in præsentia uiueret, designasset autē latrocinium, & necesse ha-

beret

beret quouis momento iudiciũ & supplicium latroni debitum expectare? Infœliciſſimum certè hoĩm diceres. At talis eſt natura ſua conditio noſtra. Sumus enim propter peccatũ obnoxij, non ſolum ſupplicio latronis cuiuſpiã, ſed quod maximum eſt, ſupplicio æternæ damnationis. Quicquid ergo calamitatum, quicquid aduerſitatum nobis in hac terra acciderit, fatèdum eſt, q̃ multo maiora aduerſa meriti ſimus, ſi Deus obſeruaret iniquitates noſtras. Deinde cognitio miſeriæ & meritorum noſtrorum, ad hoc etiam ualet, ut diſcamus q̃ neceſſarium nobis ſit Euãgeliõ Ieſu Chriſti. Nam quemadmodum agro neceſſarium eſt bonum ſemen, ut fructum ferat, ita ſi homo fructificare debeat ad iuſticiã & uitam æternã, neceſſarium eſt ei ſemen uerbi Dei. Alius aliud quidem ſemen ad colendã humanum ingenium cõmendat. Nam fuerunt qui ſenſerunt rationem humanam & naturalẽ per ſe eſſe tam perfectã, ut poſſit ſuis uiribus ueræ iuſticiæ et uitæ fructus ferre. Ac ratio q̃dem humana aliquid ualet in rebus huius ſeculi, ſed nullius prorſum momenti eſt ad conſequendã iuſticiam coram Deo & uerã uitam. Quod ex carne eſt (inquit Chriſtus) caro eſt. Alij exiſtimauerũt Leges Moſi & Politicas ordinationes ac honeſtam educationẽ poſſe efficere, ut homo ueros afferat fructus. Et habent quidẽ leges ſuam cõmendationem, habet & honeſta educatio ſuam neceſſitatem, ſed hæc non

sunt semen illud, quo uerus fructus ad iusticiã & uitam oriatur. Alij superstitiõe excæcati putárunt solitarias speculationes et monasticas cogitatiões esse semen quod uerũ afferat fructum. Sed hi seipsos deceperunt. Verum. n. semen quod affert ueros fructus ad iusticiã & uitam, nullum aliud est, nisi interprete Christo, uerbũ Dei, quod est Euangeliũ Iesu Christi, uidelicet, q̃ Christus filius Dei uenit in terrã, & reconciliauit nobis Patrẽ cœlestem, expiauit peccata nostra, & impetrauit ut Deus agnoscat nos credentes in ipsum filios & hæredes regni cælorũ. Hoc uerbũ Dei, hoc Euangelion, hæc prædicatio, hæc cõcio, est semẽ illud, quod solũ affert fructum iusticiæ & uitæ æternæ. Qui credit filio (inquit Ioannes) habet uitam æternam, qui uero non credit filio, non uidebit uitã, sed ira Dei manet super illum. Nemo aũt credit, nisi per uerbum Dei. Quare sentiendum est, q̃ sicut ad colendum agrum terrenum nõ sufficit aratio, stercoratio & rigatio, sed necessarium est bonum semen, ita ad colendum agrum humanũ, & ad fructificandũ iusticiæ & uitæ, non sufficiat humana ratio, nõ leges ciuiles, non educatio honesta, sed necessarium est semẽ uerbi Dei, quod est Euãgelium Iesu Christi. Sed quos (inquies) fructus affert hoc semẽ? Nam unumquodq; semen affert fructus pro sua natura. Semen tritici affert triticum. Semen hordei affert hordeum. Semen auenæ affert auenã. Et in re

bus Politicis semen bonarum legum & honestæ edu cationis affert externã tranquillitatem & uitæ ho nestatem. Et semen humanarum disciplinarũ affert fructũ eruditionis. Qui ergo sunt fructus seminis Euãgelij? Primùm affert hunc fructum, q, qui suscipit hoc semen per fidem, reconcilietur cum Deo, reputetur corã ipso iustus, propter Christum. Hic est maximus fructus, quem nullum aliud semen afferre potuit. Deinde affert pacẽ & gaudium cõscientiæ. Præterea affert inuocationem nominis Dei in omnibus aduersis, uidelicet, q, inuocetur Deus ut pater. Adhæc, affert patientiam in aduersis. Deinde affert & operatur dilectionẽ erga proximum. Postea affert uictoriã super mortẽ & infernum. Postremò affert fructũ sempiternæ fœlicitatis ĩ regno cœlesti. Quid potest maius excogitari? quis potest esse fructus uberior? Sed cur (inquis) nõ profertur in omnibus, q audiunt Euangeliũ, talis fructus? Multi.n. pereunt. De hac re concionatur Euangelium. Culpa enim huius rei nõ est in semine, sed in agro. Alius.n. ager est senticosus, alius est saxosus, alius teritur publicis deambulationibus. Quare danda est opera, ut ager cordis nostri benè colatur. Etsi enim semen agri aliquo modo explicet naturam Euangelij, longè tamen inter se differunt. Semen agri non reddit agrum bonum, sed si inuenit bonũ, fert fructum copiosum. Euangelium autem non solum fert fructum, sed etiam

efficit agrum bonum, si modo ager patiatur se à spiritu sancto tractari. Omnis enim ager humanus, hoc est, omne humanum cor natura sua est senticosum & saxosum. Purgatur autem semine Euangelij, si præbeamus nos spiritui sancto tractabiles, hoc est, si suscipiamus Euangelium per fidem, nec sinamus nos ab ea fide diuelli, uel opinione multitudinis, uel magnitudine tentationum ac diuitiarum. Postremò quod addit: Fructum fert in patientia, non est oscitanter prætereundum. Significat enim Christus hac uoce, quòd regnum suum non sit de hoc mundo. Nã quemadmodum semen agri fert quidem fructum, sed interea patitur multa aduersa. In hyeme patitur frigus, pluuias & niues, ac etiam obtegitur niuibus: in æstate patitur nimium æstum, uentos & grandines: ita etiam Euangelium fert fructum suum in hoc seculo sub uarijs aduersis & calamitatibus. Nunc enim instat persecutio, nunc egestas, nunc infirmitas, & demum mors ipsa. Quare non est propter aduersa deficiendum ab Euangelio. Sicut nec agricola ideo abijcit semen & conculcat, quòd nouit in hyeme niues decidere, sed tanto magis pergendum est in conseruando semine Euangelij, & in afferendo fructu, ut uel tãdem pertingamus ad cœlestem messem, per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

DOMINICA

DOMINICA ESTO MIhi, Euangelium Lucæ 18.



ASsumpsit aũt Iesus duodecĩ & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymã, & cõsummabuntur oĩa q̃ scripta sunt p̃ Prophetas de filio hoĩs. Tradetur. n. gẽtibus, & illudetur, & flagellabitur & conspuetur. Et postq̃ flagellauerĩt oc/

cident eũ, & die tertia resurget. Et ipsi nihil horũ intellexerunt. Erat aũt uerbũ istud absconditũ ab eis, & nõ intellígebant q̃ dicebantur. Factũ est aũt, cùm appropinquaret Iericho, cęcus quidã sedebat secus uiã mendicãs. Et cùm audiret turbã prætereũtem, interrogabat quid hoc esset? Dixerunt aũt ei, q̃ Iesus Nazarenus trãsiret. Et clamauit dicẽs: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant, increpabant eũ, ut taceret. Ipse uerò multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. Stãs aũt Iesus, iussit illum adduci ad se, Et cũ appropinquasset, interrogauit illũ, dicẽs: Quid tibi uis faciã? At ille dixit: Dñe, ut uideam. Et Iesus dixit ei: Respice: Fides tua te saluũ fecit. Et confestim uidit, & sequebatur illũ, glorificans Deum,

Deum, & omnis plebs ut uidit, dedit laudem Deo.

HOMILIA PRIMA, HÆbita anno 1541.



Vangelium quod recensuimus eiusmodi est, ut in ipso comprehendatur summa Christianismi. Docet enim quid credendum, quomodo orãdum, & quid operis ad testificandã obedientiam & gratitudinem nostram erga Deum faciẽdum sit. In his tribus totus Christianismus situs est. Quare debemus hoc Euãgelium commendatum habere. Primum igitur docet, quid sit credendũ. Credendum enim est, q, Iesus Nazarenus, qui tẽpore Augusti natus est, & tempore Tiberij prædicauit Euãgeliũ suum in Galilæa & Iudæa, ac edidit miracula, sit uerus Christus seu Messias, de quo Prophetæ uaticinati sunt, quem Prophetæ uenturum prædixerunt & qui pro peccatis nostris passus est, & resurrexit propter iustificationem nostri. Hæc est fides nostra. Hæc est Religio Christianismi. Hac Religione distinguuntur Christiani ab omnibus aliis diuersarum religionum Gentibus & nationibus. Non distinguuntur tãtum Decalogo, quia et Iudæi adhuc agnoscunt decalogum, & Philosophia Gentium de moribus ad decalogum aliqua ex parte pertinet. Nec distinguun

tur tantum baptismo, quia tam Iudæi quàm Turcæ etiam sua habent baptismata, quæ etsi non sunt uera sacramenta, tamen habent speciem quandam baptismi: Sed distinguuntur sola fide in Christum, q̃ is passus sit pro peccatis nostris, & resurrexerit propter iustificationẽ nostri. Summa autem huius fidei recensetur in hodierno Euãgelio. Cæcus clamat ad Iesum, & uocat eum filium Dauid, quo epitheto manifestè significat eum esse illum Messiam quẽ prophetæ prædixerunt. Et Christus ipse uocat sẽ filiũ hominis, quo nomine respicit ad Propheciam Danielis cap. 7. Filius hominis ueniebat in nubibus. Et addit, Consummanda de ipso omnia Hierosolymis quæ scripta sunt per Prophetas. Tradetur (inquiens) gentibus, occident eum, ac tertia die resurget. Quid obsecro hoc aliud est quàm breuis commemoratio præcipuorum articulorum, qui in symbolo Apostolico cõtinentur? Habes igitur in hodierno Euangelio quid sit credendum. Cùm autem docetur quid sit credendum, meminerís te doceri, quomodo constes in iudicio Dei, & uincas tentationes mortis ac inferni, hoc est, quomodo consequaris æternam iusticiam & salutem. Nam cum adductus fueris ad Tribunal Dei, & condemnatus peccatorum ad perpetuum supplicium, non potes seruari meritis humanæ iusticiæ. Etsi enim prætexis tua bona opera, ea tamen non sunt perfectè bona, sed necesse habes tantum fidere Christo, ac morte

& resurrectione eius. Omnis autem qui credit in Christum, nõ uidebit mortem, sed habebit uitam æternam. Quare cùm docetur quid sit credendum de Christo, meminerimus nos doceri & erudiri, quomodo reportemus uictoriam è morte & inferno. Deinde hodiernum Euangelium docet etiam quomodo orandum sit. Fides enim primum omnium est, quod ad salutem nostram exigitur. Secundum est, Oratio seu inuocatio nominis Dei. Videamus igitur in cæco quomodo orandum sit. Cæcus uir erat omnium miserrimus. In hac igitur miseria sua inuocaturus auxilium Christi, Primùm credit hũc Iesum esse filium Dauid, seu Christum, hoc est, q, habeat propter hunc Christum Deum propicium. Deinde inuocat eum, et prætexit non meritã suæ iusticiæ, sed tantum miseriam suam. Et ab hac inuocatione non sinit se auelli increpationibus turbæ. Qui enim præibant, increpabant eum ut taceret, quare perseuerantia sua impetrat, quod cupiebat. Hæc est rectissima forma orandi & impetrandi uota nostra à Deo. Primùm enim credendum est, q, Deus nobis faueat propter Christum, nõ propter merita nostra. Deinde inuocãdus est Deus, & proponenda est ei miseria nostra, ut confirmemus in nobis fidem: Deus enim promisit auxilium suum miseris & afflictis. Super quem respiciam, nisi super afflictum & contritum spiritu, & trementem sermones meos: Item: Sacrificium Deo spiritus con-

tribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Et ab hac inuocatiõe nõ sinamus nos auertere aduersa quæq; Multa occurrunt nobis, multa excitat & obijcit satan, ut nos excutiat ab oratione. Nouit enim, piam & fidelem ac perseuerantem orationem cuncta à Deo impetrare. Ideo mouet omnem lapidem, ut nos à perseuerantia orationis abducat. Differt enim Deus nonnunquàm auxilium, ut fidem nostrã probet. Ideo satan arripit hanc dilationem, & dicit: Quid? perseuerabis ne in simplicitate tua et oratione? An non uides apertè, q; Deus non exaudiat te? Benedic Deo & morere. Hìc ergo obuiandum est satanæ, ut respondeamus, Deum ideo differre auxilium, q; uelit nos uberius exaudire, & tanto maiora beneficia dare, quanto diutius exauditio extrahitur. Præterea conscij nobis sumus multorũ peccatorum. Hæc arripit satan, & dicit: Quid orares? Deus peccatores non exaudit. Respondendum igitur est, q; et si designauerimus peccata, tamen credimus Christũ expiasse peccata nostra, & reconciliasse nos cum Deo Patre. Adhæc prædicatur de Deo, q; sit magnus Dominus, & gubernet cœlum & terram. Satan igitur abutitur hac doctrina, & ait: Quid orares et perseuerares in oratione? Putás ne uacet tantæ maiestati audire preces hoïs abiectissimi? Deus maior est quàm ut uacet te audire. Et tu miserior es, quàm ut Deus respiciat te. Ad hoc respondendum erit, q; & si

Deus

Deus habitet in excelsis, respiciat tamen iuxta promissiones suas humilia in terris. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, et ego reficillabo uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me q̃ mitis sum, & humilis corde, et inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum commodum est, et onus meum leue est. Habes quomodo orandũ aut nomen Domini in afflictione inuocandum sit, ut fias uoti tui cõpos. Postremò docet hodiernum Euangelium quid faciendum sit post accepta Dei beneficia. Videamus cæcum. Iesus dixit ei: Recipito uisum &c. Ac cõfestim recepit uisum, et sequebatur illum, glorificans Deum. Sicut et plebs dedit laudem Deo. En cæcus recepto uisu mirabiliter, sequitur Christum, & glorificat Deum. Hoc est officium omnium eorum, qui credunt in Christum, et cupiunt bonis eius frui. Primùm enim debent sequi Christum. Cæcus secutus est Christum externo comitatu, sed multo magis secutus est exẽpla uirtutum Christi. Nos faciamus quod hoc tempore licet, & quod possumus. Nõ licet nobis Christũ externo comitatu sectari, quia ascẽdit in cælum, Sed debemus uirtutes eius imitari. Habemus. n. in Christo absolutum exẽplar uirtutum. In alijs sanctis suæ sunt uitia, suæ sunt infirmitates, ac interdum etiam horribilia peccata, In Christo autem nullum est, nec peccatum uec uitium. Quare exemplum eius, quantum nobis per spiritum sanctum possibile est, secte-

mur. Ac initio sectandum est exemplum Christi dilī gendo & benefaciendo proximo. Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut ego dilexi uos. In hoc cognoscent oēs, q̄ discipuli mei sitis, si caritatē habueritis inter uos mutuā. Hæc autem dilectio non debet tantum uerbo cōstare, sed uirtute & opere. Sicut Christus nō tantum dilexit bona uerba, sed operibus bene fecit. Ergo non uiuunt Christianē, qui student impostoris, qui certant inter se odijs, aut alia id genus scelera perpetrant. Est etiam exēplum Christi sectandum patiēdo. Sic Petrus ait: Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremini uestigia eius, qui peccatum nō fecerat, nec inuentus est dolus in ore illius, qui cū maledictis incesseretur, non regessit maledicta, cum malis afficeretur, non minabatur, sed tradidit uindictā ei qui iudicat iustè, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui iusticiæ uiueremus. Deinde glorificandus est Deus. Cæcus glorificauit Deum. Quomodo hæc fieri solent? Glorificatur Deus uarijs modis. Aut. n. glorificatur, si sequamur uerbum Dei seu præcepta eius. Sic. n. nomen Dei etiam ab aduersarijs commendatur. Aut glorificatur, si operam tuam conferis ad illustrandam doctrinam Dei, si uel ipse prædicaueris Euangelium Christi, uel conferas tuum auxilium ut prædicetur. Hoc est sacrificium Deo acceptū.

Hic

Hic est cultus Deo gratus, quem debemus Domino Deo nostro pro beneficijs quæ per Christum accepimus. Habes igitur in hodierno Euangelio, quomodo credendum, quomodo orandum, & quid faciendum sit ad consequendam æternam fœlicitatem in Christo, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA SECVNDA, habita anno 1542.

DVo præstãtißima miracula in hodierno Euãgelio recitãtur, quæ Christus nõ ocij, sed salutis nostræ gratia edidit. Alterũ est vaticinium de passione Christi. Alterũ est sanatio cæci, quæ cũ multa in se, nobis in doctrinã utilia cõtineãt, breuiter ea explicatione nostra percurremus. Magnum quidẽ miraculũ est, q. Christus restituit cæco usum. Sed nõ minus miraculũ est, q. Christus, ante quã passio eius aduenerit, tã perspicuè eam præuiderit, ut etiã ordinẽ gerendæ rei enumeret. Ecce (inquũ ens) ascendimus Hierosolymam, & perficientur oĩa quæ de filio hominis per prophetas scripta sunt. Trãdetur. n. gentibus, illudetur, cõtumelia afficietur &c. Longa alioqui est passionis Christi historia. Sed Christus in hodierno Euãgelio cõtulit eam in breuißimã epitomen seu compendium. Et quemadmodum suscepit passionem suã, non sua ipsius necessitate coactus, sed propter salutem totius Ecclesiæ, ita etiam nunc

uaticinatur de ea, nõ q; fremat aduersus iudiciũ Dei patris sui, qui ad tantam grauitatẽ paßionis eius cõmouebit, sed uaticinatur de ea propter uniuersam suam ecclesiam. Audiamus igitur quam utilitatem hoc uaticinium ecclesiæ afferat. Primùm.n. Christus confirmat hoc uaticinij miraculo ueritatẽ Euangelij sui, quo concionatus est se esse uerum Meßiam seruatorem nostrum. Nisi enim uera docuisset, spiritus sanctus nõ mansisset cum ipso, nec futura præuidere potuisset. Nunc autem cùm uidet futura ex spiritu sancto, perspicuum est, doctrinam Euangelij esse certã, adeoq; ueram salutis nostræ doctrinam. Deinde uoluit hoc uaticinio non solum præmunire discipulos suos, ut cùmueniret paßio eius, nõ offenderentur, uerumetiam significare quæ futura esset fortuna totius Ecclesiæ in hac terra usq; ad nouißimum diem. Non est seruus (inquit Christus) maior domino suo. Ecclesia autẽ serua est Christi, quippe quam emit precioso sanguine suo. Debet igitur ecclesia eandem cum Christo suo fortunam in hac terra sustinere. Et sicut Christus ipse traditus est gentibus, ita ecclesia semper uiuit inter impias gentes. Ac quemadmodum Christus ab aduersarijs suis illusus, cõsputus, cõtumelia affectus, flagellatus & occisus est. Sic ecclesia Christi necesse habet in hoc mundo illudi, cõspui, cõtumelia affici, flagellari & opprimi. Sed Christus addit de seipso: Tertia die resurget. Sic & ſi Ecclesia opprimatur in

tur in hoc mundo, tamen in Christo suo cõseruatur, et resurget ad æternam fælicitatem. Hæc ideo nobis recitantur, ut nõ offendamur, cùm uidemus ecclesiã affligi, ex una parte à Pontificibus, ex altera à Turcis, & tertia etiam parte à suis (qui sic uocari uoluni) tuoribus, qui et ipsi salutẽ ecclesiæ negligunt. Peccant quidem grauissimè, qui ecclesiã opprimunt, sed tamen benè de incolumitate eius in Christo sperandũ est. Postremò proponit nobis Christus hoc suo uaticinio lõgè omnium optimam rationem meditandi de morte. Cùm.n. nos suscipimus meditationem mortis, tunc imaginamur tantùm horrenda quæq;, & ea tãtam cogitatione nostra tractamus, quæ sensus mortis in præsentia secum affert, Videlicet dolorem corporis, luctum & miseriam liberorum & amicorum: dolorem item animi, infernum et dãnationem. Hæc sola reuocamus nobis ob oculos, obliuiscẽtes interim omnium eorum quæ Euangelium nobis cõcionatur. Christus autem docet nos suo exemplo longè aliã et meliorem rationẽ meditandæ mortis, ac reuocat quidem in mentem quàm grauia passurus sit. Filius hominis (inquit) tradetur gentibus, illudetur, conspuetur, flagellabitur, & occidetur. Hæc sunt grauissima & ualde terribilia, nõ autem in hoc gradu sistit, nec cessat, sed progreditur longius ad ea etiam meditanda, quæ certò passionẽ & mortem consequentur. Et addu: Tertia die resurget. Hoc certè est utiliter mor

tē meditari. Nec id fecit hoc tantum loco, sed etiā in media passiōe. Cùm ad tribunal Caiaphæ staret uinctus, & percussus, meminit gloriæ suæ: A modo uidebitis filium hoīs sedentem à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cœli. Cùm penderet iam in cruce clauis confixus, meminit Paradisi: Hodie (inquiēs ad latronem) eris mecum in Paradiso. Hoc exēplo etiā nobis mors est rectè meditāda, uidelicet, ut non tantum cogitemus terribilia mortis, sed ea magis, quæ per mortem in Iesu Christo cōsequimur, uidelicet, q̄ mors sit liberatio ub oībus malis, q̄ mors sit ianua uitæ, q̄ per mortem ingredimur propter Christum in fœlicitatem æternam. Sed quomodo possum, inquis, hæc meditari? Si quis certus esset, & haberet literas & sigillū, q̄ post mortem sequeretur summa fœlicitas, ibi facilè de morte ad hunc prædictum modum meditari, & fortiter eam ferre posset. Deinde addūt & hoc, q̄ facilè quidē licuerit Christo mentione mortis resurrectionem suā uidere, quippe qui fuit unigenitus filius Dei, & sine omni peccato. Ego autem (inquiunt) sum homo miser & peccator. Quare nihil possum in morte uidere, nisi quod terrorē incutiat. Itaq; duo sunt quæ nobis in cōscientia uerā meditationē mortis corrumpunt. Alterum est, q̄ putamus ea quæ Euangelion de Christo cōcionatur esse incerta. Videmus enim tot impios Christianos qui cōtemnunt Euāgelium. Videmus tot Turcas & Iudæos, qui

Christum

Christum abominantur: Cogitamus igitur: q. si Euangelium uerum esset, fieri non posset, quin & tot gentes sequerētur ipsum. Alterum est, q. etsi persuasi sumus, ea quæ de Christo per Euangelium eius dicuntur, uera esse, tamē existimamus nostram aliam esse in morte conditionem, quàm Christi Iesu. His tentationibus aut etiam impietatibus medēdum est. Quid enim dicemus? Si adhuc dubitas de ueritate religiōis Christianæ, quid tot cōcionibus agitur? Nam in hunc usum, ut cognoscatur ueritas nostræ religionis, solent nobis primùm recitari & explicari promissiones quæ ad Patriarchas ab initio orbis terrarum de Christo dictæ sunt. Deinde explicantur nobis sacrificia Mosaica, ut in ipsis uideamus & cognoscamus Christum. Præterea adduntur conciones Prophetarum de Christo. Recitantur etiam miracula ab ipso metChristo edita. Postremo cōmemorantur testimonia, cōciones & miracula Apostolorum, ac id genus multa alia, ut ex his omnibus cognoscamus certitudinem nostræ religionis, & mendacia aliarum religionum. Quare qui ex his non uult cognoscere ueritatem, is iam non inter homines, sed inter bestias, imo inter angelos ipsos Satanæ deputādus est. Quod autem dicimus aliam esse cōditionem nostrā in morte quàm Christi, hoc facilè potest per Euangeliū explicari. Nam Christus suscepit mortem, non sua necessitate coactus, sed propter nos, uidelicet, ut nobis in suo ipsius corpore ostenderet, quid nobis in ipso per

fidem consequi liceret. Traditus est gentibus, conspu
tus, flagellatus, occisus est propter peccata nostra.
Resurrexit autem propter iustificatiõem nostri, ut
nos in ipso haberemus iusticiam & resurrectionem.
Quare etsi Christus innocens est, & nos peccatores
sumus, tamen si credimus in Christum, eadem erit cõ
ditio nostra in morte, quæ fuit Christi, uidelicet, q̃ si
cut Christus resurrexit à mortuis, ita mors nec nos
possit detinere, sed necesse habeat nos dimittere ad
perpetuam fœlicitatem. Et hæc sunt quæ Christus uo
luit nos uaticinio suæ passionis docere. Sequitur
nunc alterum miraculum, quod editum est in cæco,
in quo cùm multa obseruanda ueniant, hæc præci=
puè nunc considerabimus, quòd hic cæcus faciat nos
uidere Christum, & doceat nos orare. Primùm enim
& si nihil uidet, sed tantum audit de Christo, tamen
credidit in Christum. Sic et nos nunquã uidimus Chri
stum externo corpore, tamen cùm tot bona nobis
per scripturam de ipso adnunciantur, debemus ue=
ram de ipso fidem concipere. Beati qui credunt &
non uiderunt. Et Christus orat pro ijs qui crediturí
sint sermoni Apostolorum Deinde & si increpatur
à turba, tamen perseuerat in oratione, & fit uoti sui
compos. Quo exemplo admonemur, ut pergamus in
oratione & fide, etiamsi omnia nobis exitium mi=
nantur, ut ea uincamus per Christum filium Dei, De
um in secula benedictum, Amen.

Dominica

DOMINICA PRIMA QVA-
dragesimæ, Euang. Matth. 4.



TVnc Iesus ductus est in deser
tũ à spũ, ut tẽtaret à Diabolo.
Et cũ ieiunasset quadraginta
diebus & quadragĩta noctibus, po
stea esurijt. Et accedens ad eũ Tẽta
tor ille, dixit ei: Si filius Dei es, dic
ut lapides isti panes fiãt. Quire spõ

dens dixit: Scriptum est, Nõ in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei.

Tunc assumpsit eũ Diabolus in sanctã ciuitatẽ, & statuit eum supra pinnaculũ tẽpli, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim, Quia angelis suis mãdabit de te, & in manibus tollẽt te, ne forte offendas ad lapidẽ pedẽ tuum. Ait illi Iesus, rursum scriptum est: Non tentabis Dñm Deum tuum.

Iterũ assumpsit eum Diabolus in mõtem excelsum ualde, & ostẽdit ei oĩa regna mundi, & gloriã eorũ. & dicit ei: Hæc oĩa tibi dabo, si cadẽs adoraueris me. Tũc dicit ei Iesus: Vade Satana, scriptum est enim, Dñm Deũ tuũ adorabis, & illi soli seruies. Tũc reliquit eũ Diabolus, & ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei.

HOMILIA PRIMA, HA-
bita anno 1541.



Odiernum diem primam solemus dominicam in Quadragesimali ieiunio uocare. Et quia hoc etiam die publicè recitari solet pericopa Euãgelij de Ieiunio Christi, sumpta est occasio dicendi de ieiunio. Existimo autẽ uos ex alijs concionibus, quas sæpenumero de hoc argumento habuimus, satis eruditos esse, quid sit de ieiunio sentiendum, & quæ sit uera ieiunij ratio, quare nunc paucissimis tractabimus de ieiunio, ut liceat hodiernum Euangelium, quod est utilissimum, paulò pluribus explicare. Sunt igitur uaria ieiuniorum genera. Vnum est supernaturale, quale est Mosi, Eliæ et Christi Domini nostri, qui ieiunârunt quadraginta diebus & noctibus, nec interea temporis quicquam omnino humani cibi sumpserunt. Hoc ieiunium uerius est admirabile, quàm nobis imitabile. Quare stultè faciunt, qui putant se exemplum Christi imitari & complere, cùm quadraginta diebus, iuxta humanam consuetudinem hactenus obseruatam ieiunant. Aliud est ieiunium Iudaicum. Iudæi enim solebant aliquoties toto die in templo manere & uacare sacrificijs atque orationibus usque ad uesperam, Deinde autem post uesperam cibum sumere. Hoc ieiunium est cæremoniale, sicut aliæ cærimo-

nia legis, & cõueniebat eius gentis moribus. Cùm autem apud Christianos non obseruetur hic mos, ut toto die in templo desideatur, nõ est etiam necesse, ut tale ieiunium obseruetur. Aliud est ieiuniũ à Deo immissum, uidelicet, cùm præ paupertate, indigentia, aut inopia non habes quod edas. Et hoc ieiunium ferẽdum est patienter in fide, sicut morbus aut alia calamitas à Deo immissa ferri debet. Est et ieiunium generale, quod ab oĩbus hoĩbus exigitur diuina autoritate: hoc autem ieiunium est perpetua sobrietas & moderatio in sumẽdis cibis. Hoc ieiunium semper est obseruandum, & nunquàm uiolandum. Lucæ 21. Cauete uobis ne quando grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, subitusq; uobis ingruat dies ille. Tanquàm laqueus enim superueniet in omnes qui sedẽt super faciem totius terræ. Exigit autem Deus hoc ieiunium, nõ in hunc finem, q; sit ipsi satisfactum opere, quod uocant, operato, sed ut sobrietate aptiores simus ad sua quisq; opera & officia facienda. Hæc pauca de ieiunio nunc sufficiant, ex quibus tamẽ paucis satis perspicuè patet cuiuis, rem diligenter consideranti, uaria ieiunij ratio. Accedamus autem ad tractationem & explicationẽ hodierni Euangelij. Cõtinet enim magnas utilitates. Docet enim Christus in sua persona, Primùm, q; tota Ecclesia in hoc seculo exposita est tentationibus Satanæ usq; ad nouissimum diem. Deinde q; eadẽ Ecclesia ha-

beat

beat præsentissimum remedium aduersus oēs insultus Satanæ in Christo Iesu Domino nostro per uerbum Dei, seu sacram scripturam Et admonemur interim ut nihil nobis prius sit, quàm uerbum Dei, in quo sunt remedia aduersus omnes Diaboli tentationes, discere & conseruare. Occasio autem rei gestæ in hodierno Euangelio sic se habet. Postquàm Christus missus esset à Deo patre suo in hunc mundum, ut doceret Euangelium, & seruaret homines morte sua, ac tempus iam aduenisset quo Christus deberet officium suum in terris inchoare, Primùm omnium suscepit baptismum à Ioanne, & in eo baptismo publicè reuelatum est, & confirmatum miraculo, q̄ sit uerus Messias & filius Dei, missus in hunc mundum ad liberandos homines. Aperti enim sunt cœli, & uisus est spiritus sanctus descendere super Christum in specie columbæ. Audita quoq; est uox patris de cœlo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit est. His factis & completis, priusquàm Christus inchoaret officium prædicandi, iubet eum spiritus sanctus sepositq interim maiestate sua permittere se Satanæ tentandum. Quare Christus ductu spiritus sancti secedit à baptismo in horribile desertum, & habitauit aliquandiu inter feras ut tentaretur à Satana. Hîc mihi primum omnium considerandum est, quòd Euangelistæ diligenter scribant, Christum non temeritate quadam, sed à spiritu sancto ductum es-

se in desertum. Quo exemplo docemur, q. nemo debet se temerè in tentationes conijcere, Sed si diuinitus eis obijciatur, debet eas fortiter sustinere & repugnare. Deinde Christus suscepit hoc certamen maximè omnium nostra causa. Iam q. Christus statim post baptismum & sanctificationem ipsius ad publicam uocationis suæ functionem, post tantum miraculum, quo maiestas eius reuelata & cõfirmata est, obijcitur tentatiõibus satanæ, perspicuè significatur nobis, q. quo quis excellentiori maiestate & dignitate in hoc seculo ornatur, eo grauiora ipsi certamina cum satana incumbant. Quemadmodum miles armatur, non ut ocietur, sed ut tanto fortius pugnet cũ aduersario, quanto est factus armatior: ita in baptismo ornamur cœlesti honore, & induimur armis spiritualibus, non ut in hoc seculo uitam per ocium traducamus, sed ut semper sine intermissione aduersus satanam et peccata pugnemus. Sunt enim quidam homines, qui putant sanctos debere esse sine ullis tentationibus, & si uiderint eos sentire tentationes satanæ, existimant ipsos non esse sanctos, nec esse Deo acceptos. At hoc exemplo Christi uides, q. quo quis sanctior est, hoc maioribus tentationibus satanæ obnoxius erit. Suscepit Christus & hoc certamen cum satana, non tam exempli causa, quàm ut nobis satanam uinceret, ac doceret nos satanam in ipso uincere, Victoria enim Christi nostra est victoria. Hoc no

bis

bis tantum curandum est, ut hac victoria probè utamur. Vide Hebr. 2. Debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset, & fidelis Pontifex in his quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc q; ipsi contigit tentatum esse, potest & his qui tentantur succurrere. Videamus igitur tentationes. Cùm ieiunasset (inquit) quadraginta diebus & noctibus, tandem esurijt. Noctes adduntur, ut manifestum fiat miraculum. Non enim ieiunauit Iudaico more: hi enim solent interdiu ieiunare, noctu autem edere. Christus autem nec interdiu nec noctu quicquam humani cibi quadraginta diebus sumpsit. Et accessit satan, dicens: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Prima tentatio de uictu est. Et hæc tentatio non fuit tam leuis quàm facile uerbis recitatur, sed penetrauit Christo in conscientiam. Christus enim seposuit in his tentationibus maiestatem suam, & suscepit in se humanam fragilitatem. Tentatus est per omnia ut homo, absq; quidem peccato, sed non absq; humana infirmitate. Sicut enim homo non potest suis uiribus edere miracula, ita nec Christus potuit (quia non uoluit) miracula edere in his tentationibus. Quod igitur satan dicit: Si filius Dei es &c. hanc habet sententiam. Tu iactas teipsum esse filium Dei, & audita est etiam uox in baptismo tuo, quòd sis filius Dei. Si ergo hoc uerum est, age, proba potentiam tuam

in extrema hac necessitate tua. Dicito ut lapides isti panes fiant, quia esuris. Filius. n. Dei omnia potest, Tu autem reipsa uides & sentis te nõ posse efficere, ut hi lapides fiant panes. Quare non es filius Dei, et necesse habes in hac solitudine fame perire. Grauissima tentatio, præsertim si urgeat conscientiam. Audiamus igitur quid respondeat Christus ad hoc argumentum Satanæ. Scriptum est, (inquit) Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Primum nota, quod Christus pugnat cum Satana per uerbum Dei, per scripturam sanctam. Vnde Paulus uocat uerbũ Dei gladium spiritus. Nõ expellitur, non uincitur Satã corporalibus armis, sed tantum spiritualibus, hoc est, uerbo Dei, seu sancta scriptura. Vides ergo quanta sit maiestas sacræ scripturæ, q̃ hoc organo Christus etiam ipse unigenitus filius Dei pugnet cum Satana. Potuisset uti aduersus Satanam multis legionibus angelorum, Sed utitur scriptura, ut nobis eam commendet, & saluti nostræ necessariam ostendat. Deinde hoc dictum, quo Christus aduersus Satanam utitur, scriptum est Deut. 8. Et habet hanc sententiam. Homo conseruatur in uita sua diuinitus, non solum in his uocationibus, in quibus parabilis est panis, ut in agricultura & opificijs, sed etiam conseruatur in omnibus uocationibus, quæ diuinitus proponuntur, etiamsi panis non uideatur in ipsis parabilis. Hoc cõfirmatum

est

est exemplo Israelitarum in deserto, qui quia sectabantur uerbum Dei, hoc est, uocationem uerbi Dei, in desertum, etiamsi ibi nullus erat panis, tamen sustentabantur. Confirmatum est exemplo Mosi, Eliæ & Apostolorum. Sicut autem Satan Christum tentauit in uictu parando, ut deijciat ipsum à fide, ita etiã aggressus est initio Ecclesiam Christi. Nam cùm post Pentecosten Euangelium uulgabatur inter Iudæos & Gentes, obiecit Satan Ecclesiam fami. Excitauit enim tam Iudæos quàm Gentes, qui diripiebant pijs & credentibus suas facultates, & eijciebant eos in exilia. Quod ergo obiecit hoc loco Christo, idem obiecit etiam Christianis. Cœperunt enim cogitare. Quid? Euangelium promittit nobis regnum cœleste, & non potest nobis contingere panis terrestris? Promittit nobis adoptionem in filios Dei, sed ecce proponit nobis lapides edendos, quos non possumus mutare in panes. Quid ergo factum est? Alij quidem defecerunt timore direptionis facultatum & exilij. Alij autem uicerunt in Christo, & obiecerunt Satanæ quod Christus fecit, Non in solo pane uiuit homo &c. Non sustentatur uita tantum ex patrimonio maiorum, uerumetiam ex ea uocatione Dei, ad quam nunc uocati sumus. Vocati autem sumus ad confitendum Christum, & sufferendas direptiones facultatum. Quare ex ea uocatione consequemur uictum. Atq; id etiam factum est. Tametsi enim diripiebanT 3

tur illis facultates, tamen, autore Paulo, mittebãtur eis facultates ex alijs nationibus. Quòd si nihil missum esset, certè cœlum aperuisset se, & pluisset panem. Homo enim uiuit ex omni uerbo quod egreditur de ore Domini, hoc est, consequitur uictum suum in quauis uocatione, ad quam uerbo Dei uocatus est. Itaq; magno studio hoc unum agendum est, ut ambulemus in uocatione Dei, & inuocandus est Dominus, ac utendum gladio Christi, ut sentiamus hominem uiuere non in solo pane, sed in quouis uerbo seu uocatione uerbi Dei, modo nos in fide expectemus Dominum. Secunda tentatio est de gloria sanctitatis. Assumit eũ Diabolus, & statuit eum super pinnaculũ templi &c. Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptũ est enim: Quia angelis suis mandauit de te &c. Videastum satanæ. Pugnat & ipse scripturis. Nam quod citat, scriptum est Psal. 90. Egregium dictum, sed nõ aptè à satana citatum. Exponit ergo Christus alia scriptura: Non tentabis Dominum Deum tuum. Hæc duo coniungi debent. Nam Deus promittit auxilium his, qui obediunt uocationi suæ legitimæ, & ambulant in ea. Non promittit ijs auxilium, qui temerè exponunt se periculis, & qui temeritate sua, sine uocatione Dei tentant Deum. Nam etsi angelorum officium est, ut custodiant pios, uicißim tamen piorum est officium, ut ambulent in uocatione Dei, & non tentent Deum. Itaq; si requirunt officium angelorum,

lorum, debent prius præstare officium suum. Quod satan in Christo tentauit, hoc idem tentauit in multis, partim impijs, partim pijs, quorum illi uicti sunt, & pudefacti, hi euaserunt per Christum uictores. Solet autem satan præcipuè hac in parte tentare homines exemplis sanctorum & scripturis. Vide in Iosepho historiam de Theoda mago, qui iactabat se exemplo Israelitarum diuisurum Iordanem, sed pudefactus est. Vide item exemplum ficticij Mosi, in historia Tripartita, qui pollicebatur Iudæis transitum maris, sicut olim Moses eduxit Israelitas per mare rubrum. Sed & is confusus est. Hi enim seducti sunt à satana promissionibus & exemplis scripturæ non rectè intellectis. Quare non solum scienda est scriptura, sed etiam opera danda, ut rectè intelligatur. Tertia tentatio est de maiestate regni terreni. Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Hoc est, futurum est, ut magnus fias Dominus in tota terra, si non susceperis humanas abiectiones, iuxta uocationem Dei, sed si gesseris te pro tua maiestate tibi à Deo data. Repellitur autem in hac tentatione satan à Christo. Sed satan non requiescit. Etsi enim discesserit à Christo, tamen insidiatur semper Ecclesiæ Christi & unicuiq; pio. Cùm enim Ecclesia consecuta esset primum pacem & opes, deinde dignitatem & gloriam, excitauit satan Pontifices, ut affectarent etiam potentiam per impietatem: adorarunt

Satanam, quia derelicta sua functione, sectati sunt imperia externa, instituerunt varias idolatrias: Satan enim promittit potentiam per impietatē, & alia mala. Et penè perdidit Ecclesiam hac tentatione. Sic dicendum erit de pijs et priuatis hominibus, qui tentantur honore, gloria & potentia. Atq; hac tertia tentatione multum affert detrimenti hominibus. Dicit enim in Luca: Hæc oīa mea sunt, & cuicunq; uoluero do illa. Hæc habent illam sententiam. Satan dicitur princeps diuitiarum et potētiæ, quia multo plures opes parantur iniquitate, quàm æquitate. Et qui obsequuntur Satanæ, solent esse fœliciores in hoc seculo, quàm qui Deo obsequuntur. Ergo Satan dicit ad cōscientiam miseri & infœlicis hominis: Quid tu sectaris iusticiam? an non uides eam esse infœlicem? Sectare potius mores huius seculi, sic enim & tu parabis tibi diuitias & potentiam. Sed uicissim respōdendum est: Soli Deo seruies, Iusticia est sectanda. Etsi aliquandiu infœlix sit, tamen fieri nō potest, ut perpetuò sit infœlix. Erit tempus, cùm fœlicitas eius reuelabitur. Hæ sunt tres tentationes, quibus Satan semper infestat Ecclesiam. Quare credamus in Christum, & discamus uerbum Dei, ut possimus Satanæ resistere, & uictoriam reportare in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus benedictus in secula,

AMEN.

ALIA

ALIA HOMILIA DOMInica Inuocauit.



Res grauissimæ tentatiões enumerantur in hodierno Euangelio, quibus Christus Dominus noster in deserto obiectus est. Et quia Christus susceпit has tentationes nostri causa, diligenter considerandum est, quas nobis utilitates afferant. Postquàm enim Christus baptizatus esset, & accepisset de cœlo testimonium patris & spiritus sancti, q̃ esset filius Dei & uerus Meßias, quæ dignitate nulla potest, nec in cœlo, nec in terra maior essẽ, Tunc subductus est (inquit Matthæus) à spiritu, uidelicet, sancto in desertum, ut tentaretur à Diabolo. Initio igitur admonemur hoc loco, ut in præsenti fœlicitate statim præparemus animum nostrum ad susciпienda aduersa. Non. n. est finis aduersitatis in hoc seculo, cùm affulget nobis aliqua fœlicitas, sed est aduersitatis in hoc mundo perferendæ initium, & quo maior est præsens fœlicitas, eo maior est aduersitas præ foribus. Cuius rei manifestum nobis præbet Christus exemplum in hodierno Euangelio. Nã Christus paulò ante accopit testimonium de cœlo, q̃ esset filius Dei et uerus Meßias à prophetis promißus, ac fuit iußus ab eo tẽpore hoc inter hoïes concionari. Hæc est maiestas, hæc est fœlicitas, qua

maior nulli hoim unquã contigit. Quid ergo fit? Num quid est finis aduersitatis Christi in hoc seculo? Mimè omnium. Sed est aduersitatis initium. Continuò enim obijcitur grauissimis tentationibus in deserto. Nos autem nõ simus meliores Christo nostro: seruus non est maior domino suo. Quare cùm contingit nobis aliqua fœlicitas, sentiamus eã afferre secum suã infœlicitatem, & præparemus animum nostrum ad susciendam eam in fide & tolerantia. Deinde q̃ Satan tentauit Christum, non est intelligendum satanã habuisse aliquam potestatem in Christum. Nam Christus est uerus filius Dei, et nullum prorsus habet peccatum. Quare satan nihil habet iuris in eũ. Sed Christus subductus est in desertum à spiritu, hoc est, spiritus sanctus iussit eum, ut permitteret se nostra causa potestati Satanæ, & susciperet tentationes eius. Missus enim est Christus in hunc mundum, ut susciperet in se supplicia peccati, et expiaret peccatum nostrum. Inter supplicia autem peccati etiam hoc continetur, q̃ simus obnoxij uarijs tẽtationibus Satanæ, qui solet animum nostrum ignitis suis iaculis saucia re. Nunc inspirat nobis dubitationes de Deo, nunc de promissionibus Dei, nunc de salute nostra tã corporali quàm spirituali. Aliquoties sollicitat nos ad designãda peccata, & ad deficiendum penitus à uocatione Dei. Breuiter nullo tẽporis momento quiescit Satan ab impugnatione nostri, et hoc supplicium meriti sumus

timus propter peccatum. Quare quemadmodum Christus in passione sua proposuit se ut purum hominem, dissimulata interim diuina potentia & maiestate, ut posset suscipere uarias afflictiones ad expiãda peccata nostra, ita & hoc loco proponit se satanæ tentandum ut purus homo, dissimulata interim maiestate filij Dei, quo posit esse capax tentationum satanæ, & nobis uictoriã reportare. Dicemus igitur nũc de prima tentatione. Postquàm. n. Christus fuisset quadraginta diebus et noctibus in deserto, ac sustentatus esset mirabiliter diuina potentia ne interiret, esurijt postea. Hìc ergo Satã occasione accepta per famem, accessit ad Iesum, & dixit: Si tu es filius Dei, dic ut lapides isti panes fiant. Sententia huius tentationis hæc est. Tu paulò antè uideris te accepisse testimonium in baptismo, q̃ sis filius Dei et Messias, et his quadraginta diebus & noctibus existimas te diuina potentia mirabiliter sustẽtatum, Sed nunc reipsa uides, q̃ omnia illa sint uera ludibria. Nam si uerum est, q̃ sis filius Dei, proba nunc in necessitate famis tuæ, dic ut lapides isti panes fiant. Non potes aũt hoc efficere. Quare nõ est uerum q̃ sis filius Dei. Hoc est ignitum iaculum Satanæ, & penetrauit totum animum Christi: Sunt. n. cogitationes molestissimæ, Maiorem afferũt dolorem, quàm ægritudines corporales. Vnde Christus sic debilitatus fuit, ut angeli necesse habuerint ei postea ministrare, Et sunt suppli

cia peccati, Christus autẽ fuit sine omni peccato. Su scepit igitur has grauissimas cogitationes propter nos, ut nobis uictoriam pararet. Nã cùm nos in peccatis concepti & nati simus, dominatur etiam nostri Satã, & excitat in nobis, præsertim cùm affligimur, huiuscemodi cogitationes. Quid? promittitur tibi hæreditas regni cœlorum, Diceris esse adoptatus in filium Dei, Preces tuæ dicuntur exaudiri coram Deo, & omnino iuberis credere te habere clementem Deum, Sed hæc omnia sunt uanissima. Si.n. Deus te respiceret, si esses adoptatus in filium Dei, Si Deus tibi esset clemẽs, posset te seruare. Quid ergo reliquum est, nisi te longè deceptum esse uanis istis promissionibus Euangelij? Hæc sunt ignita iacula Satanæ, quæ & fauciant nos propter peccatum. Ac fieri non potest, quin lædant perpetuo interitu hominẽ nondum in Christo renatum. Solum autem Christum non potuerũt lædere, quia est sine peccato. Quare Christus uicit hanc tentationem, & repulit, ut non potuerit ipsum lædere. Videamus ergo quomodo repulerit ipsam. Allegat scripturam, & obijcit Satanæ uerbum Dei, qui est gladius spiritus, dicens: Scriptum est, nõ in solo pane uiuit homo, sed ĩ omni uerbo Dei, quod egredietur de ore Dei. Nõ est necessarium ut faciam è lapidibus panes, quia Deus nõ sustentat hominem in ea tãtum uocatiõe, in qua panis est parabilis, sed in quauis uocatione, ad quam uocat ipse uerbo suo.

Nunc

Nunc autem profectus sum in hanc eremum nõ mea temeritate, sed uocatione Dei & ductu spiritus sancti. Quare certum est Dominũ me seruaturum, quocunq; id modo fiat. Habes uictoriam Christi per uerbum Dei: sed hoc factum & scriptum est ad nostram salutem. Nam si uoluerimus in talibus tentationibus consistere, & non perire, duo nobis necessaria sunt: Alterum est Christus ipse, alterũ est scriptura, quæ est organon spiritus sancti. Primùm ergo confidendum est in Christum, q; ipse uicerit Satanam, reportauerit nobis uictoriam, & reconciliauerit nos cum Deo patre. Deinde proferendæ sunt promissiones et præcepta scripturæ, quibus tanquã gladio utendum est. Nã quemadmodum pugnaturus cum externo hoste, necesse habet, Primùm præditus esse corporali aliqua fortitudine, deinde gladio armatus esse. Nisi enim habeat aliquam corporis fortitudinem, non potest gladio commodè uti: ita in pugna spirituali necesse est, ut ante omnia simus renati in Christo, et habeamus fortitudinem ex Christo: deinde utendum est gladio uerbi Dei, qui tum ualet, cùm Christo per fidẽ induti sumus. Hic. n. gladius nihil prodest infideli Ethnico, nihil impio Iudæo, nihil crudeli Turcæ, quia cùm hi sint sine Christo, sunt etiã inualidiores quàm ut queant hoc gladio uti. Sed quid (inquis) num Deus iuxta hoc uerbum: Nõ in solo pane uuit homo &c. nullum finit fame perire, ambulantem in sua uocatio

ne? Quid ergo tam multi perierunt fame in Babylonica deuastatione urbis Hierusalem? an non fuit inter ipsos pius quispiam? certè ueri simile est multos fuisse pios inter eos, ex uerbo Hieremiæ, qui tamē fame perierunt, et tamen nō perierunt: Perierunt corpore, nō perierunt spiritu, sed seruati sunt ad æternam fœlicitatem. Hîc. n. obseruandum est, quòd in eiusce-modi tentationibus debemus nos gerere, quemadmodū se gesserunt tres pueri apud Danielem cap. 3. Hi noluerunt adorare statuā Regis. Ideo minatus est eis fornacem ignis. Sed ipsi respōderunt: Ecce Deus noster quem colimus potest eripere nos è camino ignis ardentis, & de manu tua ô Rex liberare. Quòd si noluerit, notum sit tibi ô Rex, quòd deos tuos non colimus, & statuam aureā quam erexisti nō adoramus. Sic & cum quis obruitur necessitate fami-is, aut alia afflictione, proferendum est hoc dictum: Nō in solo pane uiuit homo, sed in quouis uerbo Dei quod procedit ex ore Dei, Et sic interpretādum: Deus potest me etiam sine pane mirabiliter seruare in hac corporali uita. Quòd si autem noluerit me seruare in corporali uita, nō tamen recedam à uocatione sua, quia scio ipsum seruaturum me ad perpetuam uitā. Hæc certè confidentia placet Deo. Sed uideamus nunc secundā tentationem. Satan semel repulsus iterum aggreditur Christum, & quia uidit Christum uti scriptura, utitur & ipse ea: statuit enim eum super pinnaculum

naculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum enim est, Quia Angelis suis mandauit de te &c. Christus autem repellit eum iterum recta interpretatione scripturæ. Satan enim abusus est ea. Nam Deus promisit se per Angelos adiuturum, sed ita, si non tentauerimus ipsum, si ambulauerimus in uocatione Dei. Non est autem uocatio Dei, ut nunc meipsum de templo præcipitem. Hoc loco excitamur ad diligentissimum studium uerbi Dei. Satan est doctissimus disputator, nouit scripturam, & eam scit inuertere. Quare necessitas exigit ut semper demus operam scripturæ, quo præparemus nos ad pugnam cum Satana. Infantes quidem, et qui generaliter stulti sunt, qui non possunt scripturam comprehendere, hi mirabiliter seruantur à Domino, sed alij qui possunt discere, & non discunt uerbum Dei magna cura, hi certè tentant Deum, & cum ad pugnam uenerint, ferè succumbere solent. Si miles profiteretur militiam, & interim non disceret usum armorum, nonne ineptus esset ad pugnam? Sic & hi frigidi Christiani, qui negligunt studium uerbi Dei, habent se instar noctuarum, quæ noctu uident, interdiu nihil uident: ita illi astuti & periti sunt in tenebris negociorum huius seculi, sed in luce Euangelij sunt magis cæci quàm talpa. Quare studium uerbi Dei nunquàm est intermittendum. Tertia tentatio. Subducitur in altum montem &c. Tibi dabo, si adoraueris. Hæc uerba talem habent sententiam:

Tu proposuisti te abiectum esse in mundo, & decreuisti suscipere uarias afflictiones (hæc enim erat uocatio Christi) sed ego consulo tibi ne facias, quin potius sectare meum consilium, et suscipe magistratum huius seculi, tunc omnia regna subijcientur tibi. At Christus repellit et hanc tentationem, dicens: Dominum Deum tuum adorabis &c. hoc est, sola Dei uocatio sectanda est. Ad eundem modum tentamur & nos. Si proximo imposueris, consequêris magnas opes. Ad Cain dicebat Satan: Si occideris fratrem tuum, eris dominus terræ. Huic tẽtationi obuiam itur, Primùm fide in Christum, q. Deus per ipsum nobis sit propicius. Deinde consideratione uocationis & præcepti diuini. Nam sola obedientia Dei potest esse perpetuò fœlix. Inobedientia & si aliquandiu est fœlix, tamen ea fœlicitas non durat. Quare discendæ sunt promißiones Dei, discendũ est præceptum Dei, ut obedientes in his tentationibus, maneamus in uocatione Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, cui laus & gloria in secula seculorum, Amen.

DOMINICA REMINISCERE,

Euangelium Matth. 15.

ET egressus inde Iesus secessit i partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finib. illis egressa



egressa,clamauit,dicẽs ei: Miserere mei Dñe fili Dauid, filia mea à demonio uexatur. Qui non respõdit ei uerbũ. Et accedẽtes discipuli eius,rogabant eum dicẽtes: Dimitte eã,qa clamat post nos. Ipse autẽ respondens ait: Nõ sum missus,nisi ad oues quę perierũt domus Israel. At illa uenit & adorauit eum,dicẽs: Dñe adiuua me. Qui respõdẽs

ait: Nõ est bonum sumere panem filiorũ, & proiícere ante canes. At illa dixit: Etiã Dñe, Catelli aũt edũt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondẽs Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut uis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

HOMILIA PRIMA.

Evangelium quod ex Matthæo recitauimus, unum est è præcipuis, quæ singulis annis publicè cõmemorari solent. Docet. n. nos rectè orare, adeoq; sic orare, ut oẽs petitiones co. d. s nostra Deo impetremus. Nam recta & pia oratiõe nihil est potentius, nihil fortius aut ualidius. Oratio pia penetrat nubes usq; ad summam Dei maiestatem, alioqui inaccessibilem. Oratio pia coniungit hoiem orantem cum multitudine angelorum, & facit ipsum cum Domino Deo nostro familiarẽ. Moses orationis piæ clamore impetrauit, ut mare diuideretur, & præberet Israelitis exulibus transitum. Elias clausit oratione cœlum ne plueret tribus annis & sex mensibus. Et rursus oratione sua reclusit cœlum, ut plueret, ac terra fructũ produceret. Quid

plura?

plura? Oratio pia impetrat à Deo quicquid animo tuo allubescit. Amen amen dico uobis, (inquit Christus) quæcunq; petieritis patrem in noĩe meo, dabit uobis. Et in hodierno Euangelio Christus orationem mulieris Chananææ motus ait: Fiat tibi, sicut uis. Cum igitur hodiernum Euangelium doceat nos exemplo Chananææ mulieris rectè orare, et quod uoluerimus impetrare, egregiè collocabimus operam nostram, si hoc exemplum diligenter cõsideremus. Digressus (inquit Euangelista) illinc Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ingressus domum (quẽadmodum Marcus ait) neminẽ uoluit scire, uel ut aliquantum à labore prædicandi et sanandi homines interquiesceret, uel q; nõdum uoluerit publicè inter Gentes Euangelium prædicari, donec è morte resurgeret. Non tamen potuit latere, quia aduentum eius audiuit mulier Chananæa, uel ut Marcus ait, Græca Syrophœnissa (hoc est) nõ Iudæa sed Ethnica. Hæc mulier affligebatur maxima calamitate, propterea q; habebat filiam quæ à dæmonio miserè uexabatur. Cũ igitur audiuisset aduentum Christi, etsi Ethnica fuerit, tamẽ uenit precatura Christum pro sua & filiæ suæ salute. Videamus quid de hac muliere fiat, ut exemplum eius prosit nobis ad eruditionem pietatis. Primùm enim omnium, priusquàm accessit ad Christũ oratura, facta fuit Christiana, & iustificata est coram Deo. Non perseuerauit in sua gentilitate & im-

pietate, sed cõuersa est ad Christum, et iustificata est per fidem in Christum. In oratione. n. sua ait ad Christum: Domine fili Dauid. Ex qua uoce manifestũ fit, q̃ crediderit in Iesum Christum, & habuerit ipsum pro saluatore. Christus quoq; ipse commendat fidem eius: O mulier (inquiens) magna est fides tua. Hoĩes aũt iustificantur per fidem in Christum, quia qui credit in Christum, huic Deus non amplius imputat peccata, sed iudicat ipsum iustũ propter Christum. Itaq; mulier oratura, primum omnium facta est Christiana & iusta. Nullus. n. Ethnicus in sua impietate manens, nullus Turca, nullus Iudæus, quales hoc tempore sunt Iudæi, potest rectè orare, etiãsi uideatur nomen Dei inuocare. Soli Christiani, per Christũ iustificati, orare possunt. Rectè igitur oraturi debemus ante omnia curare, ut simus Christiani, hoc est, per Christum iustificati & Deo accepti. Quid? inquies: An non sumus Christiani? Nonne accepimus baptismum? Nonne sumimus cœnam dominicam? Rectè, sed Sacramentorum sumptione non absoluitur Christianismus. Requiritur enim ut agnitis peccatis nostris, quibus æternam damnationem meriti sumus, credamus peccata nobis uerè per Christum remissa esse. Hæc aũt fides declaratur bonis operibus: quare qui mala opera faciunt, declarant se nõ esse Christianos. Deinde mulier oratura Christum, nõ proponit se male facturam, aut in iniquitate ambulaturam, nõ fusci

pit

pitiniustam causam agẽdam, sed iustã habet orandi causam, uidelicet, filiolæ infirmitatem. Iustum enim est, ut parẽtes habeant curam liberorum. Sic et nos oraturi debemus operam dare, ut ambulemus in uocatiõe Dei, & uersemur in causa iusta atq; diuinitus approbata. Nam qui iniustè agunt, nõ possunt rectè orare. Impostor, exempli gratia, nõ potest orare, ut impostura ipsius sint fœlices. Proficiscens ad mercaturam, & proponẽs se nugis & peiurijs merces suas extrusurum, non potest orare et dicere: Domine defende me in itinere, aut proposito meo, quia non ambulat in uocatione Dei. Etsi. n. mercatura per se non sit iniusta, tamen ille bona Dei ordinatione peßimè abutitur. Item is qui totus deditus est ocio, luxui, ebrietati, lusibus, & id genus rebus, ac afficitur ægritudine corporis, et hoc solum agẽs, quo redeat ad sanitatẽ, ut liceat ad priores mores redire, et ociari, ludere, ac inebriari, is nõ potest orare, quia nõ agit causam iustã. Vnde Psal. 49. dicitur: Inuoca me in die tribulatiõis, eruã te, et honorificabis me. Et ne quis existimet hæc dicta esse de his qui ambulant in iniusticia, & petunt ut iniusticia ipsorum sit fœlix, addiatur, Peccatori autem dicit Deus: Quare tu enarras iusticias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu uero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si uidebas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portio tua. Os tuum abun-

dauit malicia, & lingua tua concinnabat dolos, Sedens aduersus fratrẽ tuum loquebaris, & filium matris tuæ calumniabaris. Hæc fecisti et tacui. Nunquid existimasti me similem esse tibi? arguã te, & statuam ante oculos tuos. Ioan. 9. Peccatores (hoc est, eos qui petunt suas iniusticias esse fortunatas) Deus non audit. Et Psal. 65. Iniquitatem si aspexi in corde meo, nõ exaudiet Dominus. Quare ut oratione nostra aliquid impetremus, ambulandum est in iusticia & uocatione Dei. Nam q. rarò fiamus compotes orationis nostræ in afflictionibus nostris, hìc adeo uenit, quia petimus beneficia Dei, non ut rectè ipsis utamur, sed potius ut malè abutamur. Habes qualis facta sit mulier Chananæa, priusquàm orauerit, quales et nos debeamus esse ante orationem. Audiamus nunc qualem se gesserit in ipsa oratiõe, & quomodo orauerit. Oratura. n. pro salute filiæ, non inuocat Patriarcham Abrahamum, aut Prophetam Esaiam, nec orat Petrum, aut Ioannem, aut Iacobum, sed rectà proficiscitur ad Christum, fontem, uidelicet, ipsum omnis clementiæ. Etsi enim sancti in cœlo optent nobis bona, tamen non sunt inuocandi, ne uideamur ipsis tribuere honorem diuinitatis. Et quanquàm sancti in terra adhuc uiuentes admonendi sunt, ut pro nobis orent, tamen nõ licet ad eundem modum admonere sanctos mortuos. Quare mortui nõ sunt inuocandi, sed solus Dominus Deus noster inuocandus est per Christum Dominum.

Dominum. Inquit enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et iterum: Inuoca me in die tribulationis tuæ, & ego eruam te. Deinde mulier orando inuocat Christum ut filium Dauidis. Domine (inquiens) fili Dauid. Hypocritæ inuocant quidem et ipsi Christum, non autem inuocant eum ut filium Dauidis, sed ut seuerissimum Iudicem. Putant. n. Christū post ascensum suum sedere in cœlo, tanquàm crudelem iudicem, coram quo nobis opus sit multis intercessoribus, beata, uidelicet, Virgine, Apostolis & Martyribus. Ac uerum quidem est, q; Christus uenturus sit seuerissimus Iudex totius orbis terrarū, & iudicaturus atq; cōdemnaturus sit perpetuo oēs qui nō resipuerunt, nec crediderunt ī nomen ipsius, sed interea temporis habitat in cœlis, ut filius Dauid. Nā prophetæ uaticinati sunt Christum uenturum de semine Dauidis, et huic semini tribuerunt honorē placationis & intercessionis ac salutis à Deo impetrandæ. Parum est (inquit Dominus) ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob & fæces Israel cōuertendas. Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Quare Christus inuocandus est ut filius Dauid, hoc est, ut propiciator & placator noster, per quem habemus omnem fœlicitatem. Adhæc mulier in oratiōe sua proponit Christo nulla sua merita, sed tantum implorat misericordiem, & exponit suam miseriam, Miserere mei &c. Christus enim

liberalis est, Et nos egeni. Nec ulla sunt nostra merita. Quare hypocritæ nō inuocant Christū, quia orāt fiducia suorum meritorum. Quid autem ad hæc Christus? Profectò ita se gerit ut uideatur mulieris preces prorsus abominari. Primùm uult in domo latere. Deinde perspicuè dicit se tantū ad Israelem missum. Etsi enim Christus pertineat etiam ad Gentes, tamen uoluit externo suo ministerio tantum inter Iudæos uersari. Minister (inquit Paulus) circumcisionis. Postremò non tantum negat mulieri auxilium, sed etiā affingit eam cōtumelia, uocans eam canem. Non est bonū sumere panem filiorum &c. Mulier autem constanti fide perseuerat, & agnoscit quidem cōtumeliam, sed inuertit in suum usum, ac captiuat quodammodo Christum in uerbis suis. Quare hac perseuerāti fide nō solum impetrat filiæ salutem, sed etiam ingentem fidei commendationem. Hæc mulier fit uictrix Christi per fidem. Fiamus & nos uictores Dei, quod fieri solet, nō humana potentia, sed fide. Nam quod extrinsecus geritur inter Christum & mulierem, hoc geri solet in cōscientia piorum. Pīj. n. orant Deum pro uictoria mortis, & æterna salute, qua oratione nulla est maior: sed primùm obijcitur eis in conscientia q. Deus administrando mundum, aliud agere habeat, quàm ut curet abiectos homines: Sicut Christus uoluit hoc loco latere. Hìc ergo cognoscēdum est è uerbo Dei, q. Deum ideo cōdiderit mundum & homines,

ut innoteſcat hominibus, ut ſeruet homines in omnibus afflictionibus ad æternam fœlicitatem. Deinde iterum obijcitur, Sed ſeruet tantum electos ſeu prædeſtinatos ad uitam, ſicut Chriſtus ait, ſe tantum miſſum ad Iſraelem. Hìc ergo ſciendum eſt, quòd Deus, quantum ad ſe & ſuam clementiam attinet, omnes homines elegerit & prædeſtinauerit, quia propoſuit Chriſtum omnibus hominibus. Concluſit Deus omnes ſub peccatum, ut omnium (omnium inquit) miſereatur. Et Deus uult omnes homines ſaluos fieri. Poſtremò obijcitur in conſcientia, Sed tu es peccator, & habes maxima peccata, ſicut Chriſtus dicit, mulierem eſſe canem. Hìc iterum reſiſtendum eſt exuerbo Dei, & utendum artificio mulieris, quæ agnoſcens epitheton canis, facit illud ſibi uſui: ita agnoſcamus epithetõ peccatoris, & dicamus: fatemur nos peccatores. Petimus igitur, ut detur nobis quod peccatoribus promiſſum eſt. Chriſtus ait: Veni ut uocem non iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Et Paulus: Certus ſermo, quòd Ieſus Chriſtus uenit in hunc mundum, ut peccatores ſaluos faceret. Quòd ſi ita perrexerimus conſtanti fide, tunc efficimur ueri Iſraeles, hoc eſt, uictores Dei. Patitur enim Deus ſe uinci per fidem, ut iuxta promiſſiones ſuas perpetuam ſalutem conſequamur, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, qui eſt Deus laudandus in ſecula ſeculorum, Amen.

HOMILIA SECVNDA, HA= bita anno 1542.



I eam uolumus curam, quam debe= mus, ad perſtringendum hoc Euan= gelion conferre, inueniemus totam Chriſtianiſmi doctrinã ſummatim in ipſo contineri. Requirit. n. Deus à pio ſeu Chriſtiano homine, primùm, ut rectè credat in Chriſtum. Deinde ut nomẽ Domini per Chriſtum inuocet: tum ut in aduerſis conſtet, nec recedat à fi= de. Poſtremò ut abiectis peccatis, ſectetur opera iu= ſticiæ et caritatis erga proximum. Aut ut ſignifican tius proponam, requirit Deus à nobis, ut recte creda mus, rectè bona faciamus, & rectè mala ſeu aduerſa feramus. Hæc ſunt breuiter, quæ in Chriſtianiſmo do ceri, quæ & rebus ipſis peragi debent. Cùm igitur ea in hodierno Euangelio exponuntur, dignum eſt, quod ſingulari cura obſeruemus. Ac initio propoſui mus, q, ad pium hoĩem pertineat rectè de Chriſto & in Chriſtum credere. Iudæi expectant & ipſi Chri= ſtum in prophetis promiſſum, Sed non rectè de Chri ſto ſentiunt atq; credunt, quippe qui eum uenturum expectant adhuc, qui iamdudum uenit, & ſentiunt ipſum fore principem huius ſeculi. Hypocritæ quoq; gloriantur de Chriſto, ſed ſentiunt eum tantum Iudi cem eſſe noſtrorum factorum, non item talem pro= piciatorem, qui nos reconciliet cum Deo patre, abſq;

meritis

meritis operum nostrorum. Scelerati habẽt etiam in ore Christum, sed non obediunt ei ut Christo Domino suo. Hodiernum autem Euangelium docet rectã in Christum fidem. Nam Christus docuit hactenus Euangelium suum quòd sit missus à patre, ut expiaret peccata hominum, ut seruaret omnes in ipsum credentes ad perpetuam fœlicitatem. Et quo hæc prædicatio confirmaretur, addidit præter alia miracula, etiam hoc miraculum, quod editum est in filia mulieris Chananææ. Hanc enim absentem uerbo liberauit à dæmone. Quare monet & certificat nos hoc miraculum, quòd ita credendum sit in Christum, ut sentiamus eum non esse externum mundi Monarcham, sicut Iudæi sperant, nec iudicem tantum, sicut hypocritæ somniant, nec contemplatorem humanarum actionum, quemadmodum putant scelerati, sed Regem esse spiritualem, qui & hoc tempore gratis nobis reconciliet patrem, & in nouissimo die iudicaturus sit omnes homines. Huc pertinent omnia, quæ de officio Christi tam ex Prophetis, quàm è concionibus Christi & Apostolorum explicantur. Deinde exigitur, ut qui rectè credit in Christum, inuocet etiam nomẽ Domini ex fide in Christum, imo & ipsum Christum, qui est eiusdem cum Dro Patre suo maiestatis, inuocet. Huc enim uocat nos exemplum mulierculæ Chananææ, quæ cùm fuerat gentilis, & antè coluerat uarios deos, nunc in necessitate filiæ relin-

quit omnes suos deos: nec peregrinatur ad Hierusalem, ut ibi uota faciat pro salute filiæ, sed solius Christi auxiliũ implorat: Miserere (inquiens) mei, fili Dauid, filia mea miserè agitatur à dæmone. Neq; hoc solum cõtigit Christo q, inuocatus sit, cùm adhuc in terris uitam ageret, sed inuocatus est etiam à Stephano in extrema sua necessitate cùm iam sederet ad dextram Dei Patris post ascensum suum in cœlis. Domine Iesu (inquit Stephanus) suscipe spiritũ meum. Et nomen Domini inuocare quid aliud est, quàm Iesum Christum inuocare? Quicquid igitur nobis acciderit, solus Iesus Christus in auxilium uocandus erit, ut Deus pater ignoscat nobis propter ipsum, & ut seruet nos: quia ubicunq; Pater inuenit filium, ibi est omnis clementia & misericordia: ubi autem nõ inuenerit eum, ibi est omnis ira, seueritas & condemnatio. Præterea exigitur ab homine pio ut propter aduersa non recedat à fide & obedientia fidei, sed perseueret & pergat in uocatiõe sua. Habes de hoc punctο memorabile exẽplum in muliere Chananæa. Hæc enim mulier cœpit ambulare in uocatione Dei, quia credit rectè in Christum, & inuocat eum ex fide pro salute filiæ suæ. Hæc sunt pia opera & uocatio Domini. Sed uide quid ipsi accidat: & tamen pergit in uocatione Dómini constare. Primùm Christus præterit eam. Non respicit clamorem eius, ac prorsus significat se contemnere ipsam. Deinde rogatus à discipu-

lis

lis manifestè negat ei auxilium. Non sum (inquiens) missus, nisi ad oues perditas domus Israel, hoc est, mulier est Ethnica, nec pertinet ad populum Dei. Quare nõ est digna ut accipiat beneficium meum. Ad extremum, cùm et ipsa propius accederet, ac ad genua accideret, repellitur etiam contumelioſe, dicit enim Christus: Non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus. Tu canis es, nihil igitur ad te panis filiorum. Hæc certè magna sunt aduersa. Quomodo ergo habuit se in illis mulier? num recessit indignabunda? Minimè omnium, sed perrexit in fide & inuocatione, adeoq; impetrauit tandem nõ solum liberationem filiæ, sed etiam maximam laudem coram tota Ecclesia. Quæ huic mulieri accidunt, ea solent ferè omnibus pijs in oratione & uocatione Dei accidere. Nihil hìc loquimur de contemptoribus Dei. Hi enim in afflictione sua non festimant ad Deum per orationem, sed ad execrationes, & si aliquoties incipiunt orare, tamen cùm non statim sentiunt præsens auxilium, continuò redeunt ad ingenium. De pijs loquimur, qui cùm incipiunt orare in afflictione, tunc Deus uidetur ipsis dormire. Nullum sentiunt auxilium, nullum solatium, nullam exauditionem. Deinde cùm pergunt, tunc solent uariæ cogitationes exurgere in conscientia, uidelicet, se non pertinere in numerum populi Dei. Et quemadmodum hæc mulier initiò reijcitur ut Ethnica, mox ut canis,

ita subinde maiores exoriuntur cogitationes seu tentationes in conscientia pij hominis, quibus sollicitatur sentire, quòd non modo non pertineat ad populum Dei, uerumetiam omnino sit abiectus & damnatus ueluti canis, propterea quòd sit maximus omnium peccator, qui nunquàm Deo perfectè obedierit, & uocationem Dei nunquàm rectè sectatus sit. Quid ergo hîc faciendum? num relinquenda est uocatio Dei, & intermittenda precatio? Minimè, sed pergendum est. Atq; hîc uidemus quanta necessitas est, ut diligenter discamus uerbum Dei, quo possimus in grauissimis tentationibus cõstare. Nam quod ad hanc tentationem attinet, cùm obijcitur nobis, q, non simus de populo Dei, producendus est baptismus, quo sumus in populum Dei cooptati. Ergo discenda est uera baptismi ratio, quam nisi quis cognouerit, non potest eo in periculis uti. Cùm autem obijcitur, quòd simus propter peccata abiecti, tunc producendus est Christus, qui uenit ut peccatores saluos faceret. Ergo officium Christi diligenter discendum & cognoscendum est. Sed quomodo potuit mulier Chananæa fidem suam seruare aut cõfirmare in his tentationibus? Non enim fuit de populo Israel, qui tunc erat populus Dei, Nec fuit baptisata. Quomodo ergo cõfirmauerit se, haud obscurè significat, cùm agnoscit se catellum, & dicit catellos edere de micis dominorum. Hac. n. uoce significat Christum etiam

etiam pertimere ad Gentes. Nam quemadmodum pultes, saturis & fastidientibus pueris abominabiles, obijciuntur catellis, Ita Christus primum omnium uenit ad Israelitas: sed cùm illi abominarentur eum, reuelatus est Gentibus, quemadmodum Prophetæ uaticinati fuerant. Cùm igitur tot promissiones de uocatione Gentium in Prophetis extiterint, non concepit hæc mulier uanam fidem, sed certã, autore spíritu sancto, q. & Gentes pertineant ad Christum, qua etiam fide sectentur opera caritatis, & abiectis peccatis faciant opera iusticiæ. De hoc admonemur exemplo mulieris & filiæ eius. Mulier suscipit in se miserias filiæ suæ, non aliter quàm si ipsa affligeretur. Hoc opus caritatis. Vera enim caritas diligit proximum sicut seipsum. Filia (in quis) fuit, ideoq. mater tantopere eam dilexit. Sed tu uicissim audi, quòd nomine proximi non ueniat tantum filius, sed etiam alienus, sicut & amicus & inimicus. Hìc autem uidemus reipsa quàm tepidi, imò quàm frigidi simus caritate. Nostris afficimur uehementissimè, alienæ calamitates, ne tantillæ quidem curæ nobis sunt. At Deus seuerissimè exigit à nobis ueram caritatem, quam etsi non possimus omnino perfectè præstare, tamen uult ut non simus ab ea alieni: ubi enim est fides, ibi etiam est suus caritatis ardor. Et exempla Sanctorum testantur, spiritum sanctum in hominibus mediocrem caritatem efficere, ut uides in Mose, Dauí

de & Paulo. Quare omnino opera dãda est caritati. Monet etiam hoc exemplum oẽs Patres familias & Magistratus, quantam curam debeant de suorum sa lute suscipere. Etsi enim non omnes, uel liberi, uel fa miliares obsessi sunt tali dæmonio, quale fuit illud fi liæ Chananææ, tamen quia omnes homines sunt pec catores, sentiendum est etiam homines habere suos quenq; dæmones. Magnus. n. dæmon est peccatum, & hic dæmon præcipuè insidiatur pueris & adole scentibus. Quare ante omnia offerẽdi sunt precibus Deo. Deinde danda est opera eruditione & disciplina, ut à dæmonibus, hoc est, peccatis, caueant. Iam filia etiam unumquenq; monet sui officij. Cùm enim adhuc dæmone obsessa fuit, nihil potuit rectè agere. Postquàm autem liberata est, agit quæ sunt sui officij. Ita homines nihil possunt rectè facere, nisi antè consecuti sint remissionem peccatorum per Christum: hoc enim uerè est à dæmonio liberari. Cùm autem iustificati sumus per Christum remissione peccatorum, ibi tum licebit nobis rectè in officio iusticiæ ambulare. Quare obediamus Christo, obediamus Euangelio Christi, ut ueram salutem consequamur per ipsum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula seculorum,

AMEN.

DOMINICA

DOMINICA OCVLI,

Euangelium Lucæ 11.



ET erat eiſciens dęmonium,& illud erat mutũ. Et cùm eieciſſet dęmonium, locutus eſt mutus, et admiratę ſunt turbę. Quidã aũt ex eis dixerũt: In beelzebub prĩcipe dęmoniorũ eiſcit dæmonia. Et alĩ tẽrantes, ſignũ de cœlo q̃rebãt

ab eo. Ipſe aũt ut uidit cogitatiões eorũ, dixit eis: Omne regnũ cõtra ſeipſum diuiſum, deſolabit̃, & domus ſuper domũ cadit. Si aũt et Satanas cõtra ſeipſum diuiſus eſt, q̃modo ſtabit regnum eius? quia dicitis, in Beelzebub me eĩcere dæmõia. Si aũt ego in Beelzebub eĩcio dęmonia, filĩ ueſtri in q̃ eĩciunt? Ideo ipſi iudices ueſtri erunt. porro ſi ī digito dei eĩcio dęmõia, ꝓfecto puenit in uos regnũ Dei.

Cũ fortis armatus cuſtodit atriũ ſuũ, īpace ſunt ea q̃ poſsidet. Si aũt fortior eo ſupueniens uicerit eũ, uniuerſa arma eius aufert, in qbus cõfidebat, & ſpolia eius diſtribuit. Qui nõ eſt mecũ, contra me eſt, & qui nõ colligit mecum, diſpergit.

Cũ immũdus ſpũs exierit de homine, ambulat p loca inaq̃ſa, quærens

rēs requiē, et nō inueniēs, dicit: Reuertar ī domū meā, unde exiui. Et cū uenerit, inuenit eā scopis mūdatā & ornatā. Tunc uadit et assumit septē alios spūs nequiores se, & ingressi habitāt ibi. Et fiunt nouissima hoīs illius peiora prioribus.

Factū est aūt cū hæc diceret, extollens uocē quædā mulier de turba, dixit illi: Beatus uēter q te portauit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò, beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud.

HOMILIA PRIMA, HABITA ANNO 1538.

Vāgelium quod recitauimus, satis prolixum est, & multa cōprehendit, præsertim autem cōmemorat grauissimum illud peccatū in spiritum sanctum, quod designauerunt Pharisæi calumnijs suis. Perstringemus igitur ista paucis, ut à calumnijs & alijs peccatis auocemur, et ad uiam salutis redeamus. Erat (inquit) Christus eijciens dæmonium mutum, & mutus continuò loque-

batur. Stupẽdum miraculum, et quod diuinã potentiã in Christo manifestè declarat. Nihilominus tamẽ Pharisæi calũniãtur hoc miraculũ, et dicunt, q̃ Christus præsidio Beelzebub eiẽciat dæmõia. Quid ergo ad hæc Christus? Primũ ostẽdit clarissimis argumentis merã esse calumniã. Deinde ostẽdit eis grauitatẽ pcti: Vocat. n. peccatum in spũm sanctum. Postremò uaticinatur eis futurũ supplicium, nisi resipiscãt. Argumẽta q̃bus Christus calumniã Pharisæorum refellit, hæc sunt. Primũ: Si Satã Satanã expelleret, regnũ Satanæ nõ cõstaret, quia omne regnũ in se diuisum, desolabitur. Atq̃ nullum regnũ firmius est regno Satanæ. Durauit. n. iam multis millib. annorum, et dæmones sibi inuicẽ tanq̃ catena cohærẽt. Quare manifesta calumnia est, q̃ dicunt Satanã expelli præsidio Satanæ. Secundum. Filij Iudæorum, hoc est, Apostoli uel exorcistæ eiẽciebãt dæmones, et Pharisæi cõfitebãtur hoc fieri diuina uirtute. Idẽ opus ĩ Christo tribuebãt Satanæ, quod in Apostolis tribuerũt uirtuti diuinæ. Quid est calũnia, si hæc non est? Tertiũ. Ego potius alligo uirtutẽ Satanæ, q̃ utar uirtute eius. Quia cũ expello Satanã ab hoĩbus, incurro ĩ fines Satanæ. Hoc aũt nõ possem, nisi antè deuicissẽ Satanã, et oppressissẽ eũ. Ideo potius significo me uicisse eũ, q̃ opa eius uti. Quartũ. Qui nõ est mecum, cõtra me est, et q̃ non colligit mecum, dispergit. Cõtraria sunt officia seu opa mea et Satanæ. Non igitur utor operã

ra Satanæ. Satan affligit hoïes, ego libero hoïes. Satã redigit hoïes ad insaniã, reddit eos cæcos & mutos, Ego sano eos. Non potest igitur Satan me adiuuare. Manifesta ergo calumnia est, q̃ dicitis me præsidio Beelzebub eijcere dæmonia. Habes argumẽta. Nunc audi grauitatẽ peccati. Apud Matthæũ. n. cap. 12. & Marci 3 addit Christus: Omne cõuicium in filium hominis remittetur, cõuicium aũt in spiritũ sanctum, neq; hîc, neq; in futuro seculo remittetur. Qua uoce significat Christus, q̃ Pharisæi designauerint hac calumnia peccatum in spũm sanctum. De hoc pctõ multi multa dixerunt. Nos etiam pauca pro tpe de ea re exponemus. Omnino. n. necessariũ est, ut hac parte rectè erudiamur, quia cũm peccatum in spũm sanctum dicatur irremissibile, facilè potest conscientia in desperationẽ cõijci, si tentetur. Tãetsi. n. dicatur, Christũ expiasse pctã, tamen quia etiã dicitur peccatum in spũm sanctum esse irremissibile, Ideo semper existimat se illud peccatum ppetrasse, & dãnationi obnoxiã esse. Quare rõ huius peccati diligenter cognoscẽda est. Primùm igitur obseruandũ est, q̃ Christus expiauerit oĩa pctã, nullo quantũuis graui, & atroci, excepto. 1. Ioã. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris aũt tantum, sed etiam pro totius mũdi. Et Ro. 11. Conclusit Deus oẽs sub incredulitatẽ, ut oĩm misereretur. Ergo Christus satisfecit etiam pro peccato in spiritum sanctum. Et qui

conuertitur ad Christũ, etiãsi peccauerit peccatũ in spũm sanctum, tamen habet remissionẽ pctorum. Deinde manifestũ est q; Christus expiauerit peccatum originale, è quo oia alia pcta oriuntur. Ro. 6. Quomodo ergo non expiasset etiam peccatum in spiritũ sanctum, quod è pctõ originali deriuatur? Hoc cùm ita se habeat, quid ergo (inquies) illud est quod Christus dicit: Peccatum in spiritum sanctũ, neq; hîc, neq; in futuro seculo remittetur? Hîc mihi obserua Christum, cùm dicit: peccatum in filium hoïs dimittitur, In spiritum sanctum autem non dimittitur &c. non conferre peccata ad suam Passionem. Respectu enim passiõis Christi omnia peccata sunt remissibilia, Sed conferre peccata inter seipsa. Simile est quod 1. Sam. 2. dicitur: Si peccauerit uir in uirum, placari ei põt Deus. Si autem in Deum peccauerit uir, quis placabit? Hîc conferuntur peccata inter se, & dicitur aliud alio grauius. Sicut & in hoc loco peccata inter se ipsa conferuntur. Quia peccatum in filium hominis, siue simpliciter in hoïem, ut Marcus exponit, siue in Christum (Nam & quiuis homo sicut & Christus dicitur filius hominis in scriptura) eiusmodi est, q; licet sit coram Deo peccatum, tamen habet coram hominibus excusationẽ. Vt si quis nõ credit Iesum esse Messiã eo tempore, quo nondum cõfirmasset doctrinam suam miraculis, etsi is peccauerit, tamen habet coram hominibus excusationẽ, quia Christus nõ apparebat

parebat in tanta maiestate, quãta de eo prædicabãt Prophetæ, et abiectior uidebatur, quàm ut in ipsum cõpeteret maiestas Meßiæ. Ideo hoc peccatum erat coram humano iudicio remißibile. Sic qui magna infirmitate pressus, proïcit maledicta in hoïes, quos putat esse infirmitatis autores, etsi grauiter coram Deo peccet, tamen habet corã hominum iudicio excusationem. Item si quis ex paupertate furetur, peccat quidẽ, habet tamen coram hominibus nõnullam excusationem. Item si quis percussus alapa repercutiat, peccat quidẽ, uidetur tamen coram hominibus habere excusationem. Et hæc dicuntur peccata in filium hominis, quæ remittũtur, hoc est, habent corã hominibus aliquam excusationem, licet coram Deo sint uerè peccata. Peccatum autem in spiritum sanctum, dicitur peccatũ cuius malicia & iniquitas manifestè patet, et quod nullã habet causam, præter manifestam maliciam & impietatem, quæ etiam à sensu cõmuni deprehẽditur. Et dicitur peccatum in spiritum sanctum, quia spiritus sanctus est is, qui reuelat & manifestat arcana. Peccant igitur in spiritum sanctum, quorum malicia & iniquitas ita manifesta est, ut nullam habeat excusationẽ. Vnde dicitur hoc peccatũ, nec hîc nec in futuro seculo remitti, non qa pœnitens de hoc peccato, nõ seruetur propter Christũ, in quo omnia peccata sunt remißibilia, sed quia nec coram Deo, qui est in futuro seculo, nec coram

hoïbus in hoc seculo ullam habet excusationẽ, sed est manifestè impium & malicioſum peccatum. Sic calũnia Phariſæorum hoc loco dicitur peccatũ in ſpũm ſanctum, quia eſt manifeſta impietas, attamẽ qui poſtea egerunt pœnitentiã, certè conſecuti ſunt uenũ. Sic Lu. 12. uocat Chriſtus in diſcipulis abnegationẽ Chriſti, peccatũ in ſpũm ſanctum, et tamẽ Petrus negauit eum, ac reſipiſcẽs cõſecutus eſt remiſſionẽ. Sic q impugnat agnitã ueritatẽ, peccat in ſpiritum ſanctum. Sic q furatur diues, & oĩm rerum abundãs dicitur cõmittere peccatum in ſpiritum ſanctum, quia nullã habet, nec coram Deo, nec coram hominibus excuſationẽ. Obſeruemus igitur pctã ad Chriſtum collata, omnia eſſe remiſibilia, ſed inter ſe collata alterum altero grauius eſſe. Et alterum quidẽ eſſe remiſſibile, hoc eſt, excuſabile coram hoïbus, alterum aũt eſſe irremiſibile: hîc et in futuro ſeculo, hoc eſt, inexcuſabile tam coram Deo, quàm coram hoïbus. Hæc de peccato in ſpiritum ſanctum. Poſtremò uaticinatur Chriſtus ſuppliciũ. Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiẽ &c. In Matthæo additur: Sic erit & generatiõi huic. Quibus uerbis ſignificat, q idem accidat Phariſæis, quod dæmoniacis à dæmonibus liberatis, & tamẽ inordinatè ſe gerentibus. Aut quod accidit infirmo, qui recuperauit ſanitatem, & tamẽ ſua inordinata uita recidit in priſtinum morbum. Huius poſtrema

postrema fiunt peiora prioribus. Sic et Pharisæis accidit. Christus uenit & eiecit Satanam è regno ipsorum, sed ipsi non resipiscunt. Quare reuertitur Satan postea cum septem, & adducit secum omnia mala ac internecionem totius gentis. Quod cùm euẽtus in Pharisæis comprobârit, fruamur aliena insania, & non sinamus inter nos Euãgelion Christi frustrà sonare, Sed resipiscamus in tempore, ne Satanæ ullus ad nos receptus pateat, sed soli Domino nostro Iesu Christo hospitium præbeamus, Amen.

ALIA HOMILIA HABITA ANNO 1541.

IN hoc Euangelio describitur illustre miraculum, eiecti Dæmonis ex homine cæco & muto. Ac unũ quidem tantum miraculum uidetur editum, Sed si rectè consideraueris, tria miracula in uno homine simul eduntur. Hic enim homo erat dæmoniacus, erat item mutus, ac cæcus. Et liberatur per Christum uno uerbo, non à dæmone solum, uerumetiam à cæcitate & mutitate. Etsi autem hoc miraculũ diuinius erat, quàm ut quispiam calumniari posset, attamen inueniunt Pharisæi quod arguant. Quod nobis diligenter obseruãdum est, ut non solũ percipiamus quomodo Christus refutet calumnias Pharisæorum, sed etiã intelligamus ex historia huius Euangelij, quid causæ fuerit, q.

Christus nõ uoluerit ea edere miracula, quæ Pharisæi præscribebãt. Aliás. n. exigũt ab ipso signũ de cœlo, ut uel Manna plueret, quod sub Mose factũ fuerat, uel iuberet solẽ stare, quod Iosua fecerat, uel cõcluderet cœlum, quod fecerat Elias. Aliás exigũt ut de cruce descenderet. Si Christus est (inquiunt) descendat nũc de cruce. Quanquàm autem curiositati humanæ rationis uideatur Christũ debuisse ista miracula edere, Christus tamẽ noluit nec Manna pluere, nec de cruce descẽdere. Et huius cõsiliỹ ratio potest ex hodierno Euangelio colligi. Quid. n. profuisset, si ea miracula quæ ipsi exegerunt edidisset? Etenim si in miraculo electi dæmonis, quod manifestè erat diuinum miraculum, inuenerunt quod calumniarentur, certè in aliỹs quoq; miraculis inuenissent quod reprehendissent, atq; calumniati essent. Simamus igitur ualere humanam curiositatem, & audiamus defensionem Christi contra calumnias Pharisæorum. Nã postquàm Christus edidisset simul triplex & manifestum diuinum miraculum in dæmoniaco, audit ipse dæmoniacus à Pharisæis: Hic (inquiunt) eiecit dæmonia præsidio Beelzebub. Sed Christus refutat hanc calumniam firmissimis argumentis. Horum primum est, Omne regnum in se diuisum desolabitur &c. Quod Christus dicit hanc habet sententiam. Si ego eiicerem satanam præsidio Satanæ, tũc regnum Satanæ non staret, quia esset inter se diui-

sum,

um, Regnum autem Satanæ stat adhuc firmißimum, & stabit longo adhuc tempore, donec nouißimus uenerit dies. Fieri igitur non potest, q. ego ejciam Satanam præstidio Satanæ. In hoc argumento sunt duo obseruanda. Alterum est, quòd Christus hortatur omnes ciues & domesticos ad mutuam cõcordiam, cùm dicit: Omne regnum in se diuisum etc. Concordia enim paruæ res crescunt, Discordia autem etiam magnæ dilabuntur. Alterum est, quòd cùm significat Satanæ regnum in hoc seculo firmum stare, hortatur nos ut non torpescamus, perinde, ac si Satan mortuus esset, sed strenuè cum Satana pugnemus. Multa enim sunt indicia quòd satan sit princeps huius seculi, & adhuc dominetur in hoc mundo. Primùm, quia adhuc peccatur, & impiè uiuitur. Nam peccatum non est ex Deo, sed est ex Diabolo. Quare cùm uidemus peccatum, sentiamus regnum satanæ adhuc stare. Deinde regnant adhuc calamitates, tam publicæ, quàm priuatæ, uidelicet, bellum, fames, pestis, febris, & id genus alij morbi. Hæc sunt satanæ opera, quia Deus est ipsa sanitas & fœlicitas. Quare Deus non potest esse autor infirmitatis & infœlicitatis, Sed hæc ueniunt ex autore satana. Quid ergo de Deo dicitur: Creans pacem & malum, hoc est, bellum? Et apud Hieremiam: Quis est iste, qui dixit ut fieret Domino non iubente: Ex ore altißimi non egredientur nec mala nec bona? Hîc re

ſpondendum eſt, Deū ideo dici creare & iubere bellum, ſeu afflictiones, ſeu calamitates, q̄ cōniueat Satanæ afflictionum & calamitatum autori. Lu. 13. de muliere infirma & contracta dicitur: Satanas alligauit eam decem & octo annis etc. Poſtremò Satanam adhuc regnare, manifeſtè teſtatur mors ipſa, quæ regnat inter oēs homines. Satan. n. eſt autor mortis. Sapientiæ primo: Deus mortē non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum. Et cap. 2. Deus creauit hominē inexterminabilē, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Inuidia autē Diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Quid ergo eſt quod 1. Ioan. 3. dicitur: Ad hoc apparuit filius Dei, ut diſſoluat opera Diaboli. Et Chriſtus ipſe apud Ioannem ait, cap. 12. Nūc Iudicium huius mundi eſt. Nunc princeps huius mūdi eiicietur foras. Et cap. 16. Arguet mundum de Iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Videamus igitur quomodo Chriſtus uicerit Satanā, & quomodo Satan regnet adhuc, et tamen propter Chriſtum non regnet. Nam per Chriſtum ita iudicatus & uictus eſt, ut in nouiſſimo die nullum amplius futurum ſit peccatum in omnibus pijs, ſed perpetua & perfecta iuſticia, nec amplius inuaſura ſit ipſos afflictio & mors, ſed omnia erunt perpetuum gaudium & uita: interea autem temporis, donec uenerit nouiſſimus dies, ita dominabitur Satan, ut tamen Chriſtus etiā ſumm dominiū ſpiritualiter exerceat.

Etſi

Etsi.n. peccatum adhuc furat & insaniat in hoie, tamen Christus remittit reatum huius peccati, & donat spiritum quo affectus eius compescatur: Vbi.n. non est dominium Christi, ut in impijs, ibi tractat Satan hoiem pro sua libidine, et impellit eum ex uno genere peccati in aliud. Præterea, etsi afflictiones adhuc molestæ sunt, tamen Christus assumit eas in suam manum, & uertit eas in benedictionē. Adhæc, mors immittitur quidē in pios, sed Christus regnat in morte, quam assumit in manum, nec sinit eam esse quod uult Satan, uidelicet, ianuam perpetuæ dānationis, sed uertit eam in ianuam perpetuæ fœlicitatis. Hoc est uerè dissoluere opera diaboli, quod nisi fieret à Christo, omnia in terris turbarentur. Cùm igitur uideamus Satanam adhuc uiuere & furere, non simus ignaui, sed expergiscamur & tradamus nos regno Christi, ut per ipsum defendamur. Secundum argumentum. Si ego præsidio Beelzebub eĳcio dæmonia, filij uestri cuius præsidio id faciunt? Pharisæi enim commendabant idem factum tanquam diuinum in Apostolis, aut in suis discipulis, quos uocabant exorcistas. In Christo autem reprehendebant tanquàm Satanicum. Hîc uides quod sit ingenium Sycophantarum. Quod in illo commendant ut sanctissimum, hoc in alio reprehēdunt ut uanissimum et sceleratissimum. Iudæi laudabant in Pharisæis abstinentiam & ieiunium. In Ioanne autem Baptista uitupe

rabant, & dicebant eum habere dæmonium. Itẽ Iudæi laudabãt in uicinis suis familiarẽ consuetudinẽ & humanitatem. In Christo aũt reprehendebant ut helluationem. Hæc sunt inuidiæ opera. Refert aũt inuidia naturam sui autoris, qui est Satan, et qui nihil operum Dei incontaminatum relinquit. Quare qui obsequitur inuidiæ, obsequitur Satanæ. Sed quid, obsecro, consequitur ex hoc, q̃ Christus probauit se nõ eijcere Satanã præsidio Satanæ? Duo consequuntur. Alterum est, q̃ eijciat Satanam digito, spiritu & potentia Dei. Alterum est, q̃ peruenerit et reuelatum sit inter ipsos regnum Dei, ac patefactus sit Messias, qui regnum Dei à Prophetis promissum, administrabit. In promißionibus. n. dictum est, q̃ Messias sit contriturus caput serpentis, hoc est, potentiam Satanæ. Item dictum est, q̃ Messias liberaturus sit captiuos à Satana. Hoc autem uidetis nunc manifestè per me fieri. Ergo regnum Dei peruenit ad uos, quod nulli est negligẽdum. Est et aliud indicium quo animaduerti potest regnum Dei aduenisse, hoc est, Messiã adesse. Nam Satan ante meum aduẽtum fuit quodãmodo quietus: nũc aũt excitat magnas turbas, q̃a postq̃ ego inchoaui prædicationem Euangelij, Satan excitat nunc seditiones: nunc plus inuadit hoĩes quàm unquàm antea. Necesse igitur est fortiorem aduenisse. Tertium argumentum, q̃ non eijciã Satanam præsidio Satanæ: Quia Satan hostis & aduersarius meus

est,

est, ergo non adiuuat me. Ille conijcit homines in infirmitatem, ego restituo eos sanitati. Ille reddit homines insanos, ego libero eos ab insania. Ille impellit ad peccata, ego ad iusticiam. Ille ad mortem ducit, ego ad uitam. Fieri ergo nõ potest, q, eijcio Satanã præstidio Satanæ. Postremò admonet Christus & hortatur, ut semel liberati à Satana non debeamus desideriis eius obsequi. Cùm immundus (inquiens) spiritus exierit ab homine &c. Non debemus reuerti ad uomitum. Nam idem accidit his, qui post resipiscẽtiam redeunt ad pristina peccata, quod illis, qui post recuperatam sanitatem intemperanter uiuunt, & recidunt in eandẽ infirmitatem. Hi. n. peius & periculosius postea ægrotant, adeo ut de salute eorum desperetur. Exempli gratia, de febricitante, de alio genere morbi infirmo, & curato per ordinatam medicinã &c. Sic etiam solet accidere his qui redeunt ad pristina peccata. Hebr. 10. Si uolentes peccauerimus post acceptam cognitionem ueritatis, nõ ultra pro peccatis est hostia, sed formidabilis quædã expectatio iudicij & ignis uehementia, qui deuoraturus est aduersarios. Non negatur resipiscentia, sed indicatur periculum. Quare fugiamus periculum, ne pereamus in ipso, seu seruemur in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

DOMINICA LAETARE

Euangelium Ioannis 6.



POst hæc abiit Iesus trans mare Galilęę, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna, quia uidebant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat aũt proximum pascha dies festus Iudæorum. Cum subleuasset ergo

ergo oculos Iesus, et uidisset quòd multitudo maxima ueniisset ad eum, dicit ad Philippũ: Vnde ememus panes, ut manducent hi? Hoc aũt dicebat tentans eũ. Ipse.n. sciebat, quid esset facturus. Respõdit ei Philippus: Ducentorũ denariorũ panes nõ sufficiunt eis, ut unusquisq; modicũ quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simõis Petri: Est puer unus hîc, qui habet quinq; panes ordeaceos et duos pisces. Sed hęc q̃d sunt ĩter tot? Dicit ergo Iesus: Facite hoies discũbere. Erat aũt fœnũ multũ ĩ loco eo. Discubuerũt ergo uiri, numero quasi quinq; millia. Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli uero discũbentib. Similiter et ex piscib. quãtũ uolebat.

Vt aũt impleti sunt, dicit discipulis suis: Colligite, q̃ supfuerunt fragmẽta, ne pereãt. Collegerũt ergo & impleuerũt duodecĩ cophinos fragmentorũ ex quinq; panib. ordeaceis, quę superfuerũt his, q mãducauerãt. Illi ergo hoĩes, cũ uidissent q̃d Iesus fecerat signum, dicebãt: Hic est uerè ille Propheta, qui uenturus est in mundũ. Iesus ergo cũ cognouisset, q; uẽturi essent, ut raperent eum, & facerẽt eum regẽ, fugit iterum in mõtem ipse solus.

HOMILIA PRIMA, HABITA ANNO 1537.

Miraculum quod in hoc Euangelio de quinq; panibus & duobus piscibus, quibus quinq; milia uirorum, et magna mulierum ac puerorum multitudo pasti sunt, scriptura diligẽtissimè nobis cõmendat. Primùm enim non unus tantum aut alter Euãgelista, sed omnes quatuor commemorãt illud. Deinde Christus ipse allegat hoc miraculũ apud

apud Matt. cap. 16. quando discipuli obliti sunt panes sumere. Postremò scriptura in commemorando hoc miraculo, circumstantias eius ualde diligenter annotat, ut tanto magis nobis commendetur, quãto magis illustratur. Locus erat desertus, in quo nihil cibi reperiebatur. Cõcio Christi durauerat usq; ad uesperam, ut si quid etiã cibi turba secum sumpsisset, tanta temporis mora absumpsisset. Solliciti fiunt discipuli, Currũt, recurrunt, Consultant inter se quid faciendum. Admonent Christum ut turbas dimittat. Summam computant, si ipsi uellent tantæ turbæ uel pauxillum duntaxat cibi dare. Et inueniunt ducentos denarios qui ualẽt plus minus 25 florenos. Octo enim denarij propè ualẽt aureum Rhenanum. Scrutantur apud singulos, num quid cibi reliquũ sit. Post longam inquisitionẽ, inueniuntur tantum quinq; panes ordeacei & duo pisciculi. Proferuntur, discumbit turba. Nihil tamen adhuc ciborum paratum est, præterquàm quinq; panes & duo pisces. Postquàm igitur Christus sumptos illos benedixisset, distribuit ex eis singulis discubitibus. Ex quib. adeo pasti sunt quinq; milia uirorũ unà cum mulieribus & pueris, ut duodecim cophini de fragmẽtis superfuerint. Habes miraculũ illustrissimum et obseruatione dignissimum. Videamus igitur nũc usum eius, quia cùm scriptura tam diligenter nobis miraculum istud cõmendet, satis perspicuè indicat, q̃ maximã contineat u-

tilitatē. Ac Christus nō significat hoc miraculo regnū suum fore in hoc seculo carnale, et se sectatores suos ita pasturos externo cibo, ut quicūq; eū agnoscerēt, semp ī delicijs uiuerēt. Nā hāc opinionē cōcipiebant multi eorū q hoc loco pascebātur. Et alij quidē erāt rapturi ipsum, ut crearēt ipsum regē. Sed Christus fugit. Regnū.n. eius nō est de hoc mūdo. Alij derelictis suis legitimis uocationib. sectātur ipsum, nō ut pietatē discāt, sed tātū ut in ocio uiuāt, et habeāt quod edāt. Christus aūt hos seueriter reprehēdit: Amē amē dico uobis, quæritis me nō quia uidistis signa, sed qa comedistis de panibus, & saturati estis. Operemmi nō cibū q perit, sed q pmanet in uitā æternā, quē filius hoīs dabit uobis. Quæ igitur est huius miraculi utilitas? Primū, hoc miraculū habet generalē & communē cū oībus alijs miraculis utilitatē, uidelicet, ut cōfirmet & probet ueritatē doctrinæ atq; Euāgelij Christi. Docuit aūt Christus q, sit filius Dei expiator pctōrum nostrorū, nimirū, q, sit is Christus, q à Prophetis annunciatus est, ut seruet nos à morte, et tribuat nobis uitam et fælicitatē cœlestē. Ex hoc igitur miraculo cōfirmamur ī fide euāgelij de Iesu Christo. Deinde habet et specialē utilitatē, quā Christus ipse Mat. ca. 16. proponit. Cū.n. discipuli obliti essent panes secū sumere, ac timerēt ne inedia afflig erētur, increpat eos Christus, et allegat hoc miraculū, dicens: An nō intelligitis, neq; memoria tenetis quinq; illos panes,

pānes, cùm hoīes essent quinq; mille, et quot cophinos sustuleritis? His uerbis ostēdit Christus, q; hoc miraculū specialiter cōfirmet et certificet promißiōes et fœdera, q; Deus uelit oēs eos q; ambulāt in diuina et legitima uocatione nutrire, atq; satis alimentorū dare. Et hoc tāto diligētius obseruādū est, quāto magis hac in re peccatur. Quicquid n. agatur, uēter noster suū demēsum, suū cibū postulat. Instat ut creditor, et sæpius die appellat. Alij creditores nōnunq; legibus prohibētur, ne debitori exactiōe molesti sint. Hic aūt creditor, nullis uerbis, nullis minis, nullis legibus coērceri pōt, quo minus exigat suū cibū. Hinc est, q; ad parandū uictū tot modis cōtenditur, ac præcipuè p̄ iniquitates. Alius imposturis, alius peiurio, alius mēdacio studet sibi uictū parare. Nemo ferè est qui æquitate et iusticia uictū quærat. Ac si etiā cōtractus ipsi legitimi sunt, tamē illegitimè tractātur. Alius palā dicit: Me iusticia et probitate nutrire nō possum. Nihil mutuū datur probitati. Alius inq̄t: Qui iā cupit se ī hoc mundo nutrire, oportet aīam suā post ianuā ponere. Adeoq; maxima hoīm pars p̄suasa est, uictum cōmodius parari iniquitate quàm æquitate. Sed Christus edidit hoc loco miraculum de quinq; panib. & duob. piscibus, quo ueluti cœlesti sigillo longè diuersum cōprobauit, q̄ quod hoīes iactāt. Comprobauit n. q; qui uelit uictum parare, nō debeat aīam suā ponere, sed potius aīæ rōnem habere, quo cōmodius

uictū sibi acquirat. Nā quēadmodum qui in hoc seculo seruos cōducūt, paciscūtur cū seruis certo quodā præmio, et certo mō uictus, Et hoc pactū cōfirmant publicis literis et sigillis. Aut q recipiūt cōmensales in hospitale aut aliū quēdā publicū locū, promittūt certā uictus rōnem, et confirmāt hunc cōtractū literis atq; sigillis. Ita Dominus Deus noster iņt pactū cū oībus hoībus, ut hoīes sectētur legitimā suā uocationē, se aūt uelle unicuiq; sufficientē uictū largiri. Et hoc pactū cōfirmauit publicis literis & sigillis. Literæ sunt diuinæ promißiones. Audiamus ergo quasdā promißiōes, ut ad ambulandū ī diuina uocatiōe inuitemur. Deut. 8. Nō in solo pane uiuit hō, sed in omni uerbo Dei, quod egreditur de ore Dei: hoc est, homo pōt sibi parare uictū, non solū his artificijs, quibus panis uidetur oībus hoībus parabilis, sed quæuis uocatio Dei ad hoc ĩstituta est et benedicta, ut unusquisq; sufficiētē in ea uictū habeat, etiāsi ea uocatio nō uideatur apta ad parandū uictū. Exēpli gratia. Cū Deus uocaret Israelitas ī desertū, uidebatur opus minimè idoneū ad habendū uictū. Nihilominus tamē quia fuit diuina uocatio, sufficientē habuerūt uictū. Itē, si Christus iubeat oīa relinquere ne abnegemus ipsum, uocatio uidetur minimè apta ad conquirendum uictū, attamē sufficiēs uictus promittitur. Mat. 19. Qui reliquerit domos aut agros propter me, centuplū accipiet, et uitæ æternæ sortietur hæreditatē.

Est

Est et alia promissio: Primũ quærite regnũ Dei, & oĩa adĩciẽtur uobis. Hoc multi ĩterpretãtur de audienda summo mane missa. Sed hic locus de Missa nihil cõcionatur. Ac quærẽdũ quidẽ est regnũ Dei, prout generaliter ĩtelligitur, et faciẽda sũt legitima sacra: sed hoc loco regnũ Dei dicitur prædicatio Euãgelij. Loqtur. n. Christus præcipuè cũ Apostolis, quorũ uocatio erat prædicare Euãgeliũ regni Dei, et emittebat eos sine pecuĩa, sed addebat hãc promissionẽ: Primũ quærite regnũ Dei, et oĩa adĩciẽtur uobis. Quæ promissio fiet generalis, si pro regno Dei intelligamus uniuscuiusq; diuinã et legitimã uocatiõẽ. Sũt ad huc multæ promissiões ĩ scriptura sacra, sed hæ sufficiũt hoc ipe. Videamus nũc sigilla. Sigilla aũt sunt miracula, quib. Deus has suas literas cõfirmauit. Nõ recẽsebimus oĩa ĩ scriptura cõtẽta, sed tãtũ præcipua et illustriora. Ge. 32. Iacob cũ baculo proficiscitur ĩ exiliũ, et redit cũ duab. turmis. Exo. 16. Mãna mittitur de cœlo. 3. Re. 17. de muliere Sarepthana. 4. Re. 7. fugiũt Syri, et relinquũt oẽm ciborũ abundantiã. Nota in Mose, Elia & Christo. Et hoc loco de quinq; panibus & duob. piscibus, ac aliãs de septẽ panibus, quibus quatuor millia pasti sunt. Hæc sunt cœlestia sigilla earũ literarũ, quibus Deus promisit sufficientem uictum his qui ambulãt in iusticia. Quid autem indignius est quàm his literis & sigillis diffidere, ac diuersum sentire? Confidis literis censuarijs ab homi

ne datis, & nõ confidis Domino Deo tuo? Nunquàm mendax fuit Deus, & tu audes eum mendacij argue re? Deus pater familias est, nos familia sumus. Quàm inhonestum igitur, ut nos usurpemus officium patris familias, & negligamus nostrum officium: quod tunc fieri solet, si nos curemus pro uictu, & non se ctemur uocationem Dei? Quare hoc unum agamus, ut confidamus Deo, & sectemur uocationem eius. Tunc enim reliqua omnia adijcientur nobis per Christum Iesum Dominum & Saluatorẽ nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

HOMILIA SECVNDA, habita anno 1541.

QVod miraculum in hodierno Euã gelio commemoratur, iudicatum est unum è præcipuis et maximis miraculis, quæ Christus in terris edidit. Etsi. n. sanauerit leprosos, reddiderit cæcis uisum, adeoq; mortuos etiã suscita uerit, tamẽ ex his turba nondũ fuit cõmota, ut crea rent ipsum regẽ. Postquàm aũt pauit tot millia hoũm in deserto paucis panibus et piscículis, ibi tum tribu unt ei titulum Prophetæ magni seu Meßiæ, et delibe rant secum de creando ipso rege. Debemus igitur & nos hoc miraculum commendatum habere, sed di ligenter cauendum est, ne abutamur. Vulgus Israe-

litarum

litarum abusus est hoc miraculo, quia commouetur ex eo ut deliberent de creãdo Christo in regem externum, non ut sectarentur iustitiã, sed potius ut fæliciter in ocio uiuerent, et haberent qui ipsos gratis pasceret. Existimãt autem hoïes hanc uitam iucundissimã esse, in qua cibus gratis contingit, et conuiuia sine pecunia ociosis exhibentur. Sed Christus reprehendit eos grauissimè, primùm fuga: deinde cùm turba iterum conuenissent, increpatione, Et ait: Amen dico uobis, quæritis me, non quia uidistis signa, sed quia comedistis de panib. & saturati estis. Operemini non cibum qui perit, sed q̃ permanet in uitã æternam, quem filius hoïs dabit uobis. Quare ne & nos in eandem reprehensionem incurramus, diligenter cognoscendũ est, in quẽ usum Christus hoc miraculũ ediderit. Ac primum non edidit, ut significaret se ambire externã regis maiestatẽ: Fugit. n. & latitat, cùm uulgus uellet ipsum rapere & creare regẽ, Sed edidit ut Euãgelij sui confirmaret ueritatem, et excitaret nos ad fidem, qua consequeremur in ipso iustitiã ac perpetuam salutem. Concionabatur de se ipso, dicẽs: Ego sum pànis uitæ. Qui uenit ad me, nõ esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquàm. Et iterum: Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Qui edit meam carnem, & bibit sanguinem meũ, in me manet, & ego in illo. Hæc est doctrina Christi, hoc est Euangelium Christi. Edidit igi

tur miraculũ illud, ut hanc doctrinã ueluti sigillo cœlesti cõfirmaret, et operaretur in nobis eam fidem, qua consequeremur in ipso ppetuam iusticiam et salutẽ. Deinde non edidit hoc miraculũ, ut significaret se helluonibus et ociosis uẽtribus cũcta bona in ocio suppeditaturũ, sed edidit ut excitaret in pijs eam fidẽ, qua consequerentur panẽ quotidianum, & retineretur in sectanda uocatione Dei. Nam panis quotidianus seu uictus uidetur multo commodius parari posse per impietatẽ, per nugas & imposturas, q̃ per pietatem & iustum laborem atq; legitimam negociationem. Vt.n. Satan detineat impostores in iniquitate, omnem mouet lapidem, ut habeant fœlices suarum nugarum progressus, de quibus Psal. 143. loquitur: Promptuaria eorum plena eructãtia ex hoc in illud, Oues eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neq; trãsitus, neq; clamor in plateis eorum. Sed Christus docet, ut unusquisq; sectetur pietatem, & ait: Primùm quærite Regnum Dei et iusticiam eius, tunc omnia adijcientur uobis. Promittit enim abundantem uictum in uocatione Dei. Et quo excitaremur ad fidem ac detimeremur in Dei uocatione, addit hoc miraculum, quod in quinq; millibus hominum edidit, ut tanquàm sigillo confirmaret, se non derelicturum ambulantes in uocatione Dei. Non dißimile miraculum extat Matthæi 15. de septem panibus

nibus & paucis piscibus, quo pasti sunt quatuor mille uiri. Sed & similia miracula extant in ueteri Testamento, ut 4. Reg. 4. Elisæus pascit multam turbã uirorum uiginti panibus hordeaceis, ut etiam supersit. Tertio Regum 17. Elias efficit ut tempore famis hydria uiduæ Sarepthanæ non deficiat. Eliæ coruus affert panem & carnes. Item angelus proponit ei subcinericium panem. Exodi decimosexto mittitur Manna Israelitis de cœlo. Hæc omnia eò facta sunt, ut pij discant, quòd Deus sit ipsos seruaturus in uocatione Dei ambulantes. Non expectandum quidem est, ut ociosis inuolet in os, quod dici solet, colũba assata. Nam ab initio hoc iudicium propter peccatum latum est, q̃ uiri necesse habeant panem suum edere in sudore. Et quemadmodum nulla prægnantium mulierum etiã heroinarum excepta est ex hac maledictione: In dolore paries liberos tuos, ita nullus uirorum etiam Monarcharum exceptus est ex hac generali afflictiõe: In sudore uultus tui uescaris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, Puluis es, & in puluerem reuerteris. Non omnes quidẽ parant uictum manuum labore, nihilominus tamen accidunt his qui non laborãt manibus, alia incommoda, alij sudores, præ quibus non possunt pane suo uesci perfecta fælicitate huius seculi. Quare non est expectãdum, quòd omnia sint in hoc seculo fælicia in uictu. Sed monemur his miraculis,

ut reiciamus omnem curam in Deum, & confirmemus fidem nostram, atq; hoc solum curemus, ut obsequamur uocatiõi Dei. Cætera. n. oĩa Deo curæ erũt, qui etsi non daturus est nobis in hoc seculo oĩa externa cõmoda, tamen non deseret nos, sed conseruabit nos etiã in media fame & morte, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula, Amen.

DOMINICA IVDICA,

Euangelium Ioannis 8.

QVIS ex uobis arguit me de peccato? Si ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Qui ex Deo est, uerba Dei audit, Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmoniũ non habeo, sed honorifico Patrem meum, & uos inhonorastis me. Ego aũt non quæro



ro gloriam meam, Est qui quęrat, & iudicet. Amē amen dico uobis, si quis sermonē meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nunc cognouimus quòd dæmonium habes. Abraham mortuus est & Prophetæ, & tu dicis, si quis sermonē meū seruauerit, non gustabit mor

tem inæternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt? Quem teipsum facis?

Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est Pater meus qui glorificat me, quē uos dicitis, quia Deus uester est, et non cognouistis eū. Ego aūt noui eum: et si dixero q̄ non scio eum, ero similis uobis mendax, sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater uester exultauit, ut uideret diē meum, et uidit, et gauisus est. Dixerūt ergo Iudei ad eum: Quīquaginta annos nōdū habes, et Abrahā uidisti? Dixit eis Iesus: Amē amen dico uobis, antequam Abrahā foret, ego sum. Tulerunt ergo lapides ut iacerēt in eū. Iesus autē abscōdit se, & exiuit de tēplo.

Homilia

HOMILIA PRIMA, HABITA ANNO 1538.

IN hoc Euangelio describitur tam uehemẽs & acris contentio inter Christum & Phariſæos, ut uix aliquid ſimile in tota ſcriptura reperias. Hi enim animis in tantum aduerſus ſe inuicem irritantur, ut Phariſæi uocent Chriſtum glorioſum Thraſonem, Samaritanum, dæmoniacum, inſanum, adeoq; lapides tollant, quibus eum obruant. Viciſſim autem Chriſtus nec ipſis parcit, ſed uocat eos mendaces, homicidas, & filios Satanæ. Vos ex patre (inquit) diabolo eſtis, & deſideriis patris ueſtri uultis obſequi. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non ſtetit, quia non eſt ueritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, qui mendax eſt, & eius rei pater. Exoritur autem contentio iſta hac occaſione, q; Chriſtus de ſeipſo publicè concionatus fuerat, dicẽs: Ego ſum Lux mundi, qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen uitæ. Primùm igitur uideamus quid nobis de his contumelioſis dictis & factis ſentiendũ ſit. Ac in Phariſæis non eſt mirum, q; tam acerbè & tam contumelioſè in Chriſtum inuehantur: qui autem factum eſt, quòd etiã ipſe Chriſtus in tam contumelioſas, ut apparet, uoces erumpat? An non ſcriptum eſt de ipſo: Cùm malediceretur, nõ re

geſsit maledictum. Et legem explicuit: Bene preceml ni deuouentibus uos? Sed in hoc negocio primum o= mnium perſona Chriſti cõſpicienda eſt. Deinde aũt factum eius cõſiderandum. Nam lex quidem mãdat generaliter, ne quis alteri maledicat, ſed interim ſpecialiter mãdat etiã certis perſonis ut peccata ar guant & reprehendant, ut quod in homine priuato eſſet conuicium, hoc in ſpecialiter deputato eſt offi= cium. Sic & lex iubet non occidere, licet tamen legi timo magiſtratui ſontes occidere. Chriſtus autem in hoc à Deo Patre uocatus & ordinatus erat, ut Euã gelium prædicaret, et oſtenſione peccatorum ac ſce lerum homines in agnitionem peccatorum ducti, ad fidem cõuerterentur. Quare dicta eius non ſunt con tumelia, ſed obedientia uocationis. In Phariſæis aũt alia ratio erat. Hi enim etſi habebãt & ipſi publicã functionem peccatores arguẽdi, & licebat in pecca ta acriter inuehi, tamen nõ licebat illic peccatũ con ſtituere, ubi nullum erat peccatũ, nec licebat inſon= tem damnare iniuſticiæ. Quòd enim Chriſtus uocat ipſos mẽdaces, homicidas, et filios Satanæ, hoc idem firmiſsimis argumentis probat. Quòd autem ipſi uo cant eum Samaritanum, Satanicum, & iudicant di= gnum qui lapidibus obruatur, nõ poſſunt probare. Non ſufficit autem homini maledicere, & contume lioſa dicta in eum congerere, niſi etiam probaueris rem ita ſe habere. Nã ſi accuſare et maledicere ſuffi

cere,

ceret, quis, obsecro, in toto orbe terrarũ etiã inter sanctissimos, innocẽs reperiretur? Ioseph accusatur adulter: Si accusare sufficeret, habebimus Iosephum pro adultero. Dauid cũ expelleretur à Saule, audit seditiosus, et postea audit, uir sanguinum & Belial, Si maledicere sufficit, certè uicit iam Simei, qui hæc conuicia in Dauidẽ proïciebat. Daniel accusatur cõtemptor Regiæ maiestatis, & proïcitur in lacũ leonum, Si satis est accusasse, quis nocẽtior erit Danielẽ? Sed quid hæc cõmemoro? Habemus Christum, qui peccatum nõ fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius, & tamen audit nunc Samarita, dæmoniacus, & postea seditiosus ac blasphemus in Deũ. Si accusare sufficit, innocẽtissimus erit nocẽtissimus. Quid aũt hoc esset iniquius? Quare ut nemo priuatus hæc cõtumeliosa, ut uidẽtur, dicta imitari debet, ita nõ adhibeamus continuò fidem dictis cõtumeliosis, Sed rectè de unoquouis iudicemus, & quãtum in nobis est, de unoquouis quãuis contumeliosè tractato bene sentiamus. Deinde obseruanda est doctrina seu concio, super qua exoritur tanta contentio. Christus enim docuit de seipso: Ego sum Lux mũdi &c. Item, Qui sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem inæternum. Hoc negant Pharisæi, & dicunt impossibile esse, cũ sit homo abiectus, et Prophetæ mortui sint, &c. Christus autem probat, ac dicit: Quis uestrũ arguit me de peccato? uidelicet, mẽdacij. Nemo potest

me mẽdacij arguere. Nã ego nõ nudè hoc cõcionor, sed habeo testimoniũ Patris mei. Testimonia aũt Patris sunt miracula, quæ Deus operatus est p Christũ. Nã si dixero me remittere pcta, testificor illud sanatiõe paralytici. Si dixero me esse lucem mũdi, testificor restitutione uisus in cæco. Si dixero: Qui uerbũ meum audit, non uidebit mortẽ. Hoc uerbũ est: Ego sum Lux mũdi. Qui sequitur me, qui credit in me, non ambulat in tenebris. Tenebræ sunt primum peccata, deinde miseriæ humanæ, adhæc mors corporalis, postremò dolores inferni. Ergo q credit in Christum, habet lucẽ per has tenebras, per peccata, per miserias, per mortem, et per infernum. Ad extremũ est & hoc loco obseruandũ quod Christus dicit: Abraham uidisse diem suum etc. Et postea: Antequàm Abrahã fieret ego sum. Sunt. n. q existimant unumquẽuis, si honestè uiuat, in sua Religione seruandũ. Hi putãt Patriarchas in sua fide, nos in nostra, Turcas in sua, Similiter et Iudæos q nunc sunt, in sua Religiõe iustificari et seruari. Sunt itẽ q existimãt, Religionẽ sitã esse in externis ordinationibus Ecclesiarum. Ac putãt, quia noua nunc Religio prædicetur, post etiã nouã prædicandã. Sed Christus hîc pspicuè docet unã tantum esse Religionẽ & fidẽ, qua & Patriarchæ & nos iustificamur & seruamur. Hæc aũt est Religio de Christo, et fides in Christum. Sic Adã, sic Abrahã, sic Prophetæ, sic nos, sic posteri iustificantur

cantur & seruantur. Tãetsi.n. Abraham & Prophetæ alia habuerũt sacramẽta, quàm nos, eadẽ tamẽ fides fuit, cui sacramẽta seruiũt. Quare dãda est opa, ut diligẽter hãc fidẽ discamus, nec expectemus nouã sed tãtũ ueterẽ illã cõseruemus, quã oẽs pij ab initio orbis terrarũ sectati sunt, quæ est fides in Iesũ Christum unigenitũ filiũ Dei, cui gloria in secula, Amen.

HOMILIA SECVNDA, HAbita anno 1540.

DVO sunt quæ in cogitationibus nostris magno nos timore afficiunt. Alterũ q, ad mẽtionem mortis exhorrescamus & pallescamus. Alterum q, ad mentionẽ Religionis nostræ formidamus, ne uana et mẽdacia sint, quæ nobis de Religione nostra proponuntur, ac iudicamus Religionẽ nostram esse recẽs ab hominibus inuentum. Hodiernũ igitur Euangeliũ his affectibus ita medetur, ut præparet nos ad suscipiẽdam mortem alacriter, & certificet nos de Religiõe nostra firmissimè. Ac primùm de ratiõe mortis. Acris cõtentio exorie batur inter Iudæos et Christum de doctrina Christi, ita ut Christus uocaret Iudæos filios Diaboli, & uicissim uocârunt ipsi Christum Samaritanũ & dæmonio obsessum. Itaq; Christus hoc agit, ut doctrinã suam approbet & confirmet. Quis uestrum (inquiẽs) arguit me de peccato? hoc est, Audio quidem multa

conuicia et uarias blasphemias, quibus me afficitis, sed non poteſtis me aliquo ſaltē probabili argumento arguere peccati, hoc eſt, mendacij. Ego nullū unquam mendacium cōcionatus ſum, ſed ueritatem loquor, & Pater meus cœleſtis confirmat eam per miracula. Atq; hæc ueritas, quā loquor, tā efficax eſt, ut ſi quis ſeruauerit eam, mortē non uidebit inæternum. Amen amen (inquiēs) qui ſermonem meum ſeruauerit, mortem nō uidebit inæternum. Hoc eſt memorabile dictum, & danda eſt opera ut probè intelligamus, quia affert nobis certiſſimam conſolationē in tentatione mortis. Principio igitur uidendum eſt quis ſit ſermo Chriſti, quæ ſit ueritas eius, quam docuit, & quam affirmat nos ſeruare, ne moriamur. Chriſtus docuit aliquoties decalogū, aliquoties Euangelium de remiſſiōe peccatorū & placatione Patris. Nunc aūt non fit mentio decalogi, quia hæc eſt propriè doctrina Moſi, quam etiā Prophetæ in populo Iſrael urſerunt. Ac uerum quidem eſt, q; ſi quis Decalogum ſeruaret ea integritate & perfectione, qua à Deo exigitur, is etiam non moreretur: ſed nullus hominum unquàm inuētus eſt, qui hunc perfectè ſeruârit. Quare nunc non fit mentio Decalogi, Sed Chriſtus loquitur de ſeruatione Euāgelij ſui, quo cōcionatus eſt, q; Pater propter ipſum placatus ſit, & remittat peccata, atq; adoptet credentes in filios et hæredes regni cœleſtis. De hoc Euāgelio dicit: Qui

ſeruauerit,

seruauerit, seu qui crediderit, sermonem meum, nõ morietur in æternũ. Sed quomodo hoc de morte intelligendum erit? Idem certè nobis accidit, quod Iudæis, qui quærunt: An non & Abrahã mortuus est? Ita & nos dubitamus: An non quotidie uidemus homines mori, etiã eos qui in Christũ credunt? quomodo igitur uerum est quod Christus ait: Qui sermonẽ meum seruauerit, mortem non uidebit inæternum? Hoc explicuit Christus in ea disputatione quam habuit cum Sadducæis de resurrectione mortuorũ. Abraham.n. non est mortuus. Videtur quidem in oculis mundi mortuus esse, sed reuera non est mortuus, quia scriptura dicit: Ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob, Deus aũt non est Deus mortuorum, sed uiuorum. Multa aũt aliter apparent q̃ reuera sint. Cælum apparet nobis blauum, & tamen caret omni colore, sed est tantũ lucidum aut transparẽs. Nocte serena uidentur stellæ de cælo cadere, Sed nulla stella decidit, quia sunt fixæ. Si proiiciatur numus in profundum aquæ puræ, longe maior apparet q̃ reipsa est. Sic homines efflantes animã uidentur nobis mori, & interire, Non aũt moriuntur, sed si crediderint Euangelio Christi, si incorporati fuerint Christo, requiescũt in Domino. Et hoc manifestissimè probabitur in nouissimo die, quando ad uocẽ Archangeli omnes homines resurgẽt. Sic Ioan. 6. Hæc est uoluntas eius, qui misit me, ut omnis qui uidet filiũ, & cre

dit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Quare cum futura sit resurrectio piorum ad uitam æternam, Christus rectè ait: Qui seruauerit sermonẽ meũ, non morietur in æternũ. Deinde cognoscẽda est religiõis nostræ antiqtas. Nã cũ Iudæi obijciũt Abrahamũ, significat Christus Abrahamum adhuc uiuere, et habere uitam ex ipso Christo. Abrahã (inqt) exultauit ut uideret diẽ meũ, et uidit, et gauisus est. Duo docet Christus. Alterum est q, Abrahã crediderit ĩ Christũ, et fuerit Christianus. Ergo religio nostra nõ est recẽs excogitata, sed est religio Patriarcharũ, hoc est, certissima oĩm religio. Alterũ q, Abraham nõ sit mortuus, sed adhuc uiuit. Vidit (inqt) et gauisus est. Et addit: Anteq̃ Abrahã fieret, ego sum. Christus. n. uerus Deus est ab æterno. Et sola religio ĩ Christũ uera est, qua ppetuò cõstamus. Postremò et hoc obseruandũ, q, Iudæi tollãt lapides, ut obruãt Christũ lapidibus. Sed ipse abscondit se. Hîc uide ingratitudinem Iudæorũ. Pro summo beneficio rependũt summã ingratitudinem. Hi sunt mores huius seculi, sed detestãdi. Vetus dictũ est: Cõuicia oĩa dixeris, cũ ingratũ hoĩem dixeris. Quare dãda est opa, ut Deo gratũ simus pro beneficijs suis, & quanquàm mũdus non rependat nobis beneficia pro meritis, tamẽ uera gratia reposita est apud Dominum nostrum Iesum Christum, qui est unà cũ Patre & spũ sancto Deus benedictus in secula, Amen.

DOMINI-

DOMINICA PALMARVM,

Euangelium Matthæi 21.

Requiresuprà in Dominica Aduentus.



IN historia huius Euangelij uidetur nobis proponi res uehementer stulta & ridicula, ac talis propemodum, quales uidentur esse ludi pueriles. Christus enim sedet super Asinum, pergens in Hierusalem. Et alij quidem, turba incondita & promiscua, proijciunt ramos de arboribus, alij sternunt uestimenta sua in uia, alij præcedentes & sequentes, clamant: Osanna, & præcipuè pueri uociferabantur Osanna. Hoc quid aliud appareret, quàm ridiculus ludus puerorũ? Sed si rem ipsam probè expenderimus, inueniemus nobis hîc proponi res maximè oĩm cœlestes, & Christũ nos hoc loco docere, quod est ad salutẽ cognitu maximè necessarium. Vetus. n. Christi cõsuetudo est, ut per stulticiã operetur maximã sapientiã. Quare historia huius Euangelij sit nobis præcipuè commendata, ut ex ea quæ ad salutẽ nostram pertinent, ediscamus. Ac primũ in hac historia manifestè declaratur, Iesum esse uerum Christum seu Messiã, omniscium & omnipotentem Regẽ, uidelicet, cui omnia in cœlo & in terra obediunt. Nam q̃ appropinquãs Hierosolymam,

prædicit discipulis inuĕturos ipsos asinŭ adeoq; pullum asinæ in proximo uico, apertè demõstrat remota ab oculis hominum sibi manifesta esse, quod certè sine diuino spiritu uerè fieri non potuisset. Sic Ioan. 1. uidit Nathanaelem sub ficu, priusquàm Philippus eum uocaret. Sic Ioan. 4. indicat mulieri Samaritanæ, quæ occulta peccata designasset. Sic Ioan. 11. adnunciat mortẽ Lazari longè absens. Sic nouit occultam Iudæ proditionem. Hæc etsi uidentur per se puSilla admodum, tamen si conferantur cum alijs miraculis, indicant Christum esse filium Dei omnia scientem. Sed quid prodest mihi hæc scire? multum per omnem modŭ. Nam si rectè cognouero Christum esse omniscium, partim deterrebor à perpetrandis peccatis. Christus. n. uidet, & est Iudex. Vereor autem in conspectu multorum hominum & interdiu scelus peragere, quãto magis formidandus mihi est conspectus Christi? Partim confirmabor in patiẽtia in afflictione. Si. n. affligor, non despero, ut existimem me esse à Christo derelictum, sed sentio Christŭ in afflictionib. mihi præsentẽ esse et uelle adiuuare. Quòd autem mittit discipulos ad adducendum asinum, & quanq; alienorum dominorum erat asinus, tamẽ simplici uerbo impetrãt, ut usum eius concedant, manifestam eius potentiã declarat. Nec mirum dominos asini tã uoluntarios dimisisse iumentŭ suum ad mandatum Christi, cùm Apostoli postea in nomine Christi

sti coegerint dæmones & febres aliaq; morborũ genera dimittere homines. Hæc potẽtia diligenter est in Christo cognoscenda, ut habentes uerbũ eius, sentiamus nos id impetraturos, quod uerbum eius pollicetur. Sunt.n. qui cum accipiant mandata à Deo, recusant, q; timeant ne præ aduersariorũ potentia nõ possint Deo obedire, sed hoc loco monentur ut obediãt. Sic Mose iussus educere populũ Israel de Aegypto, timuit illuc proficisci propter potentiam Regis Aegypti. Sed Dominus iubet eum proficisci, et addit promissionem, Ego tecum ero. Et cùm obediret Moses, asinus, hoc est, populus Israel, dimissus est. Sic Apostoli cùm mitterentur in orbem terrarũ ad adducendos asinos, hoc est, Gentes ad Christũ, timuerunt potentiam mũdi, sed audiunt: Nolite timere eos qui occidunt corpus. Ego dabo uobis os & sapientiam. Quibus exẽplis admonemur, ut unusquisq; quod in mãdatis à Deo accepit diligẽter faciat, nulla aduersitate deterritus, certissima spe cõcepta, q; qui iussit, idem efficiet etiam ut nulla aduersa prævalere queant. Sed q; turba sternit ramos & uestimenta, & q; non solum maiores natu, uerumetiam pueri acclamẽt: Osanna, Benedictus qui uenit in nomine Domini, publicè indicat maiestatẽ Christi, uidelicet, q; ipse sit filius Dauid per Prophetas promissus, et q; oẽs creaturæ ei obedire debeant. Vestimenta.n. adumbrãt homines, Rami alias creaturas. Subijciũtur igi-

tur uestimenta et rami pedibus Christi, ut ostẽdatur dominiũ oĩm creaturarũ ad Christũ pertinere. Ergo si uolumus diẽ Palmarum rectè celebrare, nõ est necesse, externas palmas & ramos proĳcere, quod est ludi puerilis, sed utamur oĩbus reb. nostris ex fide, et obsequamur uocationi Dei. Hoc. n. uerè est sternere ramos palmarum et uestimẽta. Huc accedit, quod postea seq̃tur, eiectio uendentiũ et ementiũ è tẽplo. Itaq; declarata est in hac historia oĩscientia Christi, oĩpotentia et maiestas eius diuina. Deinde obseruandũ erit in hac historia, quæ sit rõ regni et maiestatis Christi in hoc seculo. Tãetsi. n. Christus sit magnus et illustris Dominus cœli et terræ, tamen maiestas eius nõ cõstat maiestate huius seculi, & Regnũ eius non est de hoc mũdo. Et hoc est quod Christus etiã declarare uoluit ĩ isto Hierosolymitano ingressu. Vide. n. q̃ humiliter, q̃ abiectè oĩa fiant. Eq̃tat sup Asino, non uehitur in curru equestri. Insidet uestimẽtis, fortasse laceris, nõ insidet ephippio deaurato. Habet comitatum turbã uulgi, non principum: pueri acclamãt, nõ Põtifices, nõ Pharisæi. Nullus ergo hic cõspicuus seu apparatus, seu comitatus. Sed illud significare uoluit, Regnũ suum nõ esse de hoc mũdo. Vnde Zach. ca. 9. pspicuè illud uaticinatur, cùm ex antitheti opponit equitatum Christi, et equitatũ Ephraim ac Hierusalẽ. Quãquàm aũt hoc uideatur tritũ et uulgare, tamẽ multũ refert ut hoc sciatur, propterea q; Christus

stus tot modis tã diligenter docuit et inculcauit, Regnum suũ nõ esse de hoc mundo. Ioannẽ crudelissimè pmisit occidi, idq; occultè, tantũ ut cognoscatur Regnum suum non esse de hoc seculo. Apostolos pmisit pſecutionẽ pati. Sæpe discipulos suos ad pueros reuocauit, Et seipsum tradidit paſsiõi, ut manifestè sciãtur Regnũ eius nõ esse de hoc mundo, uidelicet, ut discamus, nõ quærendã esse fœlicitatẽ nostrã in hoc seculo, et ut nõ polliceamur nobis statim in afflictionibus externum auxiliũ, sed expectemus diuinũ seu cœleste, siue id sit sensibile, siue insensibile. Postremò uoluit etiã Christus hoc spectaculo ob oculos ponere, quàm mirabilis sit gloria huius seculi. Nam q̃ nunc substernũt ueſtimẽta sua, & acclamãt: Benedictus q̃ uenit in noĩe Domini, hi paulò post clamant: Tolle, tolle, crucifige eum. Quid ergo faciendum? nũ abijciemus humanam gloriam, & uiuemus ignominioſe? Nequaquam, sed cõparemus nos ad exẽplum Christi & Pauli. Christus enim in honore non ita superbiuit, ut desereret uocationem Dei. In afflictionibus non ita deiecit animum ut desperaret. Paulus dicit Philip. cap. 4. Noui humilis esse, noui & excellere, ubiq; & in omnibus institutus sum. Saturari & esurire, Abundare & penuriã pati, omnia possum per Christum q̃ me corroborat. Ex hoc igitur Euangelio discamus, Primùm omniscientiã, omnipotentiam & maiestatem Christi. Deinde q̃ hæc maiestas

non sit de hoc mũdo, ne nobis in hoc seculo aliquam stabilem fœlicitatem polliceamur. Postremò discendum esse pio, tam gloriam quàm ignominiam in mũdo ferre, & in omnibus Deo obedire per Christum, qui est benedictus in secula, Amen.

FERIA QVINTA POST PALMArum, de Cœna Domini Homiliæ tres, ex Epistola 1. Corinthiorum 11.

EGo enim accepi à Domino quod & tradidi uobis: quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: Accipite, manducate, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangit. Hoc facite in mei commemorationẽ. Similiter & calicem postq̃ cœnauit, dicẽs: Hic calix nouum Testamẽtum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque biberitis in mei commemorationem.

Quotiescunq; enim manducabitis



tis panem hũc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec uenerit. Itaq; quicũq; manducauerit panem hunc, & biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit

indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Ideo inter uos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi: Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utiq; dijudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

HOMILIA PRIMA, DE *substantia Cœnæ, quid sit.*

QVM *adhuc pro ueteri more plures hisce diebus Eucharistia utãtur, quàm alio anni tẽpore, atq; res ipsa maximè postulet, ut certo die etiam de Cœna Domini dicatur, instituam nunc cõcionem de uenerabili Sacramento Cœnæ dominicæ, ut discamus quantum thesaurum Christus in Cœna sua Ecclesiæ donauerit, ut dignè eam Cœnam sumamus. Ac primùm non dicemus nunc de ea quæstione, num Sacramentum sit sumendum sub una specie, ut loquũtur, sed dicemus, Quid sit Cœna dominica, deinde in*

quem

quem usum sit à Christo instituta, & quam utilitatem nobis afferat. Hæc si diligenter cognouerimus, uidebimus quàm immensa sit clementia Christi erga homines, & confirmabimus fidem nostram in omnibus aduersis, & conseruabimur in obedientia Dei usq; ad sempiternam fœlicitatem. Principio igitur, ut explicemus quid sit Sacramentum Cœnæ dominicæ, considerabimus uerba, quibus Euangelistæ & Paulus Cœnã Christi describunt. Accepit (inquiunt) panem, accepit & poculum, distribuit discipulis, et dixit: Hoc est corpus meũ quod pro uobis traditur. Hic est sanguis, qui pro uobis & pro multis effundi tur. Ex his uerbis cognoscimus, q, Sacramentũ Cœnæ dominicæ sit panis & uinũ uerbo Christi in corpus & sanguinem ipsius ordinatum & cõsecratum. Hic enim panis, non solum est panis, ut uulgaris, sed etiã est uerum corpus Christi: & uinũ non tantum uinũ est, sed etiam est uerus sanguis Christi. Nam qui hæc uerba, uidelicet, hoc est corpus meũ, hic est sanguis meus, dixit, nõ est simplex & abiectus homo, sed est Dominus noster Iesus Christus. Christus aũt non potest esse mendax. Quod è carne est, caro est. Quod aũt è spiritu est, spiritus & ueritas est. Et de Christo scriptum est: Peccatum nõ fecit, nec est dolus in ore eius. Et aliâs dicit: Qui misit me, uerax est, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Quod ergo Christus in Cœna dixit, nõ est uerbum mendacis ho

minis, sed ueracis Dei. Deinde Christus qui hoc dixit, tam potens est, ut queat id etiam efficere, quod dixit: Est enim Filius Dei omnipotentis, eiusdem maiestatis cum Deo Patre. Est ipsum uerbum Dei, per quod omnia creata sunt. Ge. 1. Dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux. Et Paulus. Vocat ea quæ non sunt, ut sint. Proinde cùm is qui hæc uerba dicit: Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, uerax & potens sit, certissimè consequitur, q̃ panis uerè sit corpus Christi, & uinum uerè sit sanguis eius. Sic & Paulus 1. Corinth. 10. ait: Panis quem frangimus, nonne communicatio, id est, distributio corporis Christi est? Poculum benedictionis cui benedicimus, nõne communicatio, id est, distributio sanguinis Christi est? Et postea: Qui edit aut bibit indignè, iudicium sibi edit et bibit, nõ dijudicãs corpus Domini. Sed cùm hæc docẽtur, alia alijs in mentem uenire solẽt. Dices enim: Credo quidem Christũ ut omnipotentẽ posse efficere, ut panis sit corpus suũ, sed num id quod potest, etiam efficit? potest facere ut securis in modũ Galli glocitet, num ergo securis glocitat? Potest efficere, ut lapis sit panis, num ergo lapis panis est? Respondeo. Scio quidem Deum non omnia efficere quæ potest, sed certum est q̃ ea efficiat, quæ dicit et recipit se effecturum. Iam dicit panem esse corpus suũ, non aũt dicit, Securim glocitare. Quare hoc non efficit, illud autem efficit. Sed iterum incidit in mẽtem tale quidpiam:

quidpiam: Etsi Christus illud efficiat, tamen homo minister Cœnæ nõ potest efficere. Sicut Deus dixit: fiat Lux, & facta est, attamen si homo eadem uerba pronunciet, non propterea fit lux. Recte tu quidem sentis, hominem hoc non posse uirtute sua, potest tamen mandato & uerbo Dei. Non dixit ad hominem ut creet lucem, Ergo non potest creare lucem. Dixit autem & mandauit ministris Ecclesiæ, ut peragant Cœnam dominicam, & iussit facere quod ipse fecit. Ait enim: Hoc facite in mei memoriã. Et Paulus: Ego accepi à Domino quod & tradidi uobis. Quare q̃ in Cœna sit corpus Christi, non fit uirtute hominis, sed uirtute uerbi seu institutionis & ordinationis Christi. Quid autem dicemus de articulo Ascẽsionis Christi in cœlũ? Nonne Christus ascendit corpore suo in cœlum, & sedet ad dexteram Dei Patris, quomodo igitur potest corpus eius in Cœna esse & distribui? Recte. Sed corpus esse in cœna & esse in cœlo non sunt contraria. Nam Christum ascendisse in cœlum, & sedisse ad dextram Dei, non significat Christum in uno loco cœli affixum esse ita corporaliter, quemadmodum homo in sella sedet, Sed est Christũ accepisse Regnum cœleste et omnipotentiam ac maiestatem Dei Patris. Dextera enim Dei significat omnipotentiam & maiestatem Dei, quemadmodum scriptura testatur. Manifestum autem est, q̃ omnipotentia Dei & maiestas eius non sint tantum in uno loco, sed omnia

loca occupent et impleant. Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorũ. Cœlum & terrã ego impleo. Cùm ergo Christus hanc maiestatẽ Dei, quod ad humanitatẽ eius attinet, etiã sibi usurpauit ascensu in cœlum, consequitur, quòd ita ascenderit in cœlum, ut nunc cœlũ & terram impleat. Sic & Paulus ad Ephes. 4. interpretatur ascensum in cœlos, dicẽs: Descendit ad infimas partes terræ, et ascendit super omnes cœlos, ut omnia impleret, uidelicet, omnia supera & infera. Et Christus est homo et Deus in unitate personæ. Vbi ergo Deus est, ibi oportet et hoiem esse, ne persona separetur. Hoc etsi mirabile est in oculis nostris, tamẽ si scripturã fide percipiamus, nõ est absurdum. Nam sicut tempus est in oculis Dei, ita & locus. De tempore scribitur in Psal. 89. & 2. Pet. 3. Mille anni ut dies unus, & unus dies ut mille anni apud Dominũ. Sic et mille loca ut unus locus, & unus locus ut mille loca in conspectu Dei. Ergo etiãsi dicatur corpus Christi esse in cœlo & in Cœna, nõ tamẽ est in diuersis locis. Accedit huc q, et Cœna sit res cœlestis, non terrena. Quare quanto magis Christus est in cœlo, & supra omnes cœlos, tanto magis etiam est in Cœna, ubi & cœlũ esse oportet. Nec hoc ualde mirum, q, corpus Christi simul sit in cœlo & in terra, quando naturaliter multis creaturis idem accidat, q, in uno tantum loco sint, in pluribus tamen reperiantur. Sume saltem exemplũ à uoce humana, quæ una

est

est apud loquẽtem, eadẽ tamen uox est in aure multorum audientium. Ergo etiamsi corpus Christi esset tantum in uno loco cœli, quod tamen quale sit, suprà ostendimus, posset tamen inuenire Deus aliquam rationem, qua simul esset etiã in cœna Domini. Postremo etsi uideatur contra naturã corporis q̃ sit in pane Cœnæ dominicæ, tamẽ multa alia accidunt corpori Christi contra naturam. Nam contra naturã corporis humani est, q̃ ambulet super aquam, q̃ resurgat è mortuis, q̃ ascẽdat in cœlum, q̃ sit inuisibile & intangibile, attamen hæc omnia cõtigerunt in corpore Christi. Et multæ sunt naturæ in alijs creaturis, quarum modum, ut sic dicam, inexistẽdi ignoramus, sed insunt per uerbum Dei. Exempli gratia. In minimo grano pomi latet ingẽs arbor. Non uidemus arborem in grano, sed scimus tantũ experientia, q̃ ex eo grano maxima arbor crescit. Ergo prius fuit in grano. Quomodo? Nescimus, nisi q̃ scimus uerbum Dei: Germinet terra lignum pomiferum. Sic in Adam oẽs peccauimus. Ergo fuimus in Adã cum nondũ existeret uel unum ex ossibus nostris. Nescimus quidẽ modum, sed uerbum Dei dicit: Crescite & multiplicamini. Sic & inuenit Deus modũ, quo corpus Christi sit in Cœna, tantum nos credamus uerbis eius. Habetis quid sit Cœna Domini. Nunc audiamus usum & utilitatem eius. Allegatur quidem uox ista apud Ioannẽ: Caro nihil prodest, sed Christus non loquitur de car-

ne sua in ea sententia. Et uerũ est, totum Christum nihil prodesse incredulis. Sicut autem prodest credentibus, ita etiam corpus & sanguis eius plurimũ prosunt. Quantum aũt prosit Cœna, explicat ipse in institutione. Vocat enim hanc cœnam Testamentũ suum. Hoc poculum (inquiens) nouum Testamentũ est in meo sanguine. Nam quẽadmodum homines morituri, condunt testamenta sua, & donant hæredibus & amicis hæreditatẽ & legata: ita & Christus condidit ante mortem Testamẽtum suum in cœna nouissima. Quid autem legauit amicis & hæredibus suis? Non legauit eis terrena bona, neq; enim ea extrinsecus possedit. Fuit tam pauper, ut non haberet quo reclinaret caput. Nec satisfeciſſet saluti nostræ, etiamsi legasset nobis terrena bona, ut sanitatem corporis, diuitias, honorem, principatũ, quia hæc omnia sua habent incommoda, Sed legauit nobis quod habuit, & quod nobis adueram fœlicitatem sufficit. Legauit autem non tantum panem & uinum, sed in illis corpus & sanguinẽ suum. Et in corpore est uita, quia dedit corpus pro uita mundi. In sanguine est remissio peccatorum, quia effusus est pro peccatis nostris. Habentes autem remissionem peccatorũ & uitam æternã, habemus omnem fœlicitatem. Porrò in factione testamentorum res non agitur tantum uerbis, sed etiã literis & sigillis. Sic & Christus in factione sui testamenti appendit uerbis sigillum insculptum corpore

& sanguine

& sanguine suo. Quare quam utilitatẽ afferunt nobis literæ sigillatæ testamentorum, aut censuum prosuaratione, eam utilitatem affert nobis Cœna dominica. Literæ autem signatæ in hoc utiles sunt, ut certificent de bonis in ipsis contentis. Sic & conscientia certificatur, si tentata fuerit de bonis cœlestibus. Tẽtatur autẽ præcipuè de ira Dei, de peccatis nostris. Nam qui infirmitate, aut paupertate, aut morte obruitur, tentatur in conscientia se non habere Deum propicium. Huic aũt tentationi medetur perceptio Cœnæ dominicæ. Atq; hinc est quòd ueteres sumpserunt cœnam Domini, uel quando amiserunt caros amicos, unde ortæ sunt Missæ pro defunctis: sed quod illi piè fecerunt, hi sacrificuli imitati sunt impiè & superstitiosè: Vel quando acceperunt incommoda tempestatis, unde ortæ sunt Missæ per aëris tempestate: Vel quando tentati fuerũt de morte. Atq; hæc quidem fecerunt piè, ut consolationem haberent cõscientiæ, posteri imitati sunt superstitiosè & impiè. Quare hoc agendum est, ut in omnibus afflictionibus, in quibus tentamur de peccatis nostris & ira Dei, sumamus Cœnam Dominicam, ut per ipsam in fide confirmati perpetuam uitam consequamur in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus laudandus in secula seculorum,

AMEN.

HOMILIA SECVNDA, DE usu Cœnæ Dominicæ.



TSI nuper, quantum in præsentia satis uidebatur, disserui de Cœna dominica, quid sit, & in quē usum sit instituta, tamen quia hodierna die Cœna Domini publicè celebratur, non importunum uidetur etiam nūc aliqua de ea re dicere. Nam Christus reliquit hanc cœnā post se Ecclesiæ tanquàm ingentem thesaurum. Turpissimū autem est Christianis, suū ipsorum thesaurum ignorare. Et infirmis ac imbecillibus cōscientijs necessarius est usus huius sacramensi, si modo quis consequi possit: de necessarijs autem rebus nunquàm superuacaneū est disserere. Quare audiamus diligenter de hoc sacramento. Disseruimus autem nuper de substantia, quid sit Sacramentū Cœnæ dominicæ. Nunc igitur de eodem argumento breuiores erimus. Nam cū Christus instituęret hoc Sacramentum, uocauit panē corpus suum, et uinum sanguinem suū. Apparet quidem humanæ rationi ualde insolens, & nō tam admirabile quàm impossibile, q, humanum corpus tam paruo organo cōtineri & distribui debeat, et simul sedeat in una mensa, distribuatur tamen singulis discipulis. Similiter nunc sit in cœlo, & tamē dispensetur in singulis Cœnis Domini, quæ iuxta uerbū Christi obseruantur.

uantur. Sed nobis considerandum, Primùm, q̃ nõ debeamus de hoc Sacramento iudicare secundũ humanam rationem, sed secundũ uerbum Dei & Christi filij eius. Is enim dixit: Hoc est corpus meum. Qui creauit cœlum & terram, et in cuius ore nunquàm dolus inuentus est, quomodo posset is decipere, & mẽdax esse? certè habet ueterem suam potestatẽ aut potentiam. Ideo de uerbo eius nihil est dubitandũ. Deinde si consideremus præcipuũ articulum Religionis nostræ, de incarnatione filij Dei, nõ difficile erit etiam de hoc Sacramento rectè sentire. Ioannes enim dicit: Verbum caro factũ est, hoc est, Filius Dei assumpsit hominẽ in unitate personæ. Si aũt Deus et homo una est persona, necessario cõsequitur, quod ubicunq; sit Deus, ibi posit esse & homo iste qui in unitate cum Deo assumptus est. Nemo aũt negat Deũ esse in Cœna Domini, qui cùm omnia impleat, quomodo nõ adesset etiam in Cœna? Manifestum igitur est, q̃ posit secum etiam adducere, ut ita loquar, hominẽ in unitate personæ assumptũ, & corpus eius præsens exhibere. Sed hìc obstrepitur: Christus Filius Dei assumpsit hominem, & corpus eius humanis imbecillitatibus affectũ. Inter humanas autẽ imbecillitates etiam hæc una est, q̃ unũ corpus nõ posit simul esse in duobus locis, in loco quo sedet, & in pane, item in Cœna & in cœlo? Respondeo. Verum quidem est Christum assumpsisse corpus naturale, naturalibus infirmitati

bus seu cõditionibus affectum (absq; tamen peccato) Sed primum coram Deo loca non sunt ita diuersa ut coram hominibus. Deinde etiãsi corpus, cum adhuc degeret in hac terra, fuerit affectum naturalibus cõditionibus: tamen, quia fuit corpus Filij Dei, potuit Deus ornare hoc corpus etiam supra naturales conditiões, Id quod in Christi corpore multis modis præstitum est. Corpus enim hominis naturaliter habet hanc conditionem, q; nõ posit uiuum permanere ad summũ undecim diebus sine cibo & potu. Corpus tamen Christi mãsit uiuum quadraginta diebus & noctibus absq; cibo. Item corpus hominis naturaliter est graue, & non potest pedibus consistere in aqua, Christus tamen ambulauit corpore suo super mare, & non est demersus. itẽ corpus hominis naturaliter est uisibile, Iesus tamen abscondit se corpore suo in templo corã Iudæis, ut scribitur Ioan. cap. 8. itẽ corpus hominis naturaliter nõ potest resurgere à morte, nec ascendere sursum in cœlũ, Corpus tamẽ Christi resurrexit à mortuis, & ascẽdit sursum in altum uidẽtibus discipulis. Et multa alia sunt quæ supernaturaliter gesta sunt in corpore Christi. Quare non est mirũ, q; in cœna Domini corpus Christi habeat cõditionẽ supernaturalẽ, & distribuatur uerè ac præsenter iuxta uerbũ Christi. Et hæc sunt sentienda de substantia Cœnæ dominicæ. Quòd si alicui aliter docetur, malè & cõtra scripturam, & contra sensum

Christi

Christi docetur. Videamus igitur nunc, in quẽ potissi mũ usum instituta sit cœna dominica. Atq; hic multis modis à pluribus erratur. Primùm enim existima uimus hactenus, q. Cœna sit instituta, ut ex ea cõficia tur Missa, quæ celebrata expiet peccata uiuorũ & mortuorum. Hic est impius usus. Nam si Christus hoc sensisset, nõ fuisset ei opus post institutionem Cœnæ passionem suam sustimere. At tota scriptura testatur unicum opus Christi, unicum sacrificiũ Christi in cru ce peractũ, esse satisfactionem pro peccatis nostris. Quare non uoluit Christus Cœnã instituere, ut con ficeretur ex ea Missa pro peccatis uiuorum & mor tuorum. Deinde sunt qui sentiunt Cœnam institutam esse, ut sit externa nota Christianismi, quò aliquis ui deretur esse Christianus. Ac uerum quidem est, quòd sumptio Cœnæ sit aliqua ex parte nota Christianis mi, sed tamen non est principaliter in hoc instituta. Est enim nota fallax, propterea q. multi impij pos sunt hoc Sacramentũ sumere, qui tamẽ non sunt Chri stiani, sed habent tantum speciem Christianismi. Insti tuit aũt aliud efficacius signum Christianismi Ioã. 13. dicens: In hoc cognoscẽt omnes, q. discipuli mei sitis, si caritatẽ habueritis inter uos mutuam. Adhæc, sunt qui sentiant, institutam esse Cœnã, ut sit symbolũ mu tuæ caritatis. Atq; hoc per se non est malè dictum: Si cut enim panis è multis granis, mola fractis, unus cõ ficitur, ita nos omnes caritate in unũ coalescere debe

mus. Et sicut ex uno pane edimus, ita & unum cor, unum animum habeamus, oportet. Sed non est præcipuè ob hanc causam instituta. Postremò sunt qui existimant, se ex opere seu merito operis consequi remissionem peccatorum & uitam æternam, si sumpserint Cœnam Dominicã. Sed nec propter illã causam instituta est. Quid ergo dicemus? Quis est uerus & legitimus eius usus? Respondeo. Cœna dominica instituta est potissimum ob hãc causam, ut sit certificatio conscientiæ seu fidei de remissione peccatorum & uita æterna. Ex quo sequitur, q. sit instituta in remediũ omnium aduersitatum, tam corporalium quàm spiritualium. Ergo ne (inquis) est remedium paupertatis, inediæ, febris, podagræ, pestis & mortis? Id quidem affirmo, sed suo quodam modo, & rectè intellectum. Nam in quauis afflictione, siue corporali, siue spirituali, siue publica, siue priuata, non tãtum dolemus de aduersitate, sed etiã tentamur de peccatis, de ira Dei, de damnatiõe nostra. Exempli gratia. Afficitur aliquis paupertate? is inuenit remedium in Cœna dominica. Quomodo? num distribuitur aliqua pecuniæ summa? Nequaquàm. Sed qui est aliqua pietate præditus, & afficitur paupertate, is cogitat de peccatis suis, q. meruerit paupertatem propter peccata. Vnde oritur cõscientia de ira Dei, de derelictione Dei, & de perpetua dãnatione. Ne igitur despondeat animum in paupertate, cognoscendæ sunt promissiones

Dei,

Dei, Euangelium audiendum est, & sumendũ Sacramentũ Cœnæ, ut confirmetur conscientia de remissione peccatorũ & fauore Dei. Quod cum factum fuerit, paupertas æquo animo fertur. Aliud. Afficitur aliquis infirmitate corporis. Hic inuenit remediũ in Cœna Dominica. Quomodo? num ibi distribuitur Reubarbarum? Minimè, sed infirmitas admonet homines de peccatis, peccata admonent eos de ira Dei & dãnatione. Vt igitur fides cõfirmetur, Sacramentum sumendum est. Aliud. Publica grassatur uel pestis, uel grauis tempestas: inuenitur remedium in cœna Domini. Quomodo? num sumptio Cœnæ purgat aërem? Nequaquàm, sed in publicis calamitatibus tentamur de ira Dei & dãnatione nostra. Sacramentum igitur sumitur ut confirmetur fides in aduersis. Atq; hinc ortus est abusus ille impius, q celebratæ sint Missæ contra pestem. Viderunt nimirũ hypocritæ maiorum nostrorum cõmunionem Cœnæ in publicis calamitatibus, et imitati sunt speciem operis, non fidem maiorum. Aliud. Vxor amittit maritũ morte, & uicissim maritus amittit uxorem morte. Hi inueniunt in Cœna Domini remedia. Quomodo? num recuperant se in Cœna coniuges? Minimè, sed qui amittit coniugem suam, putat se derelictũ propter peccata à Deo & reiectum. Sumenda igitur est Cœna Domini, ut cõfirmetur conscientia de remissione peccatorum. Hinc ortus est & impius cultus Missandi pro

defunctis. Viderunt hypocritæ maiorum facta, & imitati sunt non fidem sed tantum opera. Sic dicendũ est de his qui procumbunt in lecto, ut uocant, mortis, & tentantur de morte. His succurrendum est Sacramẽto. Hunc usum docet Christus cùm dicit: Quod pro uobis traditur. Item: Facite in mei memoriam. Item uocat Testamentum. Et Paulus 1. Corinth. 10. Communicatio corporis Christi est panis quem frangimus. Hactenus de usu Cœnæ dominicæ. Faxit Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, Spiritu sancto suo, ut hac Cœna dignè utamur, Amen.

TERTIA HOMILIA, DE PRAEparatione ad sumendam Cœnam Dominicam.



Vperioribus quibusdam cõcionibus exposuimus primum quid sit Cœna dominica, uidelicet, q, sit Cœna, in qua panis & uinum cõsecretur uerbo Domini in uerum corpus & sanguinem Christi, quæ & uisibilibus, pane & uino, omnibus Cœnam sumentibus, porrigantur & distribuantur. Qui enim accepit panem & dixit: Accipite, hoc est corpus meum, uoluit in pane corpus suum distribuere, quia dixit. Et potuit hoc facere, quia omnipotens. Deinde ostendimus inquẽ usum institutus fuerit Cœna Dominica, uidelicet, nõ ut hoc opere operato

perato expiarentur peccata, nec tantum ut esset ex ternũ signum uel Christianismi, uel caritatis, sed po tius ut confirmaret & certificaret conscientiam, ut consolaretur eam in tentationibus de remißione pec catorum, de gratia Dei, & de uita æterna, quẽadmo dum nuper exposuimus. Nunc ergo dicendum nobis erit, quomodo debeamus nos præparare ad sumen dam Cœnã dominicam. Hoc. n. opus, hic labor erit, re ctè prouidere, ne pro antidoto sumamus uenenũ. Di cit enim Paulus: Probet autẽ se homo, & sic de pane isto edat, ac de calice bibat. Et addit: Quisquis ederit panem hunc, & biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, iudiciũ sibi edens. Ac propter indignam man ducationem publica mortalitas grassata est in Corin thijs: propter hoc (inquit) multi inter uos imbecilles, & inualidi, & multi dormiunt. Quare magna dan da est opera, ut nos ad sumendã cœnam Domini re ctè præparemus. Nam qui se præparare nescit ad su mendã cœnam Domini, is neq; potest se præparare ad percipiendũ cœlũ: quia in Cœna distribuuntur bo na cœlestia. Cùm igitur in regno Pontificio ante re uelationẽ Euangelij Ecclesia instituere tur de præpa ratione ad cœnam dominicã, proponebantur ei plæ rumq; tres partes præparationis: Prima, Contritio: Secunda, Confessio: Tertia, Satisfactio. Hæc aũt non sunt quidem per se malè dicta, sed quia fuerũt malè

tum intellecta, tum exposita, magnũ damnum Eccle siæ dederũt. Nos igitur ijsdem quidẽ uerbis utemur, sed exponemus ea iuxta sententiam scripturæ, ut ex his discamus, quomodo rectè nos ad Cœnam dominicam præparemus. Cœna enim Dominica nõ instituta est impœnitẽtibus. Hi enim non pertiment ad corpus Christi, ac sunt ueluti mortui. Mortuis aũt non cõuenit cibus: nam & Cœna Domini animæ cibus est: unde maiores nostri publicis denunciationibus repulerunt à Cœna Domini impœnitentes & publicè flagitiosos, Sed instituta est pœnitentibus, his uidelicet, qui cupiũt liberari à peccatis & iusticiæ seruire, ac cœlestẽ beatitudinem habere. Ergo qui se ad agendã pœnitẽtiam præparat, is præparat se etiã ad sumendam Cœnam dominicam. Pœnitentiam igitur acturi, primum omniũ debent habere Contritionẽ, non uidelicet hac opinione, ut sentiant contritionem tanti meriti esse ut expiet peccata. Nulla enim nec actio nec passio hominis expiat peccata. Esau habuit contritionẽ, sed nõ habuit remissionem peccatorum. Iudas doluit de peccato, sed non est consecutus ueniam peccati. Quare non est sentiendũ, q, dolor contritionis satisfaciat pro peccatis: Sed requiritur cõtritio, ut hac ratione discamus grauitatem peccatorum nostrorum, & intelligamus miseriã nostram, ac cognoscamus quàm necessarius nobis sit Christus. Existimamus enim nostram naturã tam integram tamq; perfectam

ctam esse, ut posimus nostra sponte & uoluntate salutē consequi, nec Christum nobis necessarium esse. Ad pœnitentiam igitur agendam requiritur contritio, ut agnoscatur peccatum, agnoscatur miseria & damnatio nostra, quò intelligamus aliam rationē ad salutem nobis perquirendam esse, quàm uel nostram naturā, uel nostras uires aut iusticiā. Contritio autē non est cōcipienda ex humano iudicio. Sic enim nunquàm ueram consequeris contritionem, sed est cōcipiēda ex uerbo Dei, è lege Domini. In hac enim perspicuè exponitur quid Deus à nobis exigat, et manifestè pronunciatur, si non præstiterimus, nos planè damnatos esse. Verbo igitur diuinæ legis uera nobis injicitur contritio. Exempli gratia: Prosequar inuidia proximum. Si de hoc peccato iudices secundū humanum captum, uidetur leue peccatum. At lex Domini proferenda est: Qui odit proximum, homicida est. Homicidæ aūt non pertinēt ad Regnum Dei. Hîc iam uideo grauitatem peccati & damnationem meam. Deinde ad agendam pœnitentiam requiritur Cōfessio. Ad quam saltem mediocriter explicandam requiritur propria concio. Dicamus igitur nunc de eā quātum ad propositum satis est. Negari enim nō potest, quin magni abusus irrepserint in confessionē illam auricularē, quæ fuit hactenus usitata in Ecclesia. Primùm enim censuerunt necessariam esse omnium peccatorum, quorum tibi conscius es, enumerationē,

Deinde existimauerunt hoc opus esse meritum, quo expiarentur peccata, ut non addam, q̃ multi ex confessione proditi uitam suam amiserũt. Hi sunt magni abusus huius confessionis. Nihilominus tamen cõfessio per se nõ est impia: nec in hos abusus in ecclesia principiò instituta fuit, sed usitata est, ut hac occasione homines audirent à ministro Ecclesiæ Euãgelium de Christo priuatim, quò conciperent fidem, & confirmentur in fide. Quanquàm enim publicè etiam prædicetur Euangelium, & unaquæq; concio de Christo fit absolutio à peccatis, tamen conscientia peccatis turbata, ualde est imbecillis, & cogitat publicã absolutionem non pertinere ad se, sed nescio ad quos sanctos, & quærit priuatim absolutionem, præsertim eam, quã si possibile esset, Christus coràm sibi soli & priuatim diceret. Cum igitur Christus non ambulet nunc externa facie inter homines, excogitauit modũ quo seipsum imbecilli conscientiæ coràm consisteret. Is aũt est modus, q̃ mandauit Apostolis & ministris Ecclesiæ, ut prædicent Euangeliũ de remissione peccatorum. Et consecrauit uerbum eorum, in uerbum ipsius dicens: Quorum remiseritis peccata in terris, remittuntur eis in cœlis &c. Item: Qui uos audit, me audit. Ergo qui audit ministrũ, dira quæuis more nebulonum execrantem, audit Christum? Nequaquàm: Sed Christus intelligit de officio quod ministris commendauit, Et dedit eis, non liberam, sed circumscriptam

ptam potestatem, uidelicet, ut prædicent Euangelion. Ergo cum audimus Euangelion in ministris Ecclesiæ, ibi tum audimus uocem Christi. Instituta igitur fuit confessio ad audiendam uocem Euangelij, & ad confirmandam fidem. Sic Mat. 3. Qui ueniunt ad Ioannẽ confitẽtur peccata sua, non ut merito operis satisfacerẽt pro peccatis, sed ut declararẽt desideriũ suum, & audirent absolutionem à Ioanne per baptismum & doctrinam de Christo. Sic Acto. 19. Ephesij confitentur facta sua. Quare in Ecclesijs rectè institutis, is ordo obseruari solet, ut nemo quidem sub pœna damnationis adigatur ad confessionem. Sed primùm, firmis & rectè institutis ac eruditis liberum permittatur confiteri uel non confiteri. deinde infirmis conscientijs consulatur, ut saltem generalem faciant confessionem, quò audiant Euangelion absolutionis. Postremò ut adolescentes confiteantur saltem aliqua & grandiora peccata, quò hac occasione deterreantur à peccatis, & erudiantur in Religione. Omnino enim necessarium est, ut credamus nobis esse remissa peccata propter Christum. Fides autem in Christum concipitur ex Euangelio & confirmatur: Euangelium autem audiẽdum est tam publicè quàm priuatim, qui priuatus auditus confessione exigitur. Postrema pars præparationis ad Cœnam dominicã, est Satisfactio. Hîc iterum uariè erratũ est. Nam existimauerunt, si quis pro peccatis uel aliquandiu ieiu-

net, uel aliquas preces effundat, uel Missas instituat, hic expiet peccata sua. Ac orandum quidem est & ieiunandum, sed nullum humanum opus satisfacit pro peccatis. Vna enim est satisfactio nostra, uidelicet, Iesu Christi passio, cuius participes reddimur, si credimus in Christum. Et tamen ad pœnitentiam requiritur etiam nostra satisfactio, non quidem expiationis, sed gratiarum actionis, uidelicet, ut ex fide bene operemur, & obediamus mandatis Dei ad declarandam fidem & certitudinem nostram. Hæ sunt tres partes præparationis nostræ, ad sumendam Cœnam Dominicam, uidelicet, Contritio, id est, agnitio peccatorum: Confessio, id est, fides: Satisfactio, id est, gratiarum actio. Non autem præparant se impœnitentes, sed pœnitentes. Quare ut præparati ueniamus ad Cœnam Dominicam, agamus pœnitentiam, & consequemur remissionem peccatorum in Christo, & confirmabimus conscientiam in Cœna per Christum Iesum Dominum & unicum Saluatorem nostrum,

AMEN.

DE

DE POENITENTIA
Homiliæ undecim, habitæ anno 1547.

HOMILIA PRIMA.

TEmpus monet ut locum de Pœnitentia publicè in Ecclesia tractemus. Etsi enim hypocritæ abusi sunt hoc quadragesimali ieiunio ad impietatem, ad expianda peccata sua opere ieiunij, tamẽ pij rectè usi sunt ad sectandam sobrietatem, quo ueram doctrinam de pœnitentia & expiatione cognoscerent. Dicamus igitur his diebus de pœnitentia, ut nõ solum cognoscamus doctrimã de pœnitentia, uerum etiam excitemur ad agendam reipsa pœnitentiã. Ac profecto pœnitentia nobis maximè omnium necessaria est. Primùm enim cùm multis annis peccauimus impietate et idolatria, ac magnis alijs sceleribus, Deus reuelauit nobis ante aliquot annos ueram doctrinam de pœnitentia, ut resipisceremus. Nunq̃ autem Deus reuelauit uerbum suum, quin secuta sit magna afflictio, & magna rerũ mutatio. Amos 3. dicit: Num quid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? nunquid dabit catulus leonis uocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? His annis rugiuit leo noster Dominus per Euangelium suum. Necesse igitur est ali-

Pœnitentiã maximè necessaria.

quam prædam, aliquod ſupplicium imminere. Et certè hoc anno Ira Domini manifeſtè reuelata eſt, et adhuc reuelatur triplici uirga, uidelicet Bello, Fame & Mortalitate. Nihilominus tamẽ Germania noſtra nondũ reſipiſcit. Aduerſarij Euangelij fiunt peiores, quia pro una miſſa inſtaurant nũc tres aut quatuor, hoc eſt, duplicant & quadruplicant Idolatriã. Inter auditores uero Euãgelij, alij, quia uident idolatriam Papiſtarum fœlicem eſſe, deficiunt ad eam: alij fiunt prorſus athei: Dicunt impudenter, Nouos & ueteres Pſaffos ex arboribus ſuſpendendos eſſe. Alij etſi agnoſcunt adhuc ueritatẽ Euangelij, tamen pergunt in ueteribus ſuis uitijs, non reſipiſcunt. Hæc ſunt certiſſima argumenta & indicia multo maiorem iram Domini ſecuturam in Germania, & Germaniã exẽplum fore Iræ Domini in toto orbe terrarum. Ira autem Domini non poteſt aut omnino auerti, aut ſaltẽ mitigari, niſi per pœnitentiam, per POENITENTIAM inquam. Hiere. 18. Si gens illa pœnitentiam egerit à malo ſuo &c. Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam, liberabit animam ſuam &c. Et Lucæ 13. dicit Chriſtus: Niſi pœnitentiam egeritis ſimul omnes peribitis. Teſtatur ergo per pœnitentiam iram Dei aut tolli aut mitigari. Sic & Ioannes Matt. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ, ut fugiatis iram &c. Quare ſumma neceſſitas eſt, ut ſerio agamus pœnitentiam. Ideo cognoſcendum diligẽtiſſimè, quomodo

Peccatà in Germania.

uera

uera agatur pœnitentia. Deinde cùm nobis certo sit moriendum, & nihil incertius sit hora mortis, elaborandum est, ut mortem uincamus, & habeamus æternam uitam. Nam si mors nos imparatos obruerit & uicerit, perimus perpetuo. Non possumus aũt nos alia uia ad mortem præparare, ut eam uincamus, nisi per POENITENTIAM. Quare summa opera danda est, ut ueram agamus pœnitentiam. Sed eam agere non possumus, nisi agnoscamus quomodo sit agenda. Et cur frustra insumes uitam tuã? Nam si impœnitenter uixeris, & mortuus fueris, non solũ frustra sustinuisti omnes ærumnas huius uitæ, uerumetiam magnis tuis laboribus parasti tibi æternũ exitiũ. Quæ ergo est hæc insania, sic frustra & sibiipsi perniciosissimè hanc uitam transigere? Disce igitur pœnitentiam, & age pœnitentiam, ut salutem consequaris. In hunc usum instituti sunt Festi dies, ut discamus ueram Religionis doctrinã. Sed multi dum docetur in Ecclesia, obãbulant in fõro & exercent mercimonia. Hic est magnus contemptus Dei, ac etiam neglectus publicæ honestatis. Cautum quidem est politica ordinatione, ne quis tempore concionũ ociosus stet in fõro. sed hæc ordinatio parum prodest, quia magistratus non tuetur eam, sicut nec pleraq; alias honestas ordinationes, cùm tamen officium magistratus esset ista præcipuè curare, ut declararent suam pietatem erga Christũ, & conseruarent publicã hone-

Mortis hora incerta.

Festi dies.

statem: Nec Ecclesiastica ordinatio aliquid prodest in his contemptoribus. Nam quod ad ministros attinet, mallēt aliquot auditores ex Ecclesia exigi, quàm in eam cogi, q̄ multi sint qui non hoc agunt ut discāt, sed ut lædant & deprauent nostram doctrinam. Sed ualeant isti contemptores, & qui non ingrediuntur Ecclesiam nisi coacti. Nam Christus habet populum non coactū, sed spontaneum. Psal. 110. Populus spontaneus, ubi nostra translatio habet, Tecum principium in die uirtutis tuæ &c. Et Esa. 2. Fluent ad eum omnes gentes, & populi multi ibunt &c. Fluent (inquit) seu festimabunt, nō cogentur. Et Christus: Oues meæ uocem meam audiēt, & nemo rapiet eas de manu mea. Quare qui cupiunt uerā salutē, hi sua sponte uenient audituri piam doctrinam de pœnitentia, qua sola auertimus iram Dei, & mitigamus eam, & qua etiam sola præparamus nos ad mortem uincendam, & uitam seruandam per Iesum Christum, &c.

HOMILIA SECVNDA.

DE pœnitētia concionaturi primum omnium diluemus dubitationē eorum, qui existimāt uanam esse pœnitētiam peccatorum & irritam. Etiamsi enim concedunt peccatores recipi semel in gratiā Dei per baptismum, tamen negant eos recipi in gratiā Dei, qui post baptismum lapsi

lapsi sunt. Et conscientia hominis dubitare solet, nũ cum toties peccauerit, toties etiam pateat ei aditus ad misericordiam Dei. Cogitãt: Ecce tu peccasti post baptismum non semel, sed plus quàm millies. Peccasti ante annum, & cõuersus egisti pœnitentiã. Sed mox relapsus es in idem aut grauius peccatum. Egisti iterum pœnitẽtiam. Sed & iterum relapsus es in idem aut grauius peccatum. Egisti iterum pœnitentiã. Sed & iterum relapsus es. Hoc plus millies fecisti. Num Deus te toties in gratiam recipiet? Non faciet fortassis. Hæ sunt cogitationes conscientiæ. Ex his orti sunt quondam hæretici Nouatiani & Cathari, qui docuerunt lapsis non esse concedendã pœnitentiam. Et usi sunt testimonio Epistolæ ad Hebr. cap 6. Impossibile est eos qui semel illuminati fuerint, si prolabãtur, denuo renouari per pœnitentiam &c. Et cap. 10. Si uolentes peccauerimus post acceptam cognitionem ueritatis, non ultra pro peccatis reliqua est hostia etc. Præterea in Euangelio dicitur de peccato in spiritũ sanctũ, quod neq; in hoc seculo, neq; in futuro remittitur. Cogitãt igitur imbecilles, num fortè hoc peccatum designauerint, & non possint amplius cum Deo reconciliari. Hæc est cura eorum, qui serio afficiuntur desiderio suæ salutis. Nam reliqui quærũt potius pecuniam & uinum quàm ueritatẽ. De his rebus dicendum est, priusquàm ipsam pœnitentiæ rationem explicamus. Sẽtiendum enim est firmissimè, q; pecca-

Nouatiani lapsis negãt Dei gratiã.

Matth. 12.

tori non semel tantum, nec septies tantum, sed septuagies septies, adeoq; innumerabiliter, ac semper paPeccator recipitur per pœnitentiã. teat receptus ad gratiam Dei per pœnitentiam. Peccator non tantum recipitur in gratiam per baptismum, sed etiam recipitur in gratiam per pœnitentiam, si post baptismum relapsus fuerit. Nam de hac re admonet nos articulus fidei nostræ, CREDO REMISSIONEM peccatorum, Qui articulus confirmatus est manifestis testimonijs sacræ Scripturæ, & exemplis Sanctorum.

TESTIMONIA.

Hiere. 3. Vulgo dicitur: Si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo &c. Tu tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.

Zacha. 1. Conuertimini ad me, dicit Dominus Zebaoth, & conuertar ad uos.

Psalmus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, &c.

Christus ait: Non ueni ad uocandos iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Lucæ 15. Gaudium est in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente.

Iubemur orare: Remitte nobis debita nostra, quẽ admodum & nos remittimus debitoribus nostris.

Galat. cap. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo peccato, uos qui spirituales estis, instaurate eum, &c.

1. Ioan.

1.Ioan.2.Scribo uobis ne peccetis.Et si quis peccauerit,aduocatum habemus &c.

EXEMPLA.

Moses peccauit post acceptam circumcisionẽ incredulitate,et tamẽ receptus est in gratiam.Dauid, Manasse,Petrus,Scortator Corinthius,Galatæ benecœperãt spiritu,sed carne cõsummantur, & tamẽ Paulus iterum parturit eos. Si non esset pœnitentia post baptismum,Galatæ in totum fuissent abiecti Nã quæ loca ex Epistola ad Hebræos citãtur, intelligenda sunt,q̃ nullus possit per pœnitentiam renouari,uidelicet,si abnegato Christo manserit extra Christũ, quia extra Christum nulla est hostia pro peccato,Sicut nec Turcæ, nec Iudæi, nec Mammaluci possunt per pœnitentiam renouari,eo q̃ manẽt extra Christum.Sed si quis ad Christum reuersus fuerit,tũc recipitur iterum in gratiam Dei propter Christũ.De peccato aũt in spiritum sanctum sentiendum est, q̃ cum dicitur,non remitti nec in hoc nec in futuro seculo,nõ significetur esse irremissibile,si quis conuersus fuerit ad Christum,quia Christus omnia peccata expiauit, Sed significatur,q̃ magnum sit discrimen eius peccati,ab altero genere peccatorum,quæ in filium hominis designantur.Hoc genus habet excusationem quandam,illud autem nullam prorsus habet, nec coram hominibus,nec coram Deo. Sed tamen habet remissionem in Christo,si pœnitentiã egerimus,

Peccatum in spiritum sanctum non irremißibile.

quemadmodum aliâs copiosè explicuimus. Quare sciamus nobis patere reditum ad gratiam Dei per ueram pœnitentiam. Ideoq; diligentißimè cognoscendum est, quæ sit uera ratio agendæ pœnitentiæ, de qua re aliâs, si Dominus uoluerit, dicemus.

HOMILIA TERTIA.

EXposuimus ueram pœnitentiam non esse uanam, sed remißionem omnium peccatorum esse coram Deo certißimam. Nũc igitur accedamus, diuina fauente clementia, ad considerandam uerã pœnitentiæ rationẽ, ut cognoscamus quid faciendum sit, ut uerã, rectam & piam agamus pœnitẽtiam. Exemplo rem declarabimus. Dauid fuit membrum populi Dei, & accepit Sacramentum circumcisionis, Sed postea peccauit grauißimè adulterio et homicidio, ideoq; prouocauit Deum ad iram, & meritus est exhæredationẽ & damnationẽ æternam. Quid igitur faciat Dauid, ut cùm Deo reconcilietur, & recipiatur in gratiam, consequaturq; ueniam peccatorũ suorum? Sic Petrus, Sic mulier peccatrix Maria Magdalena, Sic latro in cruce, Sic scortator Corinthius, fuerunt de corpore populi Dei, & peccauerunt horribiliter, ideoq; obnoxij facti sunt iræ Dei & igni inferni. Quid ergo faciant, ut redeãt cum Deo in gratiam, & euadant æternas pœnas, ac

conse-

consequantur cœleste regnum? Sic nos fumus de corpore populi Dei: Et peccauimus tam publicè, q̃ priuatim, Contemptu uerbi Dei, Neglectione officij nostri, Impostu̇ris, ebrietatibus, blasphemiis, duricia erga pauperes et infinitis alijs malis. Offendimus ergo Deũ, ut incipiat nos punire mortalitate, penuria & bello. nec finis. Immineṇt grauiora mala in hac uita, et post eam æterna supplicia. Quid igitur faciamus, ut redeamus cum Deo in gratiã, & effugiamus æterna supplicia? Hîc Papistæ docuerũs q̃ pœnitentia cõstet Contritione, Confessione & Satisfactione. Et immiscuerunt multos errores. Nec fecerunt ullam mentionem fiduciæ in Christum, & meriti Christi. Quare faciessat illa impia doctrina. Nos eam sectabimur, quam sacra scriptura nobis tradit. Quicũq; ergo uoluerit redire cum Deo in gratiã, & restitui cœlesti hæreditati, quam per peccatum amisit, necesse habet primum omnium agnoscere peccatũ suum, dolere de peccato, & ex corde peccatum abominari ac odisse. Deus enim uult, ut cùm ad similitudinem ipsius creati sumus, habeamus etiam similes affectus. Deus autẽ odit peccatum ex corde, & abominatur illud. Ergo debemus & nos peccatum odisse. Adhæc Deus præcipit, ut peccata fugiamus & uitemus. Dedit legẽ, qua uetat peccata. Dicit: Declina à malo & fac bonum. Nemo autem fugit peccata, nisi ea agnoscat, & odio habeat. Ergo eo ipso quo peccata uetantur, iubemur

Pœnitentiæ primus gradus, agnitio peccati.

Psal. 5.

Psal. 34.

ea odisse & abominari, ac si perpetrauerimus, de ipsis dolere. Nec est dolendū speculatione & uerbis, sed serio animi mœrore, ita ut ad mentionem peccatorum non aliter cohorrescas, quàm si mulier uideat uenenatum serpentem. Dolendum est zelo quodam, ut dolor exprimat, uel suspiria, uel lachrymas, sicut uides in Petro & Maria Magdalena. Sed dices: Non possum sic serio dolere. Ebriosus ex animo diligit ebrietatem. Amator ex animo delectatur recordatione suorum scelerum. Auarus ex corde amat pecuniā & impostura, etiāsi abstineat extrinsecus ab impostura. Quid igitur faciant ut uerū & serium odium peccati sui concipiant? Verè & seriò odisse peccatū ex animo, non est opus humanæ carnis, sed est opus spiritus sancti. Caro immersa est peccatis. Quare ex intimis medullis delectatur ipsis, tantum abest ut ea odio habeat. Spiritu sancto autem opus est, qui excitat odium peccati in homine. Quomodo ergo consequemur spiritum sanctum? Nō possumus eum nostris uiribus de cœlo euocare, Sed tamen possumus esse cooperarij eius, sicut Paulus ait: possumus organa & instrumenta, per quæ solet esse efficax, ipsi proponere, ut suum opus in nobis exerceat. Sunt autem horum instrumentorum præcipuè tria, quæ summa diligentia proponēda sunt spiritui sancto, ut habeat occasionem excitandi in nobis odij aduersus peccatum. Primum est Lex seu Decalogus. In hoc recitantur ea

Instrumenta quibus excitatur odium peccati.

quæ

quæ Deo displicent, & per hunc agnoscere discimus gravitatem peccati, & magnitudinem iræ Dei. Paulus dicit: Per legem agnitio peccati. Et propter hanc causam Deus promulgauit Decalogum multis horribilibus tonitruis, ut significaret Decalogum in hoc dari, quo ueniremus in agnitionem peccati, & concipieremus odium peccati. Quare Decalogus est rectè intelligendus, & diligentissimè recitandus singulis diebus, ut concipiamus ex eo odium peccati. Secundum instrumentum sunt exẽpla calamitatum publicarum & priuatarum, quæ propter peccata hominibus immittuntur. Exemplum Adæ. Hic propter esum pomi coniectus est unà cum posteritate sua in omnes corporales & æternas afflictiones. Exẽplum diluuij. Erant homines securi, contemptores uerbi Dei, dabant tantum operam helluationibus & alijs sceleribus. Exẽplum Dauidis de adulterio. Exemplum Aniæ & Saphiræ de mendacio &c. Hæc & similia cogitanda sunt sæpe, ut Spiritus sanctus per ea sit efficax, & excitet in nobis serium odium peccati. Tertium instrumentum est passio & mors filij Dei. Deus enim in tãtum irascitur peccato, ut non uoluerit aliud sacrificiũ pro peccato, præter mortem filij sui. Et cum filius susciperet peccata expianda, nõ uoluit ei remittere crucem, sed necesse habuit eam sustinere, ut declararet seueritatem iræ suæ aduersus peccata. Hæc certè diligentissimè & frequẽtissimè sunt me

Decalogus.

Exempla calamitatum.

Passio Christi.

ditanda, ut ſpiritui ſancto præbeamus ſua organa, quibus accendat in nobis uerum & ſerium odium peccati, quod nobis ad agẽdam pœnitentiam neceſſarium eſt. Habes tria organa ad excitandam contritionem ſeu dolorem de peccatis. Impœnitentia, indolentia & duricia, ſunt autores omnis mali, tam corporalis q̃ æterni. Adhibeamus igitur ſeriam diligentiam, ut abiecta impœnitentia, indolẽtia & duricia, ſerio de peccatis doleamus, & ea deteſtemur.

HOMILIA QVARTA.

Diximus de inſtrumentis, quibus ſpiritus ſanctus utitur ad excitandã in nobis cõtritionem, ut pœniteat nos ſcelerum & doleamus. In conuerſione enim peccatoris ad Deum, contritio ſeu pœnitentia de peccatis primum omniũ neceſſaria eſt, & Deus eam ſeueriter exigit. Exponamus igitur nunc cauſas, propter quas Deus cõtritionem ſeu pœnitentiã peccatorum exigit. Num exigit eam in hunc uſum, ut magnitudo contritionis ſeu doloris expiet peccatũ corã Deo? Sic docuerunt quidẽ Monachi, ſed turpiſſimè errant, & ſeducunt homines. Nam ſi hominis dolor placaret Deũ, tunc Chriſtus filius Dei fruſtra ſuſcepiſſet ſuum dolorem, & homo gloriaretur coram Deo. Quare ſunt aliæ cauſæ, propter quas Deus exigit contritionem ſeu pœnitentiam

tẽtiam ac dolorem de peccato. Ac primum exigitur contritio in cõuersione peccatoris, ut excitemur ad uitandum peccatum & sectandam iusticiam. In conuersione enim peccatoris omnino necessarium est, ut uitemus peccatum, & faciamus bonum. Psal. 24. Declina à malo & fac bonum. Esa. 1. Auferte malũ cogitationum uestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruerse, discite benefacere. Mich. 6. Indicabo tibi ô homo quid sit bonũ, & quid Dominus requirat à te. Vtiq; facere iudiciũ, diligere misericordiam, & sollicitè ambulare cum Deo tuo. Exempla extant. Israelitæ peccant idolatria, Iudicum cap. 10. Vt autem conuerterentur ad Dominum, non retinuerunt Idola, sed proiecerunt de finibus suis omnia idola alienorum deorũ, & seruierunt Domino Deo. Sic 1. Re. 7. conuertuntur Israelitæ ad Dominum. Ideoq; abstulerunt Baalim & Astaroth, & seruierunt Domino soli. Sic in Iona, Niniuitæ conuertuntur ad Dominum. Non autem manent in sua malicia, sed conuertuntur à uia sua mala. Sic mulier peccatrix cõuertens se ad Dominum, nõ amplius scortatur, sed uitat scortationes, & sectatur pudicitiam. In Act. 19. Ephesij incantatores conuertuntur ad Dominum. Non autem retinent libros incantationum, sed cõburunt eos, etiamsi magno impendio constarent. In conuersiõe igitur ad Dominum omnino necessarium est, ut fugias peccatum, & facias bonum. Nam si perseueraueris in pec-

Causa cur Deus contritionem exigat.

cato, & perrexeris in eo, nondũ es in ordine pœnitentium. Si nõ mutaueris animi tui sententiam de uitando peccato, adhuc uerè es impœnitens, adeoque nondum tam probus es, quàm Iudas Ischariotes. Hic enim etsi non absoluit ueram pœnitentiam, tamen incepit eam, & intantum doluit de peccato, intantũ displicuit ei peccatum, ut & uitaret et benefaceret, quia confessus est Christum innocentem, & reddidit pecuniam proditione acceptam: Quare qui adhuc pergit in peccatis suis, uidelicet, in contemnendo Euangelio, in blasphemando, in furando, in helluando, in scortando, nondum attigit ne Iudæ quidem probitatem, tantum abest ut ad ordinẽ uerè pœnitentium referri debeat. Porrò peccatum non uitatur nisi displiceat & odio habeatur ex cordẽ. Necessarium igitur est, ut in conuersione ad Dominũ odio habeamus peccatum, & displiceat nobis ex animo. Deinde exigit Deus in conuersione displicentiam peccati, quam uocamus contritionem, ut excitemur ad quærẽdam ueram remissionem seu expiationem peccati. Etsi enim dolemus de peccato, & uitamus peccatum, atq; facimus iusticiam, tamẽ adhuc multa desunt nobis ad perfectam iusticiã. Primum est, q, peccato commisso debeatur æterna pœna, eo q, per peccatũ auertimus nos ab æterno & infinito bono. Factũ, infectum fieri nequit. Quare etiamsi non peccaremus amplius, tamen culpa peccati cõmissi adhuc incumbit in nobis,

quæ

quæ non expiatur à nobis aliquo temporario dolore, sed debetur ei æternus dolor & cruciatus. Sicut committens furtum aut homicidium, non dimittitur liber, etiamsi fateatur, se non amplius furaturum aut hominẽ occisurum: ita peccator nondum est liber ab inferno etiamsi peccare desinat, & iusticiam sectari incipiat. Exẽplo est Iudas, sicut paulò ante exposuimus. Deinde non possumus peccatum ita uitare, quin adhuc hæreat in carne nostra. Dũ uiuimus, peccatũ etiam in nobis uiuit. Non iustificatur in cõspectu tuo omnis uiuẽs. Semper inhæret carni, etiã in sanctis, dubitatio de Deo, & horrenda alia uicia. Quare externa uitatio peccati, nondum reconciliat nos Deo. Postremo nulla humana iusticia, etiam in Sanctis est perfecta & plena obediẽtia diuinæ legis. Necessario igitur requirit Deus dolorem seu contritionem, ut cùm non inuenimus in nobis remedium peccati, excitemur ad quærendum uerum remedium in Christo filio Dei. Sicut enim ægrotus non quærit medicũ, nisi doleat & sentiat incommodum ægritudinis, ita nec nos quærimus Christũ uerum medicum, nisi uerè & ex animo sentiamus dolorem de peccatis, & de ira Dei, & de damnatione. In conuersione igitur peccatoris ante oĩa necessariũ est, ut odio habeamus peccatũ, & displiceat nobis ex animo, quò fugiamus peccatũ, & excitemur ad quærendam ueram remissionẽ peccati. De qua re copiosius postea, si Domino uisum fuerit, disseremus.

HOMILIA QVINTA.

AVdiuimus quòd in conuersione peccatoris necessaria sit cõtritio & displicentia peccati, & ut peccatum fugiamus. Quid ergo? Num defuncti sumus nostro officio, & satis conuersi sumus ad Dominum cùm fugimus peccatum, & facimus bonum? Satis quidem esset, si hæc perfectè faceremus. Sed diximus adhuc nobis multa uicia inhærere, & plurima nobis deesse. Vnũ est, quòd peccatum quod meretur infernum fecimus. Factum autem infectũ esse nequit. Ergo peccato meriti sumus inferni. Itaq; obnoxij sumus inferno, etiamsi deinceps nõ peccamus. Sicut fur obnoxius est laqueo, etiamsi postea non amplius furetur. Alterum est, q. adhuc peccatũ manet inhærens in carne & sanguine nostro. Tertium, quòd omnis iusticia nostra sit imperfecta. Ac testatur exemplum Iudæ, q. non satis sit fugere peccatum & facere iusticiam. Nam Iudas concepit maximũ odium peccati sui. Pœnituit eum ualde, fugit peccatum, fecit bonũ, quia reddidit pecuniam, & dedit testimonium innocentiæ Christi. Et tamẽ nõ est consecutus salutem. Quid ergo deinceps faciendum est, ut ueram iusticiam & salutem consequaris? Hìc fit separatio inter homines. Et hìc oriuntur uariæ Religiones, quibus homines studeñt sibi Deũ reddere placatum, & consequi ueram iusticiam ac salutem. Nam

quæ

quæ hactenus de contritione & fuga peccati, ac sectanda iusticia docuimus, etiam humanæ rationi nota sunt. Philosophi gentium docuerunt, q. ebrius debeat pœnitere de ebrietate, eam odisse, & sequi sobrietatem &c. Sed de consequenda uera iusticia coram Deo & æterna salute, nihil prorsus nouit humana ratio. Ac alij quidem, quibus grauitas iudicij diuini sine Christo reuelatur, festinant ad laqueum, conscisere solent sibijpsis mortẽ, ut Achitophel & Iudas. Hæc est desperatio & internecio. Alij aũt postquàm considerant magnitudinem peccati sui, & tamen nondum sentiunt uerè grauitatem diuinæ iræ, studeant sibi subuenire alijs remedijs. Turca facit opera à Mahumeto præscripta, & sperat se his Deũ placaturum. Iudæus facit opera & ceremonias quasdam legis, & confidit se his Deum sibi reconciliare. Monachus facit opera sui ordinis, & pollicetur sibi propter ea placatum Deum. Papista legit Missas, & abstinet aliquot diebus ab aqua & uino, quibus operibus putat se peccata sua expiare coram DEO. Sed hi omnes errant & horribiliter peccant. Postquàm enim agnouisti peccatum, & uides grauitatẽ iræ Dei, nullum aliud remedium reliquum est, quàm ut credas in Iesum Christum filium Dei, quòd ipse solus expiauerit peccata tua, & quòd Deus propter hunc solum remittat tibi peccata, ac donet tibi iusticiam eius, quæ est perfecta & absoluta.

Sic Baptista concionatur de Christo, inquiens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.

Acto. 4. Non est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri.

Acto. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum.

Acto. 13. Notũ sit uobis fratres, quòd per hunc uobis remissio peccatorum adnunciatur, & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur.

Acto. 15. Quid tentatis Deum? Et mox: Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi.

Rom. 4. Iustificamur gratis ipsius gratia per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quẽ proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine suo &c.

Sed scriptura plena est horũ testimoniorũ. Quare si quis uoluerit post agnitionẽ & fugã peccati ueram iusticiam & salutem consequi, is necesse habet credere in Iesum Christum, quòd is solus sit expiator peccatorum nostrorum, & propiciatio nostra. Nam hic Christus medetur tribus illis uitijs, quæ supra enumerauimus. Primũ enim per hunc Deus remittit culpam omnium peccatorum: deinde propter hunc Deus non imputat reliquum peccati in homine. Tertio, Deus donat credenti iusticiam Christi, ut eam tan-

quàm

quàm propriam poßideat, & dat etiam Spiritũ sanctũ, ut faciamus aliquo modo bona opera. Itaq; propter solum Christum homines reputantur uerè iusti coram Deo & seruantur.

HOMILIA SEXTA.



TSi ea quæ nup docuimus, & quæ scriptura tradit de iustificatione fidei, planißima sunt, & ualde perspicua, tamẽ Monachi deprauant ea suis impijs gloßis. Non possunt, nec audent negare scripturã. Idcirco quod proximũ est, inferunt, imò intrudunt in scripturam falsas interpretationes de meritis. Dicunt enim, Fatemur q; Christus solus expiauerit peccata humani generis. Quis enim negaret beneficium paßionis Christi? Fatemur quòd peccata remittuntur nobis ex misericordia Dei propter Christum. Quis enim negaret Dei misericordiam? Sed si quis uoluerit beneficij Christi & misericordiæ Dei particeps fieri, is necesse habet suis operibus promereri, ut sibi beneficium Christi, seu misericordia Dei applicetur. Itaq; fingunt quòd Christus commendauerit Romano Pontifici, thesaurum Christi distribuendum, ut qui redimat indulgentias Papæ pecunia sua, uel ieiunio, aut alio opere, is fiat particeps beneficij Christi. Fingunt etiam quòd thesaurus is commendatus sit sacrificio Missæ, ut qui

instituat Missam, uel redimat eam oblatione, applicet sibi beneficium Christi, uel applicetur illi quem sacrificulus in memoria sua recitat. Fingunt itē quòd thesaurus Christi situs sit in suis Monasticis ordinationibus, ut qui eas seruet, applicet sibi meritū Christi. Fingunt hypocritæ thesaurum Christi situ esse in peregrinationibus, in ieiunijs, ut quicunq; hæc opera faciat, is applicet sibi meritum Christi, quod uocant thesaurum Ecclesiæ. Itaq; nugantur, quòd gratuitum beneficium Christi sit redimendū humanis meritis, ut nobis applicetur. Sed nihil potest uanius etiā ipso sensu communi iudice dici. Primùm enim, quomodo hæc conueniunt, quòd Christus gratis remittat peccata, & tamen non applicet nisi meritis? An non haberetur is pro manifesto nugatore, qui publicè promitteret omnibus hominibus uinum gratis, Sed adderet hanc conditionem, Si quis pro mensura uini numeret bohemum aut baccium? An nō talis nugator exploderetur? Sic Monachi faciunt ex Christo nugatorem & impostorem. Deinde scriptura manifestè docet, quòd gratuitum beneficium Christi applicetur nobis non propter nostra merita, sed gratis per solam fidem.

Rom. 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes.

Roma. 4. Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundū debitum. Ei uero qui non

non operatur, Sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur FIDES sua ad iusticiam, hoc est, credenti. Etiamsi non affert merita, tamen imputatur ei iusticia per fidem.

Galat. 2. Scientes quòd homo non iustificatur ex operibus legis, nisi per fidem &c.

Ephes. 2. Gratis saluati estis per FIDEM, idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, nè quis glorietur &c.

Acto. 13. In hoc omnis qui credit, iustificatur &c.

Præterea, iubemur certam & firmam adhibere fidem Christo & Euangelio eius, quia dubitatio est peccatum, & arguit Christum mendacij. Nunquàm autem possumus firmam adhibere fidem Euangelio Christi de gratuitâ remissione peccatorũ, si non contingeret nobis remissio, nisi benemeritis, si nõ applicaretur nobis, nisi operibus mereremur applicationem, quia nunquàm possemus cognoscere, quando satis esset meritorum. Quare ut firmam fidem possimus habere, uoluit Deus gratis applicare beneficium Christi sui, idq; per fidem, nòn per merita operum. Vnde Paulus Rom. 4. ait: Idcirco datur hæreditas, Ex FIDE, ut secundum gratiam firma sit promissio uniuerso semini &c.

Adhæc Christus manifestis miraculis testatus est, se applicare beneficium suum tantum per fidem, & Christi bona non nisi per fidẽ redimi posse. Matt. 9.

duo cæci audiunt: Creditis me hoc posse facere? Dicunt: Credimus Domine. Respondit: Iuxta fidem uestrã fiat uobis, & continuo receperunt uisum. Mat. 15. Mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Luc. 7. ad peccatricem: Fides tua te saluam fecit. Fuit enim Christus omnibus expositus ad præstandã corporalem sanitatem & spiritualem. Nam præstabat corporalem sanitatem, ut confirmaret Euangelium suum de conferenda per ipsum spirituali sanitate. Venite (inquit) ad me omnes qui laboratis & onerati estis, et ego reficillabo uos. Hãc promissionẽ Christus tã firmiter seruauit, ut ubi nulla fuit fides, ibi nulla ederet miracula. Et ubi uel parua esset fides, ibi sineret homines frui suis beneficijs. Mar. 6 Paucos infirmos sanabat in patria, qui credebant. Reliquos nõ sanabat. Additur enim: Propter incredulitatẽ eorum. Marc. 9. Parum credit pater pueri insani, & tamen applicatur ei beneficium Christi, quia dicit: Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Ioan. 4. Regulus non rectè credit, Credit tamen aliquo modo, & accipit beneficium Christi. Quare sola fides ea est, per quam redimimus beneficium Christi, & qua applicatur nobis gratuita Christi remissio, ac imputatur iusticia eius. Hic uero labor, hoc opus, ut uerã fidem consequamur, ut eam retineamus & confirmemus, ut uocationi fidei obediamus:

De qua re postea.

HOMILIA

HOMILIA SEPTIMA.

ABsoluimus superioribus diebus, diuina clementia, quæ erant absoluenda, Reuertamur ergo ad propositum nostrum argumentum de pœnitentia. Diximus autem proximè nos sola fide redimere beneficium Christi. Discamus igitur nunc quomodo hanc fidem consequamur, & retineamus. Cùm autem hîc loquimur de fide, nõ intelligamus nos loqui de fide diabolica, sicut Iacobus ait, quòd etiam dæmones credunt, & contremiscunt. Sed loquimur de uera Christiana fide. Hæc fides, primum omniũ exigit specialiter ut credamus, q, Iesus sit uerus ille Christus, qui Patriarchis promissus est, & quem prædicauerunt Prophetæ. Hoc autẽ non sufficit, quia etiam diaboli hoc credunt, non tamen iustificãtur nec saluantur, Sed requiritur ut credamus & confidamus, quòd hic Christus sit nostra iusticia, sanctificatio, sapientia & redemptio, nimiriũ quòd uerè illud officium in nobis exerceat, quod Prophetæ de eo adnunciauerunt, ut sit expiatio peccatorum nostrorum, propiciatio & uita nostra, propter quem adoptamur in filios Dei, & consequimur æternam fœlicitatem. Sic de fide docet Ioan. cap. 20. Multa fecit Iesus. Et mox: Hæc autem scripta sunt, ut credatis quòd Iesus est Christus filius Dei, & ut creden-

tes uitam habeatis per nomen eius. Similiter Petrus Act. 2. Certo sciat domus Israel, q. Deus hunc Iesum fecerit Dominum & Christum, nec sit aliud nomen datum sub cœlo in quo oportet homines saluos fieri.

Vnde ergo hæc fides accipitur? num ex humana ratione, aut propagatione parentum? Nequaquàm. Non nascitur nobiscum, nec acquiritur humana prudentia, Sed est donum diuinum. Datur à Deo. Matth. 16. cùm Petrus confessus esset hanc fidem: Tu es Christus Filius Dei uiui, audit à Christo, Caro & sanguis nō reuelauit tibi, Sed Pater meus qui est in cœlis. Et Ioan. 1. Qui non ex sanguinibus, nec ex uoluntate uiri, nec ex uoluntate carnis, sed ex Deo nati sunt &c. Quid igitur? Num quia datur diuinitus, datur sine ullo organo aut medio, Sed sufficit ut sedeas in angulum, & expectes cœlestes reuelationes? Minimè. Potest quidem Deus dona sua dare sine omni externo orgāno, quia est omnipotens, & nō est per se alligatus ad creaturas suas: Sed quam ipse ordinationē instituit, qua effundat sua dona in homines, eam etiam communiter seruare solet. Posset homines creare sine patre & matre, sed dat uitam hominibus per parentes. Posset pacem seruare, & tueri publicā tranquillitatem sine magistratu, Sed ordinauit magistratum pro organo. Posset poma creare sine arbore, aut etiam sine rigatione. Sed ordinauit ut plantetur & rigetur. Sic in danda uerā fide, posset nullis prorsum

sum organis uti, sed uoluit & ordinauit, ut ministrè essent cooperarij eius. Ego plantaui (inquit Paulus) Apollo rigauit, Sed Deus dedit incrementum &c. Quare sentiamus Deum per sua ordinaria organa dare nobis, & confirmare in nobis fidem.

Primùm ergo Deus dat fidem per prædicationem Euangelij sui de Christo Filio suo. Roma. 10. Fides ex auditu est, Auditus autem per uerbum Dei. Quomodo credent, de quo non audierunt? Quomodo audient absq; prædicante? 1. Corinth. 3. Quis est Paulus, quis Apollo? Ministri sunt, per quos credidistis. Roma. 1. Euãgelion est potentia Dei ad salutẽ omni credenti. Galat. 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis. 1. Thessal. 2. Agimus gratias Deo indesinenter, quòd cum acceperitis sermonem à nobis, quo discebatis Deum, accepistis non sermonem hominum, sed sicut uerè erat sermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus. Acto. 10. Gentes ex prædicatione Petri concipiunt fidem, & accipiunt Spiritum sanctum. Etsi enim nõ omnes, qui audiunt Euangeliũ, credunt, tamẽ prædicatio & auditus est ordinariũ organon quo datur fides. Sicut non omnis locus agri, in quo proïjcitur semẽ, fert fructũ, tamen ubicunq; fructus fertur, ibi semen proiectum est. Sicut manifestè docet parabola de semine, quorũ aliud cecidit iuxta uiam, aliud inter spinas &c. Matthæi 13. Quare ad consequendam, retinendã & con-

firmandam ueram fidem in Christum, necessariũ est, ut diligenter audias concionem Euangelij de Christo. Hactenus auditus concionis reputatus fuit pro tali cultu, quo nos Deo aliquid offeramus, & cuius fãcto mereamur gratiam Dei & remissionẽ peccatorum. Non est autẽ talis cultus, quo nos aliquid Deo damus, Sed quo Deus ipse dat nobis sua dona. Ideoq; non est numeranda copia concionũ quas audiuimus, sed ponderandus est fructus. Nõ sufficit adstare tantũ in concione, & uagari mente per agros & fora, Sed necesse est ut attentum animũ afferas, quo Spiritus sanctus habeat organon aperiendi cor, & infundendi ueram fidem. Non qui multa, sed qui multum audit, bene in concione proficit. Quare sicut antea ostendimus, necessarium nobis esse ad contritionem, ut audiamus decalogum de Lege Domini, ita nunc manifestum est, quòd ad fidem habendam necessarium sit, ut audiamus conciones de Euangelio Christi. Non igitur ueram agunt pœnitentiam, non iustificantur coram Deo, qui contemnunt conciones, aut adstant sicut asini ad lyram.

Quod superest, sequenti Homilia persequemur.

HOMILIA

HOMILIA OCTAVA.

EXposuimus nuper, quòd reputemur iusti coram Deo sola fide propter Christum, seu quòd redimamus & applicemus nobis beneficia Christi tantum per fidem seu fiduciam. Et docuimus hanc fidem contingere nobis per prædicationem Euangelij. Ergo ad pœnitentiam & ad fidem habendam & sequendam necessarius est auditus Euangelij. Dices ergo: Si fide iustificamur, & consequimur fidem per Euangelij concionẽ, ad quid baptisamur? quid necessarium est ut sumamus baptismum, si omnia peraguntur fide? Dicamus igitur nunc de Baptismo, qui & ipse necessarius est ad ueram pœnitentiam. Sed quomodo? Baptismus non est necessarius hac ratione, quòd sit meritum ex opere operato, quo homo reputetur coram Deo iustus & saluetur. Sicut enim Circũcisio per se non iustificabat, ita nec Baptismi ceremonia per se iustificat hominẽ, Sed est ideo necessarius, quia est diuinitus institutus ad confirmandã fidem, qua sola reputamur iusti. Nã Baptismus est ceremonia instituta à Christo, qua is qui credit Euangelio Christi, cõsecratur in ea bona, quæ ei per Euangelium in Christo promittuntur, ut in fide sua confirmetur, & hoc sigillo certus fiat, Deum Patrem esse ipsi propicium propter Fi-

lium, & sanctificare ipsum Spiritu sancto suo. Diximus enim supra, quòd sola fide iustificemur. Multum autem refert, ut fidem ueram & certam habeamus. Quare ad confirmándam fidem institutũ est Sacramentũ baptismi. In rebus ciuilibus sponsus ducit sponsam non uerbis tantum, sed etiam signo. Coniugium publicis ceremonijs consecratur. Quam ob causam? Propter coniuges & liberos & hæreditatem, ut si quis uellet eos accusare non esse legitimos, posset hoc confirmari publica consecratione. Item si quis tentatur in conscientia in aduersis, quasi DEO non esset acceptus in hoc uitæ genere, confirmat animum ex publica consecratione. Sic etiam dicendum est de Baptismo, Christus ducit credentem in sponsam, & despondet eam sibi hoc Sacramento, ut si Satan tentãrit conscientiã, possimus ex baptismo eam confirmare. Item in electione Regis, non tantum dicitur: tu sis Rex, sed cõsecratur publicis ceremonijs, sicut Dauid & alij Reges. Consecrantur autem reges, ut populus sciat quem Regem agnoscere debeat, & ipse quoq; rex cõfirmetur animo suo ad suscipiendam gubernationem regni. Sic credens eligitur in Regem cœlestem. Consecratur autem Baptismo in hoc regnum, ut sit munitus aduersus Satanam in tentationibus, & ut admoneatur de sua functione. 1. Petr. 3. Baptismus non est ablutio corporalium sordium, sed est stipulatio bonæ conscientiæ coram Deo per resurrectionem.

ctionem. Sed quid? Si lapsi fuerimus aut defecerimus à Christo, num postea reuertentes debemus iterum baptisari? Nequaquàm. Sicut nec coniuges reconciliati, nec reges in exilium electi, & postea reduces iterũ consecrantur: ita nec lapsi reuertentes iterum debent baptisari. Sicut nec lapsi in ueteri Testamento iterum circumcidebantur. Sufficit prior baptismus, quia etsi nos recedimus à pacto, tamen manet Christus in pacto firmus. Et si reuersi fuerimus, fruemur iterum eo pacto. 2. Timot. 2. Si negamus, & ille negabit nos. Si incredulisumus, ille fidelis manet, negare seipsum non potest, Si, uidelicet, reuersi fuerimus. Sicut si Sem ex Arca desiluisset, arca manssisset quidem firma, sed ipse periisset, si non esset reuersus. Nã reuersus posset iterum recipi & seruari. Sic Baptismus arca nostra est, ut Petrus ait. Quare resipiscentes recurramus ad baptismum, renouemus eum in memoriam, ut fidem confirmemus, & ex fide ueram iusticiam habeamus propter Christum. De baptismo infantium aliàs.

HOMILIA NONA.

Dominica superiori audiuimus de Baptismo in genere. Dicamus ergo hodie de infantiũ Baptismo. Ostendimus enim quòd baptismus non faciat per se hominem Christianum,

sed consecret eum qui antè ex Euangelio per fidem factus est Christianus, in cœlestia bona, & confirmet fidem eius. Sicut coronatio non facit per se regem, sed regem antea electum consecrat & confirmat. Similiter benedictio nuptiarum non facit sponsos & sponsas, Sed contractum antea coniugium consecrat & confirmat. Ita & de baptismo sentiendũ est. Quid ergo dicemus? Infantes non percipiunt Euangelium, nec uidentur fidem habere. Ergo etiam nõ uidentur esse baptisandi? Hîc respondendum erit. Primùm, Consuetudo baptisandi infantes non est recens excogitata, sed tradunt scriptores, Augustinus & Origenes, quòd sit traditio Apostolica, & iam inde usq; ab Apostolorum temporibus usitata. Deinde etsi infantes in Ecclesia Christi nondũ habent usum rationis, tamẽ negari nõ potest, quin Spiritus sanctus habeat in eis suas operationes, & infundat eis fidẽ pro suo modo, non quidem qualẽ habent adulti, manifestam & reuelatam, sed qualem Deus agnoscit. Paulus dicit: Creaturam (etiam irrationalem) ingemiscere. Oseas dicit: Cœlos, terram, triticum clamare ad Deum & exaudiri. Hæc Deus uidet & intelligit, etiamsi nos nec audimus, nec intelligimus. Sic de infantibus in Ecclesia sentiendũ est. Primùm enim infantes sunt Deo ad perpetuam salutem & Regnum cœlorum accepti, non quidẽ sua innocentia, quia habent peccatum, sed misericordia Dei. Nemo autẽ est Deo acceptus

ptus sine Christo. Non enim est aliud nomen &c. Nemo autem fruitur Christo sine fide. Qui crediderit, seruabitur. Qui non crediderit, damnabitur. Ergo necesse est in infantibus spiritum sanctum efficacem esse, & fidem operari. Deinde Baptismus est Sacramentum, nõ quo homines Deo aliquid dant, sed quo Christus dat hominibus, & donat eis cœlestia bona, quia baptismus est stipulatio, sicut Petrus ait. Non est autem impossibile, sed facilimum, ut detur beneficium etiam non intelligẽti aut ignoranti. Sicut Matthæi 9. donatur paralytico nihil sentienti, remissio peccatorum. Sæpe infantibus donatur in cunis hæreditas, aut regnum, etiãsi non intelligant. Sic & in Ecclesia datur infantibus, etiam non intelligentibus, remissio peccatorum per baptismum. Tertiò, Ad quos pertinet promissio remissionis peccatorum & uitæ æternæ, ad eos pertinet etiam Sacramẽtum promissionis. Quia maior est promissio quàm Sacramentũ. Pertinet autem promissio ad infantes. Acto. 2. Vobis & filijs uestris &c. Item Lucæ 18. Sinite pueros ad me uenire, talium enim est Regnum cœlorum: Quare pertinet etiam ad eos Sacramẽtum baptismi. Non solum autem prodest baptismus infantibus, sed etiã prodest nobis adultis spectaculum baptismi infantium. Primùm, ut & nos de nostro baptismo admoneamur, & confirmemus fidem nostram, quòd acceperimus certam promissionem gratiæ Dei. Deinde

ut parentes admoneantur quanto ſtudio curare debeant, ne pueri eorum amittant gratiam baptiſmi. Chriſtus dicit: Nō eſt uolūtas Patris, ut pereat unus de paruulis iſtis. Magnū theſaurū acceperunt pueri in baptiſmo, uidelicet, adoptati ſunt in filios Dei, habent propicium Deum, habent ius cœleſtis regni. Dēt ergo operā parentes inuocatione nominis Dei & eruditione, ut quantum in ipſis eſt, pueri nō amittant hanc gratiam. Curatur tantum corporalis cibus pueris, multo magis curandus eſt cibus animæ. Solliciti ſunt de pane quem comedant pueri, non ſolliciti ſunt, num audiāt conciones, & quid diſcant. Hæc eſt præpoſtera cura, à qua debet baptiſmus infantiū parentes deterrere. Poſtremò admonentur omnes adulti, ne offendant paruulos execratione, turpiloquio & alijs uitijs, quia Chriſtus ait: Melius eſſet ut mola aſinaria ſuſpenderetur in collum &c. Horribile eſt quòd adulti non uereantur blaſphema, & turpia dicere & facere coram pueris. Non ſufficerent omnes lapides ad ſubmergēdos tales ſcādaliſatores. Quare præſtemus honeſtatem uitæ coram pueris & adoleſcentibus, ne pueri noſtri amittant gratiam baptiſmi, ſed maneant filij adoptati, & ſeruent propicium Deum, ut poſſideamus cum illis hæreditatem cœleſtis regni, Amen.

HOMILIA

HOMILIA DECIMA.

DIximus de Baptismo, Sequitur nunc aliud Sacramentum, quod uocamus Cœnam Dominicam. Pertinet & hoc Sacramentum ad pœnitentiam. Quomodo autẽ hoc intelligendum sit diligenter debemus cognoscere. Multum hic erratur. Alij putant opus ipsum sumptionis esse expiationem peccatorum. Alij fecerunt ex Cœna Missam, & sentiunt quòd sit sacrificiũ seu opus, cuius merito expientur peccata uiuorum & mortuorũ. Alij spectaculum faciunt ex una parte Sacramenti, & circũferunt ad placandum Deum. Hi sunt impij errores. Dicemus igitur quid sit Cœna dominica, & in quẽ usum instituta. Cœna igitur dominica, non est talis Cœna, in qua tantum panis & uinũ proponantur, sicut in ciuilibus cœnis, sed est Cœna spiritualis, instituta ab ipsomet Christo, in qua pane & uino exhibet & donat seu applicat nobis suũ ipsius corpus & sanguinem. Nam Christus uenit in hunc mundum, ut daret corpus suum pro nobis in cruce, & effunderet sanguinem suum in remissionem peccatorũ nostrorum. Hæc si prædicarentur tantũ uerbis, non ita nobis inculcarentur. Quare uoluit etiam signis suum corpus & sanguinem suũ donare & applicare. Sicut in ueteri Testamento cõcessit partem sacrificiorũ paci-

ficorum uulgo Israelitarum, ut cognoscerent se esse partem populi Dei. Instituit autem Christus non unã tantum speciem, sed ambas. Itaq; peccant qui alterã tantum distribuunt, & qui de ueritate eruditi unam tantum sumunt. Quod cùm ita se habeat, uidendum erit in quẽ usum Cœna sit instituta. Ac initio, non est instituta ut fiat Missa pro peccatis uiuorũ & mortuorum ex opere operato, quia Christus semel satisfecit pro peccatis. Deinde nõ est instituta, quòd ipsa sumptio sit expiatio propriorum peccatorum. Quia multi augent peccata sumptione. Tertiò, non est instituta pro corporali medicina, ad corporalẽ rerum benedictionem, sicut Missatores missauerunt pro fœlici partu, pro fœlici negociatione &c. Sed est instituta, ut sit confirmatio fidei, quia fides in pœnitẽtia habenda est. Ad confirmandã (inquam) fidem sumentis est instituta. Quia Christus dicit: Accipite & comedite, hoc est corpus &c: Vbi autem donatur corpus & sanguis Christi, ibi confirmatur fides. Itẽ ait: Hoc facite in mei memoriam. Mortem Domini adnunciabitis. Vbi autem adnunciabitur mors Domini & beneficia eius, ibi fides confirmatur. Quare Cœna dominica est medicina spiritualis, quæ confirmat imbecillem fidem. Quod ut rectè intelligamus exemplæ notanda sunt. Dixi Cœnam esse medicinam spiritualem, non corporalem. Exempli gratia. Est quidã sanus quidem corpore, sed pauper. Hîc accidit quòd tã

lis

lis non solum careat pecunia, uerumetiam fiat infirmus animo. Putat enim Deum se deseruisse, non respicere ipsum propter peccata, non esse ipsi clementē. Itaq; infirmo animo est. Huic proponitur sumenda Cœna dominica, non in corporalem medicinam, ut habeat fortunam consequendi pecuniam, sed in medicinam spiritualem, ut medeatur animo, ut certus fiat, Deum propicium esse propter Christū. Alius est corpore ægroto, & fit etiam animo ægroto, quia metuit ne sit à Deo derelictus propter peccata. Huic similiter Cœna est spiritualis medicina, nō ut medeatur corporis, sed animi imbecillitati. Alius affligitur horrore mortis, & metuit me morte pereat. Cœna igitur sumenda est, ut certificetur se in corpore Christi habere uitā, etiamsi moriatur. Itaq; Cœna est medicina spiritualis non corporalis &c. Deinde instituta est, ut cōseruet publicos congressus, & admoneat nos de conseruanda Ecclesia usq; ad nouissimū diem. Dicit enim Paulus: Mortem Domini adnuncietis, donec VENERIT. Ex his nunc intelligimus, quantū peccent hi qui rarissimè in decem aut duodecim annis uix semel accipiunt Cœnam dominicam. Non habent rationem salutis suæ, contemnunt Ecclesiam Christi, non conferunt operam suam, ut conseruetur adnunciatio mortis Domini. Ignaui semper habent suam excusationem. In hyeme nimium frigus, in æstate nimius calor. Aliquando pluuia aut nix. A festo Pa

schæ multæ dedicationes, postea fœnisecium, deinde meßis, postea autumnus. Interim Nundinæ: *Interim caput dolet ex hesterna crapula. Quid? non possumus extorquere, ut audias uerbum Domini, & efficeremus ut faceres, ac opere compleres? Profecto pereundum est nobis nisi alios induamus mores. Sed reuertamur ad Cœnam. Hæc certe sumenda est frequenter. Interea tamen curandum etiam est, ne indigne sumatur, quia dicit Paulus: Qui indigne sumit &c. Indigne autem sumit, qui est impœnitens, qui perseuerat in delictis suis contra conscientiam. Dixi enim antea, Cœnam esse spiritualem medicinam. Medicina autē non prodest mortuis, sed tantum uiuentibus ægrotis. Impœnitentes uero sunt mortui coram Deo. Ergo nō prodest eis sumptio huius Sacramenti, sed potius obest, fiunt rei corporis & sanguinis Christi. Quare agant pœnitentiā & concipiant ueram fidem, quam deinde confirment sumptione huius Sacramenti, qua etiam admoneantur de mutua dilectione, quam nobis inuicem in Christo debemus &c.*

HOMILIA

HOMILIA VNDECIMA.

IN agenda pœnitentia diximus necessarium esse, primum, ut agnoscamus peccata, ac doleamus & horreamus ea: deinde ut credamus peccata remitti propter Christum per fidē. Hæc aūt, uidelicet, agnitio seu detestatio peccati, & fides in Christum, nō possunt concipi humanis uiribus, sed sunt dona cœlestia, et dātur nobis diuinitus. Instituit autem Deus organa sua externa, ad cōmunicanda nobis ista dona & confirmanda, uidelicet prædicationem Decalogi & Euangelij. Item Sacramentum Baptismi, & Sacramentum Cœnæ dominicæ. Hæc enim non sunt talia opera, propter quorum merita expientur peccata, & reputemur iusti, Sed sunt organa quibus Deus dat nobis spiritum sanctum, qui operatur detestationem peccati, & largitur fidem in Christum, propter quem solum remittuntur nobis peccata. Atq; hæc quidē hactenus. Nūc discendum est quid deinceps debeamus facere, postquàm accepimus remissionem peccatorum, & reputamur iusti per fidem, & confirmamus fidem per Sacramenta. Nihil ne amplius ad agendam pœnitentiā necessarium est? Hic ergo considerandum, quòd ad accipiendam quidem remissionem peccatorum, & ueram coram Deo iusticiā, nihil amplius fieri potest,

Fide enim accipitur Christus, qui est totus noster cũ omni sua iusticia. Cùm igitur habemus fidem, & confirmati sumus in fide, nihil deest nobis ad remissionem peccatorum, & ad iusticiã coram Deo. Sed hoc opus, hic labor est, ut conseruemur in detestatione peccatorum, & in fidè Christi, & ut exerceamus iusticiam à Christo acceptam. Quare postquàm iustificati sumus per fidem, necessaria est obedientia erga Deum, in bonis operibus. OBEDIENTIA (inquam) erga Deum, ad facienda bona & perferenda mala, necessaria est. Sic Ioannes Baptista ait: Facite fructus qui deceant pœnitentiam, et ne sitis hac mente, ut dicatis, Patrem Abraham habemus. Sic & nos non debemus tantum dicere, habemus Christum, sed necesse est, ut accedat obedientia, quæ est fructus pœnitentiæ. Et Christus Matth. 7. ait: Omnis arbor bona, fructus bonos facit &c. Efficimur autem bona arbor per fidem. Ergo necesse habemus bonos fructus ferre, qui sunt bona opera diuinitus præcepta, seu obedientia quam debemus uerbo Dei. Præstanda autem est obedientia dupliciter. Vno modo in faciendis bonis quæ Deus præcepit. Alio modo in perferendis malis quæ Deus immisit. Vtrobiq; necessaria est obedientia. Ac primum de bonis operibus, quæ compendio extant in Decalogo. Non habebis alienos deos coram me. Hìc præcipitur ut nulli alteri ascribamus remissionem peccatorũ præterquàm misericordiæ Dei

per

per Christum exhibitæ. Ergo qui confidunt sua iusti cia, non agunt ueram pœnitentiã, sed sunt idolatræ. Non assumes nomen Domini &c. Hîc præcipitur ut celebremus et laudemus nomẽ Dei Patris per Iesum Christum, ut solum Deum per Iesum Christum inuo cemus, & abstineamus ab inuocatione mortuorum, & à blasphemijs nominis Dei. Sabbatum sanctifices. Hîc præcipitur ut unusquisq; suam operam cõferat, quò Euangelium Christi adnuncietur, Concionator, Magistratus, Paterfamilias etc. Honora parentes. Et reliqua præcepta percurrenda sunt, ut bona opera faciamus. Hæc autem bona opera non sunt frigido a= nimo faciẽda, sed maximo animi ardore. Rom. 6. Ne regnet peccatum in mortali uestro corpore, ut obe diatis ei &c. Iubet Paulus nos dominari peccato. Do minatio autem non est ocium, sed negocium. An non uides, quòd is, cui alter conatur dominationẽ unius etiã oboli auferre, soleat cœlum terræ miscere? Nul= lus, non magistratus tantũ, sed etiam paterfamilias, potest ferre in domo sua alienum dominum, quẽ & excutit, quibuscunq; uiribus potest. Ita nos nõ debe mus ferre in corpore nostro dominiũ peccati. Et ad Titum capite 2. Christus dedit semetipsum pro no= bis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, et purifica ret sibi ipsi populum peculiarem ζηλώτην bono= rum operum. Scimus autem quantam uehementiam complectatur in se zelus. Vide exemplum Phinees.

Obserua exemplum zelotyporum etc. Non est leuis affectus, sed uehementissimus. Tali affectu debemus ferri ad bona opera. Deinde debemus obedientiam præstare Deo in perferendis malis, non tantum in faciendis bonis. Necessarium enim est, ut si quando mala inciderint, non murmuremus aduersus Deum, nō faciamus mala ad excutiēda aduersa, sed cogitemus, Deum esse autorem afflictionis: inuocemus nomen Dei, & perseueremus in uocatiōe & officio nostro. Hæc omnia ad pœnitentiam necessaria sunt. Dices. Ad quid hæc obedientia præstanda est, cum tamen nec possumus Legem Dei implere nostra obedientia, nec possumus nostris operibus peccata expiare? Hîc cognoscendum est, quòd non debeamus hac opinione facere bona opera, ut existimemus nos implere Legem Dei perfectè, et expiare peccata. Sed sunt aliæ causæ, propter quas debemus Deo obedientiam præstare. Primùm, quia Deus præcepit, ut bona faciamus, & mala patienter perferamus. Debemus autem Deo autori uitæ nostræ, & redemptori nostro omnem reuerentiam, & omnia officia nostra. Paulus ait: Debitores sumus Dei, non carnis. Et Christus: Hoc est mandatum meum, ut diligatis uos inuicem. Et 1. Thess 4. Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio uestra, abstinere à scortatione &c. Deinde nisi bona faciamus, non retinemus Christum, fidem, spiritum sanctum. Itaq; amittimus remissionem peccatorū & uitam

tam æternam. Roma 8. Si secundum carnem uiuetis, moriemini, Et 1. Timoth. 6. Si quis suorũ & maximè domesticorum curam non habet, fidẽ abnegauit, & est infideli deterior. 1. Corin. 6. Ne erretis, nec scortatores, nec idolatræ, possidebunt regnum Dei &c. 1. Ioan. 3. Qui peccat ex Diabolo est, &c. Postremo habent bona opera etiam sua præmia. Non merentur remissionem peccatorum & uitam æternam, sed merentur alia præmia in terra & in cœlo. Mar. 10. Recipiunt centuplum in hac uita, & post hanc uitã æternam &c. Matth. 10. Qui dederit potum uni ex minimis, non perdet mercedẽ suam &c. Date & dabitur uobis. 1. Timoth. 4. Pietas habet promissiones præsentis & æternæ uitæ &c. Quare etiamsi bona opera nec implẽt Legem, nec expiant peccata, tamen facienda sunt, quòd Deus ea præcipit, & ne amittamus Christum, & ut accipiamus sua præmia. Habes paucis rationem pœnitentiæ quæ in his consistit, ut agnoscamus & detestemur peccata, ut credamus remitti peccata tantũ propter Christum. Ideoq; audiendæ sunt conciones Legis & Euangelij, & accipienda Sacramenta. Postremò, ut bona faciamus, & mala patienter feramus in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus laudandus in secula, Amen.

HOMILIAE TRES DE Passione Domini nostri Iesu Christi. Quarum prima de causis Passionis tractat.



SVperioribus annis charitati uestræ sæpenumero Passionis Dominicæ historiam, pro mediocritate nostra exposuimus, unde ex frequenti auditu, nemini ferè non cognita est. Quis enim nescit, Christũ à Iuda esse proditũ, in horto captum, ad Annam & Caiapham ductum,

ctum, à Petro negatum, ab Herode spretum, à Pilato cruci adiudicatum, in cruce mortuum, & postea sepultum, nouissimè autem tertia die iterum à morte resurrexisse? Cui hæc ex frequenti in Ecclesia tractatione ignota sunt? Proinde nos hoc tempore ordinē historiæ passionis intermittentes, argumenta quædā ad usum & fructum passionis spectantia, tribus Homilijs (quas Passioni dedicauimus) tractaturi sumus, ut ex his, quantus nobis bonorum thesaurus sit Christi Passio, cognoscamus. Primùm autē Passionis Christi causas inquiremus: in his enim non minimus Passionis fructus latet. Deinde exponemus, nō propriè Iudæos, ut Annam & Caiapham, ut Pilatum & alios, Christum crucifixisse, quanquàm externum ministerium ad Passionis opus præbuerint, sed NOS peccatores, eos esse, qui tam crudeli & probrosa morte Christum affecerimus: ex his enim in cognitionē nostri ducemur. Postremò declarabimus Dominū Deum nostrum, Passione Christi filij sui manifestasse iram suam grauissimam super peccata, Et misericordiam suam liberalissimam super peccatores Resipiscentes. Hæc si ex ordine cognouerimus, satis sufficienterq; nobis usus & fructus Passionis Dominicæ commendabitur.

Principio autem diximus nos Passionis causas inuestigaturos: hoc nemo sic accipere debet, quasi conemur temerario ausu in secreta iudicia Dei irrum-

pere, & abſcondita maieſtatis eius inueſtigare, ne nobis illud Pro.25.occinatur. Sicut qui mel comedit multũ, non eſt ei bonũ. Ita qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria. Et Paulus: O homo tu quis es, qui ex aduerſo reſpondes Deo? Num dicet figmentum ei, qui finxit, cur me finxiſti ad hunc modum? Secreta ergo iudicia Dei omittentes, eas cauſas inueſtigabimus, quas nobis ipſemet Dominus noſter Ieſus Chriſtus aperuit, & quas cognoſcere, non tam utile, quàm neceſſarium fuerit. Sic autem legimus Matthæi capite decimoſexto: Ex eo tempore cœpit Ieſus indicare diſcioulis ſuis, quòd oporteret ipſum proficiſci Hieroſolymam, ac multa pati à ſenioribus, principibus ſacerdotum, & ſcribis, & occidi, tertia autem die iterum reſuſcitari. Et poſtea: Filius hominis uadit, ſicut ſcriptum eſt de illo. Et iterum: Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ Prophetarum? Item: Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis. Oportet (inquit) filium hominis abire Hieroſolymam, & multa pati à ſacerdotibus. oportet Chriſtum pati. Quare? additur: Quia ſic ſcriptum eſt: Vt ſcripturæ complerentur. Quæ ſcripturæ? Legis & Prophetarum. In Lege enim (quemadmodum Epiſtola ad Hebræos docet) uaria ſunt præſcripta ſacrificia & holocauſta, quæ conſtabant ſanguine taurorum & hircorum. Sed illa non poterant peccata expiare: aliud ergo ſacrificium

crificium significârunt, nempe oblationem corporis Domini nostri Iesu Christi. Vnde Psalmo 39. dicit Christus: Non placent tibi holocausta & sacrificia, aures autem aperuisti mihi. Non requiris, nec holocausta, nec uictimas. Tunc dixi: Ecce uenio, In libro scriptum est de me, placet mihi, ut faciam uoluntatem tuam, & lex tua in uisceribus meis. Vbicunq; igitur Lex, sacrificia & holocausta pro peccatis præscribit, ibi uolũtas Dei manifestatur, quòd Iesus Christus Filius Dei Passione sua ueram oblationem facere debeat. Ad Prophetas uenio, in quibus spiritu diuino Passio Christi præsentissimè ob oculos posita est. Psal. 15. Non derelinques animam meam in inferno. Psalmo 21. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Psal. 68. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Item Esaiæ 53. Ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Danielis capite nono: Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus. Zachariæ capite decimotertio: Framea suscitare super pastorem meũ, & super uirum cohærẽtem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem, & dispergentur oues gregis. Quid hoc? (inquies): tantûmne laboris, sudoris, doloris, passionis, & aduersitatis Christus subijt, ut scripturas impleret?

Quin potius curauit, ut aut nõ scriberetur, aut scriptum aboleretur? hoc enim facilius fuisset, quàm tanta sustinere tormenta? Tu uero, quisquis es, qui ex aduerso respondes, memineris, obsecro, Christũ non propter literas illas, et syllabas scripturæ, tãtum doloris subijsse, sed propter uoluntatem Dei in scriptura manifestatam. Passus enim est, quia sic scriptum est: Sic scriptum est, quia Deus sic uoluit. Voluntas ergo Dei Christum in tantas calamitates pertraxit, ad præstandam Patri suo obedientiam. Factus est (inquit Paulus) ei obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Et Ioan. cap. 6. Meus cibus est, ut faciam quod uult is, qui misit me, ut perficiam opus eius. Et descendi de cœlo, ut faciam, non quod ego uolo, sed quod uult is qui misit me. Hæc est autem uoluntas eius, qui misit me, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die. Non possum autem seruare, nisi per mortem & crucem. Voluntas ergo Dei est, ut patiar & crucifigar. Ex his colligendum nobis est, quanta sit Christi obedientia, quanta rursus nostra sit inobedientia. Vt Christus uoluntati paternæ in scriptura reuelatæ obediret, quid fecit? Reliquit cœlum, & ingressus est terram, Hoc est, reliquit Paradisum, & ingressus est inferni dolores: Reliquit gaudium, & assumpsit tristitiam: Reliquit Gloriam, & assumpsit ignominiam: Reliquit Angelorum seruitutem & adorationem,

& subijt

& subijt peßimorum hominum contemptum. Breuiter, uitam posthabuit, & accepit mortem. Cur hoc? Tantum, ut uoluntati diuinæ obediret. Itaque quando tantam præstitit obedientiam, exauditus est pro reuerentia, & perfectus est redditus, ut omnibus qui ei obedirent, causa æternæ salutis esset. Adhæc, quia factus est obediens usq; ad mortem, mortē autem crucis, Ideo Deus eum extulit in summam sublimitatem, ac donauit ei nomen, quod est super omne nomen &c. Quid uero nos? quanta nostra est inobedientia? Nam & Dominus Deus noster præceptis & mandatis suis uoluntatem suam nobis manifestauit, & requirit à nobis obedientiam. Vult autem præceptis suis, non ut relinquamus cœlum, sed tantum ut terrenam uoluptatem relinquamus, dicens: Non committas adulterium, Non concupiscas. Vult ut paruam gloriam, eamq; humanam, relinquamus. Mihi (inquit) uindictam, & ego retribuam. Vult ut paruum bonum dispergamus propter ipsum, monens, ut pauperes iuuemus. Vult ut paruum lucellum contemnamus, iubens, ne proximum nostrum decipiamus. Et si multum, uult ut uitam, quæ nec nostra est, nec diu duratura, citius relinquamus, quàm ut uoluntati eius non satisfaciamus, dicens: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere &c. Sed quotus quisq; est, qui huic diuinæ uoluntati obediat? Quis nō potius sectaretur

uoluptatem, gloriam, diuitias, lucrum & uitam corporalem, quàm uoluntatem Dei? Quid igitur nobis erit? Christus obedientia sua exauditus est. Nos inobedientia nostra abijciemur, & surdas pulsabimus Dei aures. Christus obedientia sua meritus est nomen super omne nomẽ, ut in nomine IESV flectantur genua cœlestium, terrestrium & infernorum. Nos inobedientia nostra meremur Nomen infra omne nomen, ut in nomine nostro ad irrisionem, contemptum, conculcationem nostri, prouocentur omnes superi, terrestres & inferi. Quis nos à uẽtura ira liberabit? Quis nos ab immimentibus periculis eripiet? qui inobedientia nostra, tam longè à Dei fauore absumus, quàm propè Christus obediẽtia sua ad fauorem Dei acceßit. Qui autem à fauore Dei abest, nonne priuatus est omnibus bonis cœlestibus, & circundatus omnibus malis infernalibus? O iterum, terq; quaterq; miseros. Quis nos ab inferni malis eripiet? Sed age, his perditis rebus adhuc consilium inueniri posset, si inobedientiam tuam uel tandem in obedientiam commutares, ut sicut Christus factus est Deo Patri suo obediens usq; ad turpißimam crucem, ita tu uoluntati diuinæ per Christum Iesum obsequaris.

Primam Paßionis causam audiuimus, uidelicet, ut scriptura impleretur, imò potius, ut uoluntas Dei perficeretur, quæ per scripturam est manifestata.

Priusquàm

Priusquàm autem ad alteram causam progrediamur, occurrendum est carnis curiositati, quæ hac in re nimis morosa est. Non enim contenta est scire, quòd Deus sic uoluerit, quòd diuinæ uoluntati sic placuerit, quòd ex eodẽ beneplacito sic scripturis comprehensum sit, Sed ultra inquirit, quæ sint causæ huius diuini beneplaciti, & quæ sint rationes huius diuinæ uoluntatis. Potuit (inquit) Deus, præseruare hominem, ne caderet in peccatũ. Potuit cùm cecidisset homo, uel nutu eum liberare, nec fuisset opus passione Christi ad liberationem hominis. Cur igitur, & qua de causa placuit ei hoc consiliũ, ut filium suum in orbem mitteret, & in passiones crucis conijceret? Ad hæc nihil aliud respondemus, quàm Pauli uocẽ dicentis: Tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo? Nunquid dicet figmentũ ei qui finxit, cur me sic feci sti? Putas ne Deum esse captiuum tuum, ut cogatur omnium suorum factorum, tibi omnium insipientissimo rationem reddere? Non fert magistratus ciuilis, ut subditi omnium suorum factorum rationes sollicitius inquirant, Et maiestas diuina tuam inquirendi importunitatem ferret? Nam finge Deum tibi rationes suas aperire, cur hominem in peccatum cadere permiserit, quid tum postea? Num putas te intellecturum? At non intelligis, si quis tecum Gallicè aut Italicè loquatur, & intelligeres, si Deus diuinè tecum loqueretur? Num putas eam scientiam

in ædificationem cessuram? At uidemus quanta arrogantia insufflemur, si saltem paruo aliquo dono præproximis nostris donati simus, quid igitur faceremus, si secretorum illorum diuinorum conscij essemus? Certe quantum in nobis esset, conaremur etiam supra Deum dominari. Nostro igitur bono, hæc res nobis abscondita est, ut cum ad hanc diuinæ maiestatis abyssum peruenianmus, cũ Paulo exclamemus: O profunditatẽ diuitiarum, & sapientiæ, & cognitionis Dei, quàm imperscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Ad hanc (inquam) maiestatem appellandũ est, tunc, cum curiosè inquiruntur causæ, propter quas Deus hominem, quem optimum fecerat, permiserit peßimum fieri, & in peccatum labi, ut Redemptione Christi egeret. Post uero lapsum & perpetratum peccatum, causas inquirere, cur Deus uoluerit hominem paßione unigeniti filij sui, è peccatis & morte redimere, non est curiositas, sed utilitas & neceßitas.

Altera igitur causa Paßionis Christi est, post lapsum hominis, atq; adeo propterea uoluit Deus filium suum unigenitum omnibus aduersis obrui, ut in filio suo omnibus hominibus bonam suam uoluntatem, & præsentem gratiam in aduersis ostenderet, atq; declararet. Nam postquàm Adam peccasset, expulsus est è paradisi gaudio, & coniectus est in terrestres miserias, quas deinde transmisit in omnes, a-

deoq;

deoq; præcipuos suos posteros. Vide enim quantis miserijs iactatus fuerit Abel, quantis Moses, quantis Dauid, quantis Prophetæ, quantis denique omnes pij. In tantis igitur afflictionibus, quis potuisset bonam Dei uoluntatem erga homines uel suspicari? Quis uidens, magis pios, magis etiam affligi, potuisset credere Deum humana curare, nedum gratia sua præsentem esse? Nonne cogitationi humanæ irrepere potuit, Deum omnino terram dereliquisse, & homines abiecisse? Quanquàm enim promiserat conterendum esse caput serpentis per semen mulieris: Quanquàm item dicebat ad Abrahamum: Ego sum Dominus Deus tuus, & seminis tui, tamen interea ad tot aduersa conniuens, quis non mendacium iudicasset? ut igitur toti terrarum orbi certissimo argumento declararetur, quòd bonam gerat erga homines uoluntatem in afflictionibus, quòd complacitum ei sit in passionibus, Filium suum unigenitum in extremas possiones coniecit, eo ipso ueluti sigillo obsignans, Passiones esse in conspectu Dei sanctas, id quod tamen nemo hominum hactenus fideli corde acceptare uoluit. Non potuit hanc uoluntatem tam efficaciter declarare uerbo promissionis. Nondũ enim uerbum, rationi aduersum, credibile apparet, Nec potuit illam ad plenum in Sanctis declarare: Nam & Sancti sunt peccatores. Proinde si affligebantur, certè non ex furore Domini, sed ex ira super peccata

affligi uidebantur. Etiamsi enim Dauid, aut alius quispiam Sanctus, non est meritus malefacto suo, persecutionem Saulis, tamè meritus eam erat coram Deo peccato suo. Nihil igitur nec in cœlo, nec in terra commodius ad declarandam illam uoluntatem Dei inuentum est aliud, quàm unigenitus filius Dei. Etsi enim est Patri gratissimus, præterea nihil unquàm mali perpetrârit, ut & conceptio eius munda sit, ne dum opera, nihilominus tamen cùm maiora aduersa præ omnibus hominibus sustinuerit, manifestissimè declaratum est, Dominum Deum nostrum beneuolentissimam habere uoluntatem in afflictionibus, etiam in doloribus inferni. Nisi enim eam haberet mentem, nunquàm permisisset filium suum unigenitum tam crudeliter affligi. Nunc autem cùm uideamus & audiamus eum à proprio suo discipulo prodi, à reliquis abnegari, à proprio suo populo comprehendi, & ad mortem duci, quæ maiorem dolorem inferunt, quàm si tantæ aduersitates ab alienis contingerent, apertè cognoscimus, si à domesticis persecutionem patiamur, si pro benefactis mala sustineamus, Bonam esse Dei uoluntatem, cupientis nos per illa duci ad eum honorem, ad quem Iesum filium suum adduxit.

Adijciamus & tertiam ac præcipuam causam. Ideo enim Christus potissimum passus est, ut declararetur Veritas Dei. Nam Deus dixerat ad Adamum:

Quocunq;

Quocunq; die comederis de fructu arboris prohibitæ, morte morieris. Comederat ille, ideo morti obnoxius factus est, unà cum posteritate sua. Qui autem morti obnoxius est, is quoq; ad perpetuam damnationem pertinet: est enim Mors æternæ perditionis ianua. Quid igitur? Miseratus est Deus tot hominum perditionem, & tamen interea uoluit haberi uerax. Veritas quidem non permittebat, ut hominem saluaret, Misericordia uerò non permittebat ut hominem perderet. Excogitato itaq; consilio tentauit, si posset unum aliquem homine reperire, qui ingressus in Passiones & mortem, damnationem suo iure spoliaret: & tentauit quidè in Patriarchis, Abelo, Dauide, in Prophetis iniustè occisis, Sed hi ingressi in mortem, non potuerunt agere prædam à damnatione. Tandem igitur Filium suum misit, in quem cùm nihil iuris haberet damnatio propter innocentiam, & tamen in mortem ingressus fuerat, à qua admissus, ita rapuit omnia eius iura, ut quicũq; per fidem Christi membrum fiat, is unà cum Christo possit mortis iura effringere. Hac igitur ratione factum est, ut Deus hominem liberaret, & tamen uerax permaneret. Nisi enim Christus passus, & Passione sua mortis iura non perfregisset, non potuisset Deus uerax permanere, si nihilominus ex misericordia hominem saluasset. Nunc autem Passione Christi factum est, ut ita misericors esset, ne ueritatem

ſuam amitteret. Atq; hæ ſunt præcipuæ Paſſionis Dominicæ rationes, quas etiam fuſius in argumentis ſequentium concionum tractabimus. Nunc ob hanc Paſſionem Domino Deo noſtro gratias agamus, per Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA SECVNDA, IN QVA oſtenditur, quòd nos peccatores Chriſtum ſupplicio affecerimus.

AVDIVIMVS *heri cauſas, quæ mouerunt Dominum Deum noſtrum, ut Filium ſuum unigenitum crudeli & turpi mortis genere de terra tolleret. Hodie inquiremus Paſſionis eius autores præcipuos, qui tam innocentem ſanguinem effuderunt, ut cum inuenerimus, eos non propriè fuiſſe Iudæos, ut Caiapham, Annam, ſummoſq; Sacerdotes, nec Gentes, ut Milites & Pilatum, ſed* NOS PECCATORES, *in noſtri ipſorum agnitionem ducamur. Hæc enim ſcientia, uidelicet ſui ipſius Agnitio, ut eſt difficilimu, ita quoque ad iuſtificationem eſt neceſſaria. Quid enim cauſæ eſt, quòd tot Gentes, tot Turcæ, tot Iudæi, tot Hypocritæ Chriſtiani, tot ſcelerati, in toto terrarum orbe*

orbe, IESVM CHRISTVM *non agnoscant, non confiteantur, nisi quòd seipsos agnoscere nondum didicerunt? Hac igitur parte, cum Passionis Christi ueros autores inquisiuerimus, summam quoque scientiam perdiscemus, quæ est* SVI IPSIVS AGNITIO. *Principio autem, Dominum Deum Patrem esse autorem Passiõis Christi, neminem esse reor, qui inficias ierit. Nisi enim Pater annuisset, nisi Dominus ita decreuisset, ne pilus quidem potuisset Christo de capite suo dimoueri. Esaiæ cap. quinquagesimoquinto: Propter scelus populi mei percussi eum. Si enim pili capitis nostri sunt numerati, quanto magis Christi numerati fuere? At nunc non est, quòd solliciti hunc Autorem inquiramus. Illum enim heri, unà cum causis suis, quantum licebat, tractauimus. Vltra pergendum est, & inueniemus Iudam Apostolum, ipsum summis Principibus prodidisse, Ministros Pontificum comprehendisse & ligasse, ministrum Pontificis alapam dedisse: Annam & Caiapham ut Hæreticum condemnasse: Pilatum flagellis primùm, mox morti ut seditiosum adiudicasse: Milites crucifixisse: Numerabimus igitur & hos inter Passionis Christi autores & factores, seu, si ita mauis, ministros. Sic enim Euangelistæ scribunt, Et Apostoli Actorum capite quarto testantur, dicentes: Conuenerunt uerè aduersus Sanctum Filium tuum* IESVM, *quem unxerus, Hero-*

des simul, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Israel, ad faciendum quæcunq; manus tua, & consilium tuum prius decreuerat, ut fierent. Hinc factum est quòd hactenus in meditatione Passionis, uehementissima aduersus Iudam (quem & cantico quodam publico traduximus) & aduersus reliquos Iudæos ac Gentes, indignatione exarserimus, quòd tam innocentem, tam iustum uirum, tam optimè meritum hominem, iniquissimè tractarunt. Te uero, quisquis es, obsecro, ut hic paululum mihi pedem sistas, ne in lapidem offensionis impingas. Cur enim tu in hos conuitijs debaccheris, qui nunc mortui sunt? Cùm mortuis non nisi laruæ luctantur. Aut etiamsi uiuentes essent, quid in eos ira efferuesceres, quos patientissimè tulit Dominus noster IESVS CHRISTVS? Sicut enim ouis ad occisionem ductus est. Et sicut agnus coram tondente obmutuit. Et tantum abfuit, ut Christus procaciter aliquid aduersus ipsos loqueretur aut faceret, ut etiam Petro prohibuerit gladium educere, Et pronunciârit eos gladio perituros, qui gladio pugnârint. Insuper quoque Malchæ, cui auris sinistra abscissa erat, beneficerit. Quòd si in Petro non tulit gladij dimicationem, quomodo ferret à nobis insanas illas in mortuos debacchationes & dilacerationes? Caueamus potius hæc scelera, has iniquitates, quæ Iudæos & Gentes ad perpetrandum hoc facinus impulerunt.

Nam

Nam primùm quidem Satan immisit ad recuperandum damnum acceptum, in effusione unguenti, Iudæ proditori, ut Christum proderet. Quid ergo? Cùm hæc audis, cogita tibi uitandum esse proprium lucrum & commodum, ne propter illud etiam tu discas uendere Christum. Non enim uenditur Christus à Iuda tantum triginta denarijs. Iudas quidem mortuus est, nec potest amplius uendere Christum. Sed uenditur adhuc hodie, uel numo, uel quod minus est, quadrante. Si enim proximum tuum decipias, si ob lucrum tuum proximum in damnũ conijcias, scito te esse successorem Iudæ, & hæredem iniquitatis eius. Quemadmodum enim ille osculo filium hominis tradidit: Ita tu IESVM CHRISTVM in Christiano tradis, dum decipis eum suauiloquentia, & astutijs tuis, quibus lucrum tuum ab ipso emungis. Iam & Satan instigauit Pontifices aduersus Christum, ne pontificatum suum perderent, Et Iudæos reliquos, ut libidini suæ satisfacerent & inuidiæ. Sic & Pilatum, ne principatum suum amitteret: hos (inquam) instigauit, ut Christum occiderent. Tibi igitur cauendum est, ne & tu ob timorem amittendi principatus tui & muneris publici, Euangelium persequaris, aut impietatem sectaris. Si enim iniquè egeris aduersus Legem Domini, ob eam tantum causam, ne hominum fauorem perdas, ne tuis diuitijs, aut potentia maiestatis tuæ

destituaris, nihilo melior es, uel Caiapha, uel Pilato. Quid igitur sæuires in Caiapham & Pilatum? quin potius sæuias in scelera illa peßima, Auaricia m, inuidiam, libidinem dominandi, quæ & nonnunquàm tuam mentem peruertunt, ut Christum persequaris, hoc est, ut aliquid mali aduersus Legem Dei committas.

Tametsi autem inuenerimus nunc multos paßionis Christi autores, nondum tamen uerum & capitalem carnificem IESV CHRISTI attigimus. Fuit quidem & Deus pater (ut ante diximus) carnifex Christi filij sui unigeniti, Sed iuſtißimas ille habuit cauſas, atq; æquißimas, planéq; diuinas. Fuit & Satan, qui hoc horrendum facinus Iudæ & Pontificibus dictauit. Fuerunt & pontifices ac miniſtri eorum, paßionis Christi executores. Sed nec Satan, nec miniſtri eius, uel pilum potuiſſent ſuis conatibus, ſuis iniquitatibus capiti Christi mouere, niſi hanc poteſtatem aliunde accepiſſent. Finge eos uel ſexcenties inuidiores, auariores, regni cupidiores, adhuc tamen non est, quòd uel tantillum mali potuiſſent ſuis uiribus Chriſto inferre. Aliunde ergo poteſtatem acceperunt. A quo obſecro? A Domino DEO noſtro patre omnium. Sic enim Chriſtus ait: An non bibam poculum quod dedit mihi pater? Et hæc est hora ueſtra, ac poteſtas tenebrarum. Non haberes poteſtatem, niſi tibi deſuper data eſſet. Sed quis impulit

impulit Dominum Deum nostrum, ut tantam potestatem iniquis super unigenitum suum filium traderet, ac in mortem turpissimam conijceret? Nemo alius præter HOMINEM peccatis suis perditum. En nunc comprehendimus uerum illum & legitimum latronem ac carnificem Domini nostri IESV CHRISTI. Captus est, tenete fortiter, ducite caute, ne qua elabitur. En uides, EGO & TV, sumus illi nequam capitales, facinorosi latrones, qui peccatis nostris & iniquitatibus tantam parauimus Satanæ, & ministris eius Iudæis potestatẽ, ut potuerint Christum innocentissimum comprehendere, uincire & occidere. Quid ultra cantillas in Iudam, dicens: O Iuda miserrime, quid mali aduersus Christum designasti? Quin potius cantilenam in te uertas, & dicas, O homo, omnium creaturarũ miserrime, quàm facinorosus es nequam, qui flagitijs tuis unigenitum filium Dei ad mortem crudelissimã, turpissimamq; coegisti. Quid tantum potuisti committere scelus, quo innocentissimum omnium uirorum perderes? Itaq; cum audieris Iudam Christum prodidisse, Ministros Iudæorum comprehendisse, Pilatum crucis supplicio affecisse, cogita te omnium harum rerum capitalem autorem esse, & carnificem κοϱυφαῖον. Quare non indigneris aduersus Iudæos aut Gentes, Sed aduersus teipsum, tuaq; peccata, quibus effecisti, ut tam nefaria in Christum perpetrarentur.

Quis igitur te miserior, Quis te flagitiosior? Agnoscis nunc te ipsum? Didicisti quàm curta sit supellex tua? Quid enim aliud es, quàm proditor, quàm carnifex unigeniti, eiusdemq; innocentißimi filij DEI? Quid gloriaris, aut in quo superbis? Implora, obsecro, & inuoca ingentem Dei misericordiam, ut per Christum peccatis tuis ignoscat: hoc enim ipsa necessitate tibi magis necessarium est. De Iudæis scribitur prima Corinth. secundo, Si cognouissent, Dominum gloriæ nunquàm crucifixissent. Tu autem cognoscis, nihilominus crucifigis ipsum, proinde multo peior es Iudæis. Quòd autem peccatores toties Christum crucifigant, quoties peccant, legitur Hebræ. capite sexto: Crucifigentes Filium Dei ab integro &c.

Porrò, cùm inquisiuerimus, adeoq; comprehenderimus primarium Christi Domini nostri carnificem, & passionis eius legitimum autorem, hoc est, Nos ipsos peccatores, inquiremus quoq; eadem forma in nostris afflictionibus, quas nos ipsi patimur, autores præcipuos, ut & hinc discamus, nec Deo, nec aduersarijs nostris, sed nobis ipsis irasci, atq; ad resipiscentiam indignari. Nam Paulus scribit, quos Deus præsciuit, eos & præfiniuit, conformes imaginis filij sui. Et Petrus: Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremur uestigia eius. Vt igitur Christus passus est, ita & nos pati oportet,

portet, pro captiuitate seruitutes, pro cruce conuicia, blasphemias & ignominias, & tãdem quoq; mortem, si non turpem coram mundo, certè doloribus plenam. Quot autem Christus in sua Passione autores habuit, & inter hos κορυφαῖον peccatorem, tot habemus & nostrarum afflictionum autores, sed unum præcipuum, qui nomine suo EGO uocatur.

Primus Christi Passionis autor est Dominus Deus noster, qui iustissimis causis afflixit ipsum turpissima morte, Principio, ut scripturæ implerentur. Deinde, ut beneuolentiam suam in Passione Christi ostenderet. Postremò, ut uerax & misericors haberetur. Eisdem planè causis etiam alios homines, uarijs aduersis affligit, primùm ut scripturæ impleantur, quæ prædixerunt, pios Christo in Passione conformes fieri debere. Deinde ut in aduersis bonam suam uoluntatem declaret. Postremò, ut ueritatem suam confirmaret, qua peccatis pro stipendio, supplicia statuit. Non habes igitur causam indignandi aduersus Deum, quòd ad tuas afflictiones connueat, sed necessitatem habes obediendi, quando affligendo te non irascatur, sed potius faueat, id quod in Filio suo unigenito manifestè declarauit. Secundus est Satan, qui inuidia salutis tuæ, per afflictiones te à cœlestibus bonis proturbare conatur. Hîc tibi incumbit, non obediendi, sed resipiscendi necessitas. Non dico, ut afflictioni resistas, quæ est bona Dei uolun-

tas, sed uoluntati Satanicæ, quæ est impatientia, desperatio, ac cœlestium bonorum priuatio. Tertius autor est Aduersarius homo, cui Deus conniuet, quem Satan instigat ad affligendum te. Aduersus hunc ut conuitijs baccheris, omnino non licebit. Is enim afflictionis tuæ est minimus autor. Sed cum ad istud perueneris, ultrà pergas, ad inquirendum κορυφαῖον illum autorem, propter quem & Deus conniuet, & Satan potestatem accepit, ad inflammandos Aduersarios tuos homines, in tui perniciem. Tunc enim reperies quartum autorem, hoc est TEIPSVM, & peccata tua, quæ effecerunt, ut Deus uirga sua, tanquam filium suum castigaret. Virgam autem accepit Satanam & ministros eius. Tibi igitur ipsi indignator, tibi ipsi irascitor, quòd peccatis tuis Satanæ & ministris eius, potestatem tradideris affligendi te, tu enim tui ipsius præcipuus es carnifex. Quemadmodum enim in familia, filio peccanti, pater libenter parceret, si liceret, Sed quia filius peccauit, & seruus filium odio persequẽs (quem nunc pro Satana computabimus) peccatum filij coram patre accusat, Accipit igitur pater uirgam, qua filium ob peccatum corripit, non ex iracundia, sed ex fauore, pater enim filium, quem diligit, castigat. Quid ergo? Num filius indignabitur patri? At is ex beneuolentia corripit. Num seruo accusanti? Quanquàm is ex inuidia accusauit, tamen si filius non

non peccasset, seruus nullam habuisset occasionem accusandi. Num uirga? At illa minimè omnium in culpa est: uirga nihil effecisset, nisi fuisset in manus patris accepta. Cui igitur indignabitur? Nulli alteri, quàm sibiipsi peccanti. Ita in familia Domini Dei nostri, multi sunt peccantes, quibus Deus libenter parceret, si peccatoribus consultum esset, ut non affligerentur. Itaq; cùm afflictio disciplinæ Dei commodissima Schola sit, posteaquàm peccauit homo, accusat seruus malignus, qui est Satan. Hinc Dominus Deus noster seruo potestatem tradit nos per uirgam affligendi per ministros suos, homines nobis aduersarios. Cui igitur indignabimur? Nemini alteri, præterquàm nobis ipsis peccatoribus. Exempla habes in Iob & Dauide. Iob quãquàm fide coram Deo iustus erat, tamen adhuc erat reliquijs carnalibus infectus. Accusatur igitur corã Domino à Satana, quòd uideatur quidem iustus, sed tamen habeat latens peccatũ. Proinde tradit Dominus ei potestatem, ut affligat Iobem, Qui accepta potestate, per ministros suos Arabes, & per seipsum quoq;, uarijs Iobem calamitatibus affecit. Cui autem indignatur Iob? Num Deo? Id quidem postea facit, à Deo relictus, Sed ante illud, gratias etiam Deo agit. Num aduersarijs? Sed horum ne meminit quidem. Cui igitur indignatur? Nulli, præterquàm sibiipsi, Quòd miser de uulua matris egressus sit, quòd nudus in terrã uenerit,

& dignus tanta miseria fit Considerabimus & Dauidem. Peccauerat nimirum is adulterio & homicidio: proinde accipit Pater cœlestis uirgam, tradēs potestatem Satanæ, ut ipsum affligat, Qui instigans Absolonem filium, ut persequeretur Dauidē, Et Semei seruum, ut malediceret ei, effecit ut regno pelleretur. Cui indignaretur Dauid? Num Deo? At ab hoc etiam postulauerat, ut se corriperet, modò non in furore, nec in ira. Num Absolom & Semei? At alterum præcipit in bello seruari, de alterius maledictis ait: Smite, Deus præcepit ei, ut malediceret. Sibiipsi enim indignabatur, quòd peccatis suis tantorum malorum autor esset. Itaq; tum in Passione Christi, tum in afflictione nostra, culpam in nos, non in afflictionis ministros reijciamus. Sic enim fiet, ut ueniam delictorum per Iesum Christum consequamur, qui est Deus benedictus in secula,

AMEN.

HOMILIA

HOMILIA TERTIA, IN QVA NON solum de grauissima ira Dei erga peccata tractatur, sed etiam de liberalissima eius misericordia erga peccatores resipiscentes agitur.

PEruenimus tandem (dilectissimi) ad illud, quod est in Passione Dominica omnibus peccatoribus summè notandum, & alta mente reponendum, uidelicet, Christi Passionem declarare cùm crudelissimam Dei iram aduersus peccata, tum liberalissimã misericordiam eius erga resipiscentes peccatores. Atq; hæc res maximè omnium cognitu necessaria est. Tam facilè enim inter homines peccatur, tam ob leuiculas res aduersus Deum delinquitur, ut credas homines non credere peccatum esse peccatum, Deum esse peccati ultorem, esse infernum peccati supplicium: Tanta est delinquendi impudentia, tanta peccandi peruicatia. Adamum primum hominem cõsidera, qui paulò blandioribus uerbis uxoris suæ persuasus, contra præceptum Dei peccauit. Accipe ipsam Euam, quæ ob leuiculum animi desiderium, diuini præcepti oblita est. Quid dicam de Caino, qui nulla affectus iniuria, ex mera animi inuidia fratrem suum occidit? Perge ultrà ad homines qui ante Diluuium fuerunt, ad Sodomitas &

Gomorrhitas, nonne parua uoluptatis gratia, non diu etiam duraturæ, Legem Dei præuaricabantur? Iam & Saulem mihi accipe, cui leuiculâ erant mandata, & quæ alioqui in bello accidere solent, uidelicet, ut omnia Amalecitarũ perderet. Ille autem modicæ gloriolæ duntaxat captandæ gratia, aduersus mandatum Dei peccabat. Quid recenserem Dauidem adulterum & homicidam: quid reliquos Israelitas, cùm nobis in promptu sint exempla præsentis temporis? Nonne ob euanidum lucellum mentimur, decipimus, furamur & latrocinamur? Nonne ad explendam libidinem momentaneam fornicamur, adulterium & incestum committimus? Nonne ob nullam sæpe causam proximo inuidemus, detrahimus, conuitiamur ac blasphemamus? Et quis scelera nostra omnia enumerare potest? Vnde, obsecro, tanta delinquendi facilitas & impudentia oritur? Non aliam origimis causam existimauerim, quàm quòd homines nesciant, aut si sciant, non tamen credant, Deum tam crudelem erga peccata tyrannum esse, tam seuerum, tam graue scelerum ultorem esse, ut ea non solum corporali pœna, uerumetiam æterno supplicio afficiat. Vnusquisq; ferè cogitare solet, si coram mundo propter peccata sua impunitus euadat, se coram diuino iudicio facilè securitatem & impunitatem impetraturum. Sic enim apud Esaiam capite uigesimooctauo, impia corda loquuntur: Per

cussimus

cuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans, cùm tranſierit, non uenit ſuper nos. Et Ezechielis capite octauo: Certè uides fili hominis, quæ ſeniores domus Iſrael faciant in tenebris, unuſquiſq; in abſcondito cubilis ſui. Dicunt enim: Non uidet nos Dominus, dereliquit Dominus terram. Itaq; neceſſarium eſt, ut cognoſcatur, quanta ſit ira Dei ſuper peccata, ut ſi non dilectione Dei iuſta operari uolumus, certè grauitate ſupplicij moniti, minus peccemus. Et aliàs quidem Deus iram ſuam aduerſus peccata declarauit, primum Lege ſua. Lex enim iram operatur, dicens: Maledictus qui nõ permanet in uerbis Legis huius. Poſtea exemplis. Primùm diluuio, in quo præter octo homines, omnem terræ populum, ſiue pueros, ſiue ſeniores, ſiue mulieres, ſiue uiros perdidit. Deinde incendio Zodomæ & Gomorrhæ. Et iterum ſubmerſione exercitus Pharaonis. Poſtremò etiam deuaſtatione Regnorum Iſrael & Iuda. Ad priuatorum ſupplicia deſcendam. Nonne Chore, Dathan & Abiron ob murmur aduerſus Moſen terra uiuos diglutiuit? Nonne Saul, Achab, Iſabel, & reliqui impij Reges Iſrael, ob peccata ſua turpiter & miſerè perierunt? Nonne Nabuchodonoſor inſanus factus eſt propter cordis arrogantiam? Et Balthaſar gladio occubuit propter uiolentiam? His autem factis etſi iram ſuam declarauit aduerſus peccata, nõ tamen totam manifeſtauit,

sed duntaxat corporali supplicio, signum dedit æterno supplicio super peccata uĕturo. Nullus tamen hominum, uel ex hoc iram Dei conijcere uolebat, quòminus peccaret. Suspicabantur enim hæc supplicia Diluuij, Zodomorum & aliorum casu aliquo accidisse, uel alioqui Deum infensum fuisse hominibus, atq; ipsos supplicio affecisse, non propter peccata, sed ex odio aut inuidia, quam aduersus eas Gentes, pro sua libidine conceperat. Itaq; cum nec Lex, nec exĕpla publica, nec priuata, potuerint homines adducere, ut crederent iram Dei grauissimam, & seuerissimam esse aduersus peccata, commodissimus ad hanc rem declarandam uisus est unigenitus Dei Filius Dominus noster IESVS CHRISTVS, in quo manifestaretur ira Dei. Nam illum coniecit Deus in extrema mala, ut esset uirorum omniũ nouissimus, descendens tanquàm damnatissimus ad inferos, ad infimas partes terræ, hoc est, omnes afflictiones terrestres, ita ut clamet in cruce: Deus meus, ut quid me dereliquisti? Et in Psalmo uigesimo primo: Ego sum uermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Quare autem in tanta mala coniectus est? Num ideo, quòd ipse mali aliquid perpetrasset? Absit. Ipse enim peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Sed percussus est, propterea quòd alienorum peccatorum procurator & gestator esset. Psalm. 68. Opprobria opprobrantium

tium tibi ceciderunt super me. Et Ioannes Baptista: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Iam si Deus tam crudeliter affligit alienorum peccatorum gestatorem & procuratorem, quid faciet ipsi peccatori & factori? Et ut Christus ait: Si in humido ligno hæc fiunt, quid fiet in arido? Si Deus filio non pepercit, & parceret seruo? Si Deus iustissimo non pepercit, & parceret iniustissimis? Itaque ex tam crudeli afflictione, qua Filius Dei est affectus, uides seriam, seueram & grauem iram Dei aduersus peccata. Non enim potes suspicari, ne scintillulam quidem odij diuini erga Christum, quia Filius Dei est: nec uel tantillum inuidiæ, quia unigenitus Patris est, & tamen uides eum grauissimè afflictum. Quid igitur aliud hinc colligeremus, quàm maximam iram Dei erga peccata? Cùm autem iram Dei dico, nõ est quòd uanã rem intelligam. Non enim talis ira est, qualis hominum, quorum multi quidem irascuntur, multi autem non requirunt, nec sentiunt. Et sicut Esaias de Moab scribit, Quòd indignatio Moab maior sit fortitudine eius. Ita hominum ira sæpe maior esse solet, quàm uires. At quia Deus est omnipotens, ideo fieri non potest, ut non sit efficax. Verbo creauit cœlum & terram, & iratus nihil efficeret? Nutu regit omnia, & indignatio eius esset uana & irrita? Vis scire ubi tutus sis, si iratum habeas Deum. Audi Psalmum centesimum trigesimumoctauum: Quò ibo (in-

quit) à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, Si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Amos capite nono: Non erit fuga eis, & qui fugerit ex eis, non saluabitur, Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos, Si ascenderint usque in cœlum, inde detraham eos, &c. Deinde, si libido peccandi te titillauerit, obsecro, huc appellas, & tamdiu cogitationibus tuis imperes, do nec quid facturus sis cogites. Exempli gratia: Peccaturus aduersus hoc caput Legis: Ne fureris, uel, Ne committas adulterium, præsentem iram Dei tibi ob oculos pone, qua fit, ut nusquàm terrarum tutum fugæ præsidium inuenire possis. Dicit enim scriptura: Nec fures, neque fornicatores, Regnum Dei possidebunt. Cogita igitur hoc non frustra dictum esse, neque iram Dei aduersus peccata euanidam. Et ut talis cogitatio locum in animo tuo habere possit, diligenter memineris, quòd Deus in Passione filij sui grauissimam iram suam erga peccata declarauerit.

Sed obijcies. Quid? Nonne in prima Homilia dixisti, Deum Passione filij sui declarasse fauorem suum, quem habeat erga hominem in aduersis, Et nunc diuersum concionaris, quòd declaret Passione filij sui

sui iram suam? Audi mi frater, non sunt hæc contraria, etiamsi diuersa sint. Nam quod dixi: Fauorem Dei declarari Passione Christi, uerissimum est, si respectum Dei ad personam hominis retuleris. Quòd rursus dixi, Iram eius declarari, similiter uerum est, si respectum Dei ad peccata referas. Diuersa Deus respicit, diuersos quoq; habet affectus, non quòd commutabilis sit Deus, sed quòd nos de Deo cogamur humano more loqui. Ergo cum Deus respicit personam filij sui, nõ potest nõ ei fauere. Cùm respicit personam credentis in filium, non potest non beneuolo animo esse in afflictiõibus quibus obruimur. Sin uero respiciat peccata, non potest non irasci, ni si non uelit uerax esse.

Cùm igitur antea iram eius aduersus peccata audiuerimus, Nunc audiamus misericordiam eius, & benignitatem erga hominem peccatorem, ut si ira Dei exterriti fuerimus, rursus ad ipsum inuitemur misericordia eius. Sic enim irascitur, ut misereatur, sic percutit, ut sanet, sic mortificat, ut uiuificet. Cùm uero dixero, Deum declarare misericordiam suam in Passione Christi erga peccatorem, non intelligas erga eum peccatorem, qui in peccatis manet, qui non resipiscit, sed erga resipiscentem. Sic enim Christus ait: Non ueni uocare iustos, sed peccatores. Quomodo? ut in peccatis maneant? Absit, Sed ut à peccatis liberentur. In hoc ergo declarat Domi-

nus Deus misericordiam suam, quòd unà cum Christo peccata nostra cruci affixerit, & sanguine eius deleuerit, atq; cum ipso in terram sepelierit, defoderitq; Vnde Paulus Rom. capite sexto scribit: Sepulti sumus unà cum illo per baptismum &c. Et posteà: Vetus noster homo ille cũ illo crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati, ut posthac non seruiamus peccato. Coloß. capite secundo: Vos cùm mortui essetis per delicta, & per præputium carnis uestræ, simul cum eo uiuificauit, condonans nobis delicta, deleto, quod aduersum nos erat, chirographo, quod erat nobis contrarium per decreta, & illud sustulit è medio affixum cruci. Has duas sententias ideo tibi diligentius commendo, ut intelligas ex ipsis, quantam misericordiam Deus erga peccatores, Paßione Filij sui ostentârit. Nam ut maximè Deus iram suam declarârit super peccata in Paßione Christi, morte tamen illius & sepultura sic misericordiam ostendit, quòd simul in Christo mortificauit peccata nostra, sepeliuit ea, & sanguine eius, chirographum, quod erat aduersus nos, deleuit. Quod est illud chirographum? Primùm quidem Lex est, digito seu manu Dei scripta, quæ discriminat Iudæos à Gentibus, quod discrimen Christus Paßione sua tulit, quẽadmodum Ephes. capite secundo scribitur: Interstitium maceriæ diruit. Deinde dicitur etiam conscientia nostra chirographum, uel nostrum, quo nos ipsos

pſos condemnamus, uel Dei, quod per Legem ſuam in cor noſtrum ſcripſit. Eſt enim Lex Dei: Non aſſumes nomen Domini Dei tui in uanum. Quia autem hanc legem ſæpe præuaricati ſumus, Ideo inſcriptum eſt per eam in conſcientiam noſtram, quòd cõdemnati ſimus, quia dicitur: Maledictus omnis qui non permanet in Lege. Item Lex Dei eſt: Non occidas, Non fureris, Non adulterium committas, Non falſum des teſtimonium &c. Quas leges, quia ſæpenumero fregimus, ideo per eas inſcriptum eſt cordi ac conſcientiæ noſtræ, DAMNABERIS, quæ inſcriptio chirographum eſt, quo teſtamur nos damnationi obnoxios. Hoc igitur chirographum affixit Dominus Deus noſter cruci, unà cum Chriſto, ut ſanguis Chriſti ſuper illud effluëret, atq; non tam chirographum, quàm peccata noſtra deleret. Hinc apud Hieremiam capite trigeſimoprimo: Propiciabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Quare propiciatur Deus peccatis noſtris, cùm tamen grauiſſimè ea affligat, atque odio habeat? Quia Chriſtus pro peccatis paſſus eſt. Quare non memorabitur eorum amplius, cùm tamen ſcriptum ſit, peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtilo ferreo? Quia ſuper ea effluxit ſanguis Domini noſtri IESV CHRISTI, qui deleuit & obſcurauit ea coram iudicio Dei. Ergo quanquam uideas uehementiſſimam iram Dei aduerſus peccata, in Paſſione

Christi, In eadem tamen inuenis liberalissimam De misericordiam erga peccatorem Respiscẽtem, propter quem permisit, ut effunderetur innocens sanguis eius, qui deleret omnia peccata, ut essemus in iudicio suo irreprehensibiles, modo per Fidem & Respiscentiam paremus nobis Intercessorem & Mediatorem Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, *qui est Deus benedictus in secula, Amen.*

FINIS.

Pericopæ Euangeliorvm, qvae a festo Paschæ vsqve ad aduentum Christi, publicè in Ecclesiæ singulis Dominicis diebus proponi solent, Explicatæ per Reuerendum uirum,

D. IOHANNEM Brentium.

In die Resurre=

CTIONIS CHRISTI, Euang. Marci 16.



CVM transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, ut uenientes ungerent Iesum. Et ualde mane una sabbatorum ueniunt ad monumentum, orto iam sole. Et dicebant ad

adinuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes uiderunt reuolutum lapidem: erat quippe magnus ualde. Et introeuntes in monumentum, uiderũt iuuenem sedentem à dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic, Ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, præcedet uos in Galilæam, ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis.

HOMILIA PRIMA, DE RESVRrectione & fructibus eius, habita anno 1541.

HOdiernus dies, quem uocamus diem Paschæ, admonet nos resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, quæ resurrectio nõ solum est scopus & caput fidei, religionis & salutis nostræ, uerumetiã superat sua excellentia & maiestate omnia opera & negocia, quæ unquàm in terris, aut ab initio orbis terræ gesta sunt, aut adhuc ante

nouissimũ diem gerentur. Etsi enim multi etiã alij rè surrexerunt à mortuis, excitati uel à Prophetis, uel à Christo ipso priusquàm occideretur, tamen nullus ipsorum ita resurrexit, ut uicerit mortem, & consecutus sit suauirtute regnum cœleste. Solus autẽ Christus ita resurrexit à mortuis, ut resurrectione sua peruenerit in summam dominationẽ cœli & terræ. Adhæc, resurrectione sua tanta in hunc mundũ bona inuexit, tantaq; beneficia hominibus cõtulit, ut nulla (ne angelorum quidem) lingua posit ea pro dignitate sua sufficienter explicare. Cùm igitur in cõmemoranda resurrectione Christi non possumus explicando consequi quod uolumus, agite amicissimi faciamus quod possumus. Ac primùm audiamus de Resurrectione Christi, q; uere à mortuis resurrexerit. Deinde recenseamus prout possumus quædã resurrectionis Christi commoda, ut ex ijs discamus resurrectione Christi ad salutem nostram frui. Euãgelistæ igitur testãtur, q; tertia die à morte summo mane resurgente Christo factus sit terræmotus, ut custodes expauescerent, & fugerent. Item Angelus descendit de cœlo, & amouit lapidem, qui angelus etiam adnunciat mulieribus uenientibus ad sepulchrum, Christum resurrexisse. Resurrexit (inquiunt) non est hîc, sed ite & dicite discipulis eius, & Petro. Postea aũt primũ omniũ apparet Christus ipse Mariæ Magdalenæ inter mulieres, inter uiros aũt primùm omnium appa-

Christum uerè à mortuis resurrexisse.

ret

ret Petro, deinde reliquis mulieribus, & discipulis, adeoq; quadraginta sequētibus diebus certissimis argumētis cōprobauit, se uerè à mortuis resurrexisse. Vnà (inquit Petrus) edimus & bibimus cum illo. Ac præcipuè testatus est resurrectionem suam missione Spiritus sancti, & miraculis in nomine eius post Pentecosten editis. Quare nihil certius, nihil firmius est, quàm quòd Christus à mortuis resurrexerit. Sed quid nobis profuerit, q; ipse resurrexerit à mortuis? Propter nostrā salutem descendit de cælo, propter salutem nostrā passus est se affigi cruci, propter nostrā salutem sucepit mortem. Quare etiam propter nostram salutem resurrexit à mortuis. Ac præcipuè effecit Christus resurrectione sua, ut omnes humanæ rationis impietates refutarētur, & cœlestis ac diuina ueritas certissimè confirmaretur. Sunt enim hominum uariæ impietates. Tot ferè sunt impietatū, quot hominum genera. Alius sentit nullam esse uitā post hanc uitam, nullumq; aliud seculum, post hoc seculū, ac putat hominē mori unà cum anima, sicut iumenta moriūtur. Quod etsi nō semper palàm fatetur, tamen uita sua publicè testatur, q; nō sentiat aliud esse seculum, post hoc seculum. Alius sentit quidem esse aliam uitam, sed ignorat quid sibi in ea uita paratū sit, & quid in ea expectare, ac sibi polliceri debeat. Libenter (inquiunt) susciperem mortem, si constaret mihi quid in futuro seculo mihi paratum esset. Alius

Resurrectionis Christi utilitas.

fatetur quidem se scire iustis paratã esse perpetuam fœlicitatem, sed credit se ad eam non peruenturum, nisi meritis suæ iusticiæ. Alius etsi & ipse fateatur esse uitam post hanc uitam, tamen putat iuxta referre, qualem uitam ducat in hoc præsenti seculo. Itaq; semper pergit ambulare in operibus suæ libidinis. Resurrectio autẽ Christi refutat omnes illas opiniones & impietates, ac confirmat uerã, diuinamq; fidem & religionem. Primùm enim Christus resurrexit à mortuis, non ut in hoc seculo pro carnali modo uitam ageret, sed ut esset in gloria patris sui in altero seculo. Nec resurrexit pro sua tantũ persona, sed pro toto suo corpore, hoc est, pro Ecclesia & omnibus membris eius, ut sicut ipse resurrexit à mortuis, ita in ipso resurgant suo tempore omnes credẽtes in ipsum ad æternam fœlicitatem. Resurgent etiam impij, sed ad æternam damnationem. Soli autẽ credentes in Christum, & Christo per fidem incorporati resurgent ad æternã fœlicitatem. Per hominem (inquit Paulus) mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Quemadmodũ enim per Adam omnes moriuntur, ita per Christũ omnes uiuificabuntur. Et iterũ: Si credimus q; Iesus mortuus est & resurrexit, Sic et Deus eos, qui obdormierũt per Iesum, adducet cum illo. De potẽtia Dei nulla est dubitatio. Testatur potentiam suam publicè per creationem mundi, Similiter per quotidiana exempla, quibus excitat semen

mortuum,

mortuũ, ut ferat copiosum fructum. Voluntatem aũe suam declarauit primum omniũ in Christo filio suo, deinde promissionibus Euangelij. Et res ipsa significat, q̃ cùm sumus mẽbra capitis Christi, & caput resurrexit, necesse sit etiã membra resurgere, ut cum capite suo perpetuo uiuant. Ex hoc ergo manifestè apparet aliam esse uitam post hanc uitam, & aliud seculũ. Præterea in alio seculo his qui in Christũ credunt, certissimè paratam esse perpetuã fœlicitatem. Et qui hanc religionem, aut contẽnit, aut ignorat, is ne homo quidẽ censendus est, sed potius pertinet ad conciliabulum Satanæ. Deinde Christus resurrectione sua, non solum adducit nos cum ipso in æternã fœlicitatem suo tempore in nouissimo die, sed etiã hoc tempore, postquàm resurrexit, sedet ad dextram Patris, & interpellat pro nobis Patrẽ, & efficit ut Pater reputet nos propter ipsum iustos, & agnoscat nos pro filijs suis, ac tueatur ut filios in oĩbus aduersis, in morte denique ipsa. Nos enim nõ habemus intra nos, nisi peccata & perditiones, & quamuis credamus in Christum, & bona ex fide operemur, tamen nondũ est in nostris uirtutibus perfecta iusticia, sed quod nobis deest, hoc Christus supplet, sedens ad dextram Patris, & interpellans pro nobis. Rom. 8. Resurrexit propter iustificationẽ nostri. Quare resurrectio Christi certificat nos, q̃ parata nobis sit æterna fœlicitas apud Patrẽ, & non perueniamus ad Pa

trem nostra iusticia, aut merito, sed tantũ interpellatione Christi, & meriti sui. Postremò non tantum interpellat pro nobis, et relinquit nos ociosos in hac uita, sed etiã tribuit nobis qui in ipsum credimus spiritum sanctum, ut etsi non queamus perfectam iusticiã facere, tamen possimus peccatũ intra nos furens compescere, & iusticiam operum aliquo modo ad declarandã fidem nostram facere. Quare non licet nobis post resurrectionẽ Christi amplius peccare, sed exigitur, ut in nouitate uitæ ambulemus. Cùm igitur Christi resurrectio attulerit nobis tantã utilitatem, quantã nullus sermo humanus explicare potest, magna cura adhibẽda est, ne fructũ resurrectionis cessatione nostra negligamus. Nonne hũc stultissimũ iudicaremus, qui lucẽte sole, nollet, cùm posset, aspicere solem, sed ambularet clausis oculis in medio sole, aut obstrueret oẽs ualuas, quo semper in tenebris delitesceret? Certè iudicaremus hunc insanire. Multo magis insaniunt hi, qui hoc tempore lucente resurrectione Christi, pergunt ambulare in tenebris peccatorũ, præ quibus nullum capiunt fructum resurrectionis Christi. Quid enim cogitamus? Post aliquot annos nulli amplius sumus in terra, cur ergo tãta inuidia nos inuicẽ proscindimus? cur alter alterum offendimus? quin potius præparemus nos obediẽtia ad illud seculum, quod Christus resurrectione sua nobis reuelauit, ut sicut ipse per mortẽ euasit in summam

gloriam,

gloriam, ita nos ingrediamur per mortẽ ad perpetuam cœlestis regni fœlicitatem, in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA SECVNDA, DE RESVRrectione Christi, habita anno 1543.

SI Fides de resurrectione Domini nostri Iesu Christi, tã uulgaris inter homines esset, quàm uulgaria sunt uerba, & solènia carmina de ea, nõ esset necessarium sollicitè et copiosè de ea concionari, quippe qui omnem consolationem & fidei cõfirmationem è publicis illis carminibus facile haurire possemus. Nunc uero etsi inter Christianos nihil est decantatius resurrectione Christi, & quæ ex ea sequitur, resurrectione mortuorũ, tamen caro nostra semper occultè contradicit & rebellat. At Christiani ipsi impia & scelerata uita sua publicè testantur, se non credere, nec Christũ resurrexisse, nec mortuos resurrecturos. Nam qui adhuc helluatur, qui adhuc scortatur, qui adhuc dat operã imposturis, quiq; aliud genus scelerum impœnitenter sectatur, is factis suis negat Christũ resurrexisse, & mortuos resurrecturos, nec potest ex corde carmen illud publicum cantare: Christ ist erstandẽ. Quare summa opera nobis danda est, ut uerã doctri

nam de resurrectione Christi diligentißimè obserue mus, & rectam fidem de ea concipiamus, quo alacri animo cum uniuersa Christi Ecclesia poßimus canta re, Christum à mortuis resurrexisse. Dicemus igitur primùm, q. Christus uerè à mortuis resurrexerit. Deinde, quid utilitatis resurrectio attulerit Christo ipsi. Postremò quid ea nobis hominibus afferat utilitatis. Primum omnium necessariũ est, ut ueritas resurrectionis Christi certißimis testimonijs sit confirmata: Nam humana ratio non credit Christum potuisse resurgere. Præterea Iudæi semper negârunt, negarunt & Ethnici, fortaßis negãt & Turcæ, Christum resurrexisse à mortuis. Sed quid de illis dicã, cum inter Christianos sint qui non tam firmiter credunt illud, ut citius relinquerent opes & uitã suam, quàm ut cõstanter hoc affirmarẽt et confiterentur. Quare necessitas exigit, ut resurrectio Christi probè sit munita, id quod Christus ipse intellexit necessariũ esse, cum tam perspicua resurrectiõis suæ testimõia post se reliquerit. Non enim uoluit sese clam subducere à monumento, sed resurrexit magna maiestate, & magno terræ motu facto. Ex quo custodes sepulchri ita exterriti fuerunt, ut & fugerint, & testati sint (quãuis aduersarij) Iesum resurrexisse. Adhæc Angeli ad monumentum apparuerunt post resurrectionẽ, & affirmarunt eum à mortuis resurrexisse. Præterea Christus ipse apparuit post resurrectionem suam di scipu-

Christum uerè resurrexisse.

scipulis suis, nunc mulieribus, nunc uni Petro, nunc duobus, nunc pluribus discipulis. Apparuit in Galilæa, sicut prædixit, quingentis discipulis simul cõgregatis. Sæpenumero discipuli post resurrectionẽ eius ederunt & biberunt cum ipso, præbuitq; seipsum nõ uidendum tantum, sed etiam palpandum. Verum quidem est, non præbuit seipsum uidendum omnibus & singulis hominibus in terra. Non enim peragrauit terram post resurrectionem externa & uisibili sua maiestate, ut omnibus hominibus conspicuus fieret, sed reuelauit sese testibus prius ad hoc delectis. Nam Christus nondum uoluit esse extremum huius seculi diem, quo se toti mundo conspiciendũ proponat. Nec quicquã utilitatis tunc attulisset manifesta peragratio per orbem terræ, quia posteri eorũ hominũ qui Christũ uidissent, nihil magis credidissent quàm nũc credunt. Huc accedit q, Christus testatus sit resurrectionem Ascensu in cœlum, & missione Spiritus sancti, ac diuulgatione Euangelij in totum orbem terræ. Quare nihil certius est, quàm Christũ resurrexisse à mortuis. Nec noui aliquid accidit. Nã Prophetæ longè antè cõcionati fuerunt Christum à mortuis resurrecturum. Dauid in Psalmis: Non dabis Sanctũ tuum uidere corruptionem. Esaias: Sepulcrum eius gloriosum, ca. 53. Ac omnes alij Prophetæ, qui cõcionantur de perpetuo regno Christi, hoc ipso significant Christum à mortuis resurrecturum. Quare quicquid Iu-

dæi, quicquid Ethnici, quicquid Turcæ, quicquid impij Christiani sentiũt & garriunt, nihil ad nos, qui sa tis firma resurrectionis Christi testimonia habemus. Videamus autem nunc, quid utilitatis attulerit resurrectio Christo ipsi. Nã Christus nõ resurrexit à mortuis quemadmodum Lazarus, & filius uiduæ, ut iterum moreretur, sed resurrexit ad perpetuã gloriam patris sui. Ante erat homo passionibus obnoxius, esurijt, sitijt, sudauit, & alsit, captus est, crucifixus est, mortuus est. Nunc aũt post resurrectionẽ nullis passionibus corporalibus est obnoxius. Non esurit, non sitit, non sudat, non alget, non potest capi, nõ crucifigi, non mori. Ante erat homo abiectus, & non habebat in terra ubi reclinaret caput suũ. Nunc est in gloria & maiestate patris sui, ac dominatur in cœlo & in terra. In terris nullus rex passus esset, ut cum ipso in regno suo partem haberet. Nunc aũt resurrectione sua intrauit in gloriam Dei, & sedet ad dextram Dei, hoc est, regnat ubiq; cum patre, atq; adeo in terris uix uisus fuit homo. Erat enim, inquit Esaias, nouissimus uirorum. Resurrectione aũt declaratus est esse filius Dei omnipotens. Sed quid (inquies) hoc nobis confert, q. Iesus Christus factus sit sua resurrectione magnus Dominus in cœlo & in terra? Multũ per omnem modum. Sicut enim Christus suscepit nostra causa passionem suam, ita suscepit resurrectionem in nostri utilitatem. Et quemadmodum Dominus posu-

Resurrectionis Christi utilitas.

it in

it in eum omnium iniquitatem, ita posuit in eũ etiam omnium hominum salutẽ. Non enim est aliud nomen datum inter homines, in quo nos oporteat saluos fieri. Quare q; Christus resurrexerit ad gloriam patris sui, Primùm hanc utilitatem affert his qui credũt in eum, q; quemadmodum Christus agnoscitur à Deo patre suo omnium innocentißimus & omnium iustißimus, ita & hi qui credunt in eũ, reputantur iusti & innocentes propter Christum. Deinde quemadmodũ Christo nihil nunc nocere possunt, nec conuicia, nec dolor, nec persecutio, nec captiuitas, nec mors ipsa (est enim ex his omnibus liberatus) ita his qui credũt in ipsum nihil potest nocere, nec paupertas, nec morbus, nec mors ipsa: siue uiuimus (inquit Paulus) siue morimur, Domini sumus, in hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, ut uiuentibus simul ac mortuis dominaretur. Præterea sicut Christus nõ potuit in morte et sepulchro detineri, sed peruenit ad uitã æternã: ita nec hi qui credunt in Christum, possunt detineri à morte & sepulchro, sed peruadent per mortẽ ad ueram uitã. Qui in me credit (inquit) non perit, sed habet uitam æternam. Postremò sicut Christus habet cœlestem hæreditatem, ita effecit, ut omnes qui in ipsum credunt, participẽt secum, ut fratres sui & filij Dei omnẽ hæreditatem in cœlo. Quid hac utilitate, quid fœlicitate hac maius dici potest? Non possumus autẽ hæc è nobis ipsis cognoscere, sed

cognoscenda sunt è uerbo Dei. Quid ergo sibi uult illa ignauia & negligẽtia, q̃ cùm semper pateant publicæ conciones Euangelij, pauci eas diligenter uisitent ac obseruent? Sunt qui toto anno uix semel & iterum audiant conciones. Quid, obsecro, impedit, q̃ non alijs tẽporibus tam frequentes sitis in concione, quàm his aliquot diebus, & tamẽ quantum intelligo hoc ad salutem uestrã prorsus necessarium est? Nam recta cognitio Christi est nobis ad salutẽ necessaria. Non possumus seruari, nõ iustificari, nõ consequi cœlum, absq; Christo. Christus autem non discitur post aratrum, & telam, sed discitur ex doctrina Euangelij. Nec cognoscitur ratione humanâ, sed cœlesti doctrina per Spiritũ sanctum. Quàm fœdũ est, quinq; aut sex dies impendere curæ corporis, & nolle unũ diem, imò unam horã in hebdomada impendere curæ animæ, seu curæ salutis? in 168. horis unius hebdomadæ non uolumus unam horã insumere, ut agamus salutis nostræ curam: quid faciat Deus? Miramur q̃ aliquoties grando depopulatur segetem, hoc autem mirum, quòd uel unum granulum crescit. Creati & uocati sumus in hoc ut discamus uerbum Dei, hoc relicto sectamur carnis desideria: postea cùm Satan nos adoritur, non possumus cum ipso suscipere bellũ, sed continuo tradimus nos captiuos, & ducimur ad omne genus peccati. Deinde cum sistimur ad tribunal Dei, & accusamur peccatorum, ibi multò minus

mus scimus, quàm iumenta de Christo, ideo continuo desperamus. Quid ergo fiet? Turcæ, Iudæi, Ethnici, surgent in iudicio & condemnabunt nos, quòd tam perspicuè nobis prædicatum sit Euangelion, & tamen non cognouimus præ ignauia nostra. Quare diligenter nobis uisitandæ sunt conciones, ut cognoscamus Christum, & uirtutem ac utilitatem resurrectionis eius, quo & nos in hac uita resurgamus à peccatis, & postea à mortuis in uitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

SECVNDA PASCHAE,

Euangelium Lucæ 24.

DVO ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emaus. Et ipsi loquebãtur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebãtur, ne eum agnoscerẽt. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulãtes

& estis tristes? Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ?

Et dixerunt ei, de Iesu Nazareno, qui fuit uir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo, & quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quòd ipse esset redempturus Israel. Atqui super hæc omnia tertius dies est hodie, quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nobis, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, uenerunt dicentes, se etiam uisionem Angelorum uidisse, qui dicũt eum uiuere. Et abierunt quidam ex ijs, qui erant nobiscum, ad monumentum, & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt, ipsum uero non inuenerũt.

Et

Et ipse dixit ad eos. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam? Et incipiens à Mose & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt ad castellum, quo ibant. Et ipse finxit se longius ire, & coegerunt illum dicentes: mane nobiscum quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cũ illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & agnouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nõne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes, quòd surrexit Domi-

nus uerè, & apparuit Simõi. Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in uia, & quomodo cognouerint eum in fractione panis.

HOMILIA PRIMA, HABITA anno 1543.

HOdiernum Euangeliũ affert nobis duas præcipuas utilitates. Altera est, q. describit nobis testimonium resurrectionis Christi. Necessariũ enim est, ut resurrectio Christi sit cõprobata certissimis testimonijs. Nam si Christus nõ resurrexisset, miserrimi essemus omnium hominum (quemadmodũ Paulus scribit) quia fides nostra esset inanis, conciones Apostolicæ & Propheticæ essent uanæ, mortui nõ resurgerent, ac breuiter nulla esset piorum hominũ fœlicitas. Si aũt resurrexit, tũc credentes in ipsum sunt longè omniũ fœliciſsimi, ac soli ueram habent Religionem, resurgẽtq; in Christo ad perpetuam fœlicitatẽ. Quare cùm resurrectio Christi tanti sit momenti, necessarium est, q. probè & firmiter sit munita. Et quia hodiernum Euangeliũ proponit nobis testimonium, quòd Christus uerè à mortuis resurrexerit, ideo debet nobis esse commendatiſsimum. Altera utilitas, q. describit nobis exẽplum

quo

quo docemur, quomodo hi qui defecerũt à uera Christiana Religione, in ueram ac rectam uiam & fidem reuocentur. Describuntur enim hîc duo discipuli qui defecerunt à Christianismo, & per Christum sic eruditiuntur, ut iterum resipiscant, et fiant obedientes Euangelio tum discipuli tũ professores. Opportunißime autem recitatur hoc Euangeliũ isto tempore. Solenne est uulgo, ut post Pascha redeat ad uetera scelera sua, quemadmodũ hi duo discipuli mortuo Christo & crucifixo sua negocia agũt, nec multũ curant quid de Christo fiat. Etsi enim audiuerãt eum resurrexisse, tamẽ neglecta diligenti inquisitione, ad peragenda sua negocia abeunt: ita magna pars hominũ post Pascha suscipiunt tractationẽ rerum tantum ciuilium, interea negocia salutis suæ negligentißimẽ curant. Quare idoneum & optimum est hoc exemplum, quo aut retinemur in uera fidei obediẽtia, aut reuocamur in rectã uiam à qua declinauimus. Videamus igitur historiã rei gestæ. Duo ex discipulis Christi proficiscuntur in die resurrectionis Christi ad Emaus. Etsi enim acceperant fama Christũ resurrexisse à mortuis, tamen non ualde afficiuntur hac fama, sed suas res agunt. Hi discipuli plurimos habent successores & posteros in Christianismo. Multa enim hoc tempore dicuntur de cõtrouersia Religionis, & de prædicatione Euangelij. Et tamẽ magna hominum pars idem agit, quod est in parabola Matth. 22. alius

emit uillam, alius iuga boum, alius duxit uxorem, & neglexerunt nuptias. Hæc est magna ignauia. Prima enim omnium hominũ cura esse debet, ut rectè credant de Deo, & rectè faciant. Primùm (inquit) quærite Regnũ Dei. Illi autem primũ omnium curant de uentre, postremò de cognitione Dei. An non primũ præceptũ in Decalogo est, ut non habeamus alienos deos, hoc est, ut uerũ Deũ uerè cognoscamus, & colamus? Postremum autẽ omnium est, ut non concupiscamus alienas res, sed unusquisq; suis rebus cõtentus sit. Quin etiam condito iam homine, & posito in Paradiso, statim datur ei præceptũ Dei, ut ei obediat, quo Deus ipse significatur, hominẽ in hoc conditum, ut maximè & primum omnium discat Deum cognoscere, & uerbo Dei obedire. Quid ergo ad hãc discipulorum ignauiam Christus? Postquàm Christus resurrexerat à mortuis, & apparuisset Petro, ut cõsolaretur eum, apparuit & his duobus discipulis. Magna clementia Christi. Etsi fuit in gloria patris, & habuit iustam causam condemnandi & derelinquendi hos discipulos, tamè ut ipsos iterum lucrifaceret, seposuit suo quodam modo maiestatem suam, & apparet eis ut peregrinus. Hoc autem fecit, nõ tantũ propter hos duos, sed etiam propter uniuersam Ecclesiam. Nam qui sunt homines abiecti, putant se nõ esse curæ Deo. Docet igitur Christus hodierno exemplo, q̃ abiecti maximè sint ipsi curæ, & q̃ propter abiectos

ctos suam ipsius maiestatem seponere, & aliquoties rerum naturam mutare soleat, ut ipsos adiuuet. Deinde uides Christum non conterere calamum quassatum, nec extinguere limum fumigans. Cæterum Christus reuocaturus discipulos aberrantes in uiam, quid fecit? Etsi nouit sententiam animi eorũ, tamẽ inquirit diligenter, quid animi habeant, ut ea occasione possit eos erudire. Itaq; planè exponunt etiam imperitiam quàm incredulitatem & negligentiam suam. Ingenuè enim confitentur, dicentes: Nos sperabamus eum esse redempturum Israel. Et mulieres reddiderunt nos attonitos &c. Habes igitur in his discipulis, Primùm, imperitiam de Regno Christi. Existimant enim pro more Iudaico, Christũ dominaturum in orbe terrarum corporaliter. Deinde incredulitatem: Postquàm enim uident Christũ crucifixum, non sentiunt eum esse uerum Christum. Postremò negligentiam & incuriam. Etsi enim audiuerunt Christũ resurrexisse, tamen non diligenter inquirunt eum, sed sectantur sua negocia. Itaque computandi sunt inter eos qui à Christianismo deficiunt. Sed reuocantur à Christo in rectam uiam. Quomodo? Sequitur concio Christi: O stulti & tardi ad credendũ omnibus &c. Hæc est præcipua pars huius Euangelij, & diligentissimè consideranda. Nam Christus proponit nobis uiam seu modum, quo peccator aut defector reuocatur ad resipiscentiã. Primùm ergo arguit eos impe-

Defectores quomodo reuocandi sint ad resipiscẽtiam.

ritiæ, ſtulticiæ & incredulitatis. Hic enim eſt primus gradus ad reſipiſcentiã. Deinde explicat eis ſcripturas de Chriſto, hoc eſt, docet uerã fidẽ in Chriſtũ. Hic eſt alter gradus ad reſipiſcẽtiã. Sic & paulò poſt ait: Oportet nomine eius prædicari pœnitentiam & remiſſionẽ peccatorũ et fidẽ. Sed præter hoc cõmendat etiam Chriſtus nobis autoritatẽ ſacræ ſcripturæ. Nã ſi Chriſtus rex cœli & terræ dignatus eſt poſt reſurrectionẽ ſuã tam diligẽter tractare ſacrã Scripturã, quid non faceremus nos adhuc in terra exiſtẽtes? Scriptura enim eſt theſaurus Eccleſiæ. Magnũ beneficiũ reputaremus, ſi Cæſar ſineret nos theſaurum ſuũ tantum uidere, nedum tractare: Multò maius beneficiũ eſt, q̃ Deus permittit nobis ſcripturã tractare, quæ eſt theſaurus cœleſtis. Deinde docet Chriſtus, q̃ tota ſcriptura præcipuè in ipſum reſpiciat. Habes igitur hoc loco cõmentarium in ſacrã ſcripturã, q̃ Chriſtus in ſcriptura ſacra ſit inueniẽdus. Quid ad hæc diſcipuli? Non ſolũ nõ inuehuntur in Chriſtũ, ſed etiã ardent amore eius, & retinent eum abire uolentem. Quàm diſſimiles ſunt illorũ, qui hoc tempore nec reprehendi, nec erudiri uolunt. Ante cõmunionem ſolenne eſt petere abſolutionem. Hìc ſi paulò durius alloquaris peccatorem, continuo incandeſcit: ſed tales qui nolũt corrigi, ad Papatum non ad Chriſtianiſmum pertinent. Poſtremò agnoſcunt Chriſtum in fractione panis. Hìc ſunt, qui docent, Chriſtum inſtituiſſe Cœnam

Do-

Domini hoc loco sub una tantum specie. Sed primum non est certum q; Christus hîc celebrauerit Cœnam. Deinde etsi certũ esset, tamen petenda est eius forma ex priori institutione. Omnino enim Sacramentum distribui et sumi debet utraq; specie. Maiores nostri quia ignoranter fecerunt quod fecerunt, ideo consecuti sunt misericordiam. Nos autem nullam habemus excusationem in tanta luce Euangelij. Nam qui nunc sumit Sacramẽtum Cœnæ iuxta institutionem Papæ sub una tantum specie, is facit hac sumptione se participẽ omnium scelerum & impietatum Papistarũ. Primùm enim Pontifices dicunt, se posse mutare Testamentum Christi. Hæc est blasphemia, cuius fiunt participes, qui sumunt à Pontificijs alteram tantum speciem. Deinde occiderunt multos pios, propterea q; reprehenderint impietatẽ Pontificum. Postea prohibent coniugium, & uiuunt impurissimè. Postremò abstulerunt Parochijs suas decimas & facultates. Horum omnium scelerum fiunt hi participes, qui cõmunicant cũ ipsis. Quare fugiendi sunt, ne cum ipsis cõtaminemur, & in perpetuum ignem abijciamur. Habes testimonium resurrectionis, & exemplum Resipiscentiæ, quibus monemur, ut non tantũ in Christo salutem nostram quæramus, uerumetiam ut admoniti defectionis & impietatis nostræ, in uiam reduci nos sinamus, quò omnibus beneficijs, quæ Christus resurrectiõe sua attulit, perpetuo frui queamus. Amẽ.

FERIAE SECVNDAE HOMILIA SE= cunda, de profectione duorum discipulorum ad Emauntem, habita anno 1545.

DOminus noster Iesus Christus, non uoluit se statim post suam Resur= rectionem è discipulorum suorum conspectu subducere, sed selegit si bi quadraginta dies, in quibus ua rijs argumentis & apparitionib. Resurrectionis suæ ueritatem uoluit cõprobare testificariq;. Quòd non piguit Christum toties apparere, neq; nobis molestũ esse debet, sæpius de Resurrectione eius uerba face= re. Nam si in hoc argumento errauerimus, à tota sa lutis uia declinabimus. Miseriores præterea erimus omnibus hominibus, si ignorauerimus Resurrectio= nẽ Christi: omnia frustra agemus, & patiemur. Qua re nobis nihil magis necessariũ est, cognitione resur rectionis Christi. Audiamus igitur occasione hodier ni Euangelij, eam Apparitionem, qua Christus in die Paschæ sese duobus discipulis in Emaus proficiscenti bus reuelauit. In ea nanq; non tantũ se discipulis suis uiuum conspiciendũ præbuit, uerum etiam alia mul ta in eo colloquio, quod cum ipsis instituit, utilia tra ctat. Res igitur sic se habet. Duo discipuli suscipiũt in die Paschatis profectionem ad Emaus, atq; in itinere colloquuntur de rebus gestis in Hierusalẽ. Iesus igno

ta

ta atq; peregrina ſpecie ſe ipſis adiungit, ſciſcitatur cauſam triſtitiæ eorum, atq; ſuſcipit cum ipſis collo quiũ. Hìc obſerua Ieſum Chriſtũ filium Dei intereſſe præſentem noſtris colloquijs, ſiue ſòli fuerimus, ſiue cũ alijs. Nec ſentiendũ eſt, q̃ poſſit eſſe præſens, propterea q̃ nõdum aſcenderit in cœlũ, poſtquàm uerò aſcenderit, non poſſit amplius præſens eſſe. Nam Aſcenſus eius nõ tollit præſentiam, ſed tollit tantũ manifeſtas in hoc mũdo apparitiones eius. Alioqui ſtatim à Reſurrectione, ſedet ad dextrã Dei, ut omnia ſuperna atq; inferna impleret, et ubiq; ac ſemper nobis præſens eſſet. Hæc non tantum ſunt audienda, & ſimpliciter cogitanda, ſed in uſum trãsferenda, ut diſcamus hinc bene in aduerſis cõfidere, & rectè in uita facere, ac in timore Domini ambulare. Cogita enim, quis ſit ille, quem dicimus præſentem maieſtate ſua? Primùm, unigenitus filius Dei eſt, unius potẽtiæ cum Deo Patre, qui dixit, Neminem poſſe oues ſuas rapere de manu ſua, per quẽ condita ſunt ſecula, per quem etiam conſeruantur. Quare ſi acciderit calamitas, bene confide: habes enim præſentem filiũ Dei, tutorẽ & defenſorem tuum omnipotentem. Sed cur toties ſinit homines in ſe confidentes interire? Alius enim torquetur morbo, alius paupertate, alius horrore mortis, Hi etſi inuocant auxilium Chriſti, non tamen conſequuntur liberationẽ? Reſpondeo. Non cõſequũtur liberationem eo modo, quem caro appetit,

sed eo modo consequuntur, quem spiritus, quem Deus elegit, de qua re paulò pòst dicemus. Deinde is, quem præsentem dicimus, filius Dei est, iudex uiuorum & mortuorum, cuius solius sententia in iudicio ualebit. Time ergo, contra tantam maiestatem male facere, imò malè etiam cogitare. Causa cur multi tã præfractè, & impudenter peccant, hæc est, quïa non proponunt sibi filium Dei ante oculos suos. Vnde & Psal. 53. dicit de impïjs: Alieni insurrexerunt aduersus me, & fortes quæsiuerunt animam meam, & nõ posuerunt Deum ante conspectum suum. Sed si filius Dei omnia intuetur, quomodo potest ferre tot iniquitates & scelera? Sicut fert calamitates piorũ, ut maiora in eos conferat beneficia, ita fert impietates sceleratorum, ut habeant spacium pœnitentiæ, & consequantur salutem.

Sed pergamus in historia nostra. Christus ignotus discipulis suis interrogat eos, de quibus rebus loquãtur. Hi autẽ exponunt ei, De Iesu Nazareno, qui fuerat uir Propheta, potens opere & sermone coram Deo, & toto populo, & quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes & Principes nostri in condemnationem mortis, et crucifixerunt eum, Nos autem sperabamus eum esse illũ, qui redempturus esset Israel. Etsi pauca loquuntur, tamen magnis erroribus se teneri significant. Vnus error est, q̃ pendent ab autoritate Principum & Pontificũ suorum, in causa Religionis,

ligionis. Alter error est, q; significant se expectasse mundanum Messiam, qui liberaturus esset Israelem è tyrannide Romanorum, & uindicaturus populum Iudaicum in externam libertatē & dominationem. Tertius error est, quòd etsi audiuerunt ex mulieribus Christum resurrexisse, tamen nō ita afficiuntur, ut diligenter rem inquirant, sed abeunt ad cōficienda sua negocia: plus curāt corporalia quàm spiritualia. Hi sunt maximi errores. Ideo grauissimè reprehenduntur à Christo, dicit enim: O stulti, & tardi ad credendum omnibus his, quæ locuti sunt Prophetæ. Primùm igitur stulti & tardi sunt omnes, quotquot in causa Religionis pendent ab autoritate Pontificū. A quo ergo est pendendum? Audi Christum. Vult enim, ut credamus Prophetis, exigit ut credamus scripturæ. Ad credendū (inquit) omnibus quæ in scripturis sunt. Et exposuit discipulis nō leges Romanas, nō canones Pontificum, sed scripturā. Quare ad scripturā, in Religione accedendum est, ut ex ea discamus, quæ ad salutem nostram pertinent. Deinde stulti & tardi sunt omnes qui quærunt mundanum Messiam. Horū magna est multitudo, qui cùm affliguntur, non appetunt nisi externam liberationem, & putant, si ea non contigerit, quòd Christus non sit uerus Messias, nec sit præsens, neq; posśit, neq; uelit liberare. At uero scriptura nō proponit nobis talem Messiā, qui externo more dominetur, & qui semper exter-

na liberatione suos defendat. Nã corporalis salus nõ est uera salus, sed spiritualis. In morbo seruamur propriè, non si morbus extrinsecus auferatur, sed si efficitur, ne morbus nobis damno sit coram Deo. In morte seruamur propriè, non si seruamur in uita corporali, sed si seruamur à morte æterna. Hoc docet uniuersa scriptura, cum indicat Christũ intrare per crucem & mortem in Regnum suũ. Sicut enim ipse seruatus est per crucẽ & mortẽ, ita & nos seruamur. Nõ est aũt seruatus, q̃ sit liberatus externa cruce & morte, sed q̃ per crucẽ & mortẽ euasit ad gaudium & uitam cœlestem. Postremò, stulti & phantastici sunt, qui deserto studio aut diuinæ scripturæ aut cõcionũ, sua ciuilia negocia agunt. Nõ enim in hoc propriè uocati sumus, ut ciuilem uitã agamus, sed ut cœlestẽ uitã consequamur. Hæc autẽ proponitur nobis accipienda per scripturã. Maxima autẽ cõmendatio Scripturæ sacræ hoc loco ponitur, q̃ Christus iam in Regno patris sui existens eam interpretandã suscipit. Deinde habes etiã hîc quo se potissimũ sacra Scriptura referat, uidelicet ad solũ Iesum Christũ. Hunc patefacit scriptura, in hũc respiciunt omnia, quæ in sacra Scriptura traduntur, propter hũc data est terra Canaan Israelitis, ut conseruarent scripturã, hoc est, promissiones de Christo. In hunc respexerunt oĩa sacrificia, quæ Deus per Mosen instituit: de hoc oẽs Prophetæ sunt uaticinati. Quare in hoc studiũ incũ-

bamus

bamus, ut cognito Christo ex scriptura, sectemur uocationem eius, sentiamus semper eum præsentem & spectatorem nostrarũ actionũ, Demuq; deniq; operam, ut semper ipsum nobiscũ retineamus. Sed quo modo (inquis) retineri potest? Hoc docet hodierna historia Euãgelica. Cùm enim Christus post disputationem fingeret se discessurũ, coëgerunt eum discipuli, ut maneret. Quid? Christus ne cogitur ab hominibus? Certè potest pro suo modo cogi. Etsi enim Christus omnipotẽs sit, homines autẽ impotentes, tamẽ ostendit ipse modum & rationem, qua cogi ab homimibus potest. Hæc aũt est ratio, si apprehẽdamus ipsum promissionibus suis per fidem. Sic Deus uolebat quondã ab Israelitis discedere, postquàm instituissent uitulũ aureũ, sed retinetur & cogitur à Mose, cum proponit ei promissiones suas ad Abrahã, Isaac & Iacob dictas. Sic Deus uidebatur recessurus à regno Iosaphat, sed retinetur cõmemoratione promissionum per fidem, 2. Paralip. 20. Sic Deus uidetur à nobis recessurus, cum immittit nobis ægritudinem & mortẽ, Sed retinetur, si arripiamus Christũ, & credamus quòd ipse nobis uicerit mortẽ: itaq; efficimur uictores Dei per fidem: Postremò, manifestat Christus seipsum apertè, cùm frangeret panẽ, sed mox euanuit ex oculis eorum: Hoc est testimonium Resurrectionis eius. Cùm uero proponitur nobis testimoniũ Resurrectionis Christi, non est sciendum tantum, sed est etiam in

usum transferendum. Nam quoties talia testimonia Resurrectionis audimus, toties admoneamur de summis rebus salutis nostræ. Primùm, q̃ sit alia uita post hanc uitam. Deinde q̃ habeamus intercessorem apud Deum patrem. Tertiò, q̃ habeamus inspectorem & obseruatorẽ omnium actionum nostrarum (quemadmodũ suprà ostensum est.) Quartò, q̃ & nos in Christo resurrecturi simus. Postremò, q̃ habeamus iudicẽ, qui omnes impios, præcipuè uero aduersarios nostros perditurus, nos autẽ perpetuo seruaturus est. Colligamus igitur argumẽta Resurrectionis Christi, ut in fide confirmati rectà ambulemus ad regnum cœlorum, per Christum IESVM Dominum nostrum, Amen.

DOMINICA QVASIMODO Geniti, Euan. Ioan. 20.

CVm ergo sero esset die illo, una Sabbatorum, & fores essent clausę, ubi erant discipuli congregati propter metũ Iudęorum, uenit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis: Pax uobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus suum. Gauisi sunt ergo Discipuli uiso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax uobis. Sicut mi-

sit



sit me Pater, & ego mitto uos. Hæc cũ dixisset, insufflauit eis, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retẽta sunt. Thomas autem unus de duodecim, qui dicitur Didymus, nõ erat cum eis, quando uenit Iesus. Dixerũt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dñm. Ille autem dixit eis:

Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manũ meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio & dixit eis: pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus sed fidelis. Respõdit Thomas & dixit: Dñs meus & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia uidisti me Thoma, credidisti: beati qui nõ uiderũt, & crediderũt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes uitam habeatis in nomine eius.

HOMILIA

HOMILIA PRIMA, HABITA anno 1542.



Odiernum Euangelium complectitur duas apparitiones Christi. Altera facta est discipulis in die quæ Christus resurrexit, absente Thoma. Altera facta est octauo die resurrectionis, præsente iam Thoma. Longũ aũt esset, ambas interpretatiõe nostra hac Homilia explicare. Quare suscipiemus nunc priorẽ tantum apparitionẽ explicandã, quæ facta est, statim eo die quo Christus à mortuis resurrexit. Voluit. n. Christus in die Resurrectionis sæpius, q̃ alijs diebus sese reuelare. Nam initio cõcionabantur de Resurrectione Christi Angeli mulieribus. Deinde apparet Christus ipse uni mulieri, postea pluribus mulieribus. Deinde Petro, et mox duobus discipulis proficiscẽtibus in Emaus. In hodierno autem Euangelio apparet multis discipulis simul congregatis. Et hæ omnes apparitiones factæ sunt eo die quo resurrexit. Interea tẽporis etiam custodes, qui præ metu à sepulchro fugerant, indicant Pontificibus & Phariſæis Iesum resurrexisse. Hæ aũt reuelationes idcirco in die Resurrectionis factæ sunt, ut manifestè comprobaretur ueritas uaticiniũ Christi, quo dixerat se tertia die resurrecturum. Videamus igitur quid actum sit in ea apparitiõe, qua Christus

reuelauit seſe discipulis suis, ob metũ Iudæorum und congregatis, in die Resurrectionis. Ac primum appa ret eis magnis miraculis, & certis signis resurrectio nis suæ: uenit. n. ad ipsos, clausis, & diligẽter obsera tis foribus domus. Ostendit se ipsis ex improuiso uisi bilem. Loquitur cum ipsis, ostendit eis manus & pe des, præbet se ipsis tangendũ, ne existiment esse spe ctrum, ac uescitur quoq; cum ipsis. Quæ omnia sunt manifestißima argumenta uitæ. Nam cũ Apostoli de buerunt esse publici testes resurrectionis Christi in toto orbe terrarũ, uoluit Christus nihil coram ipsis omittere, quod faceret ad declarandam & compro= bandam resurrectionem & uitam suam, quæ omnia nostri præcipuè causa facta sunt. Nam si Christus re= surrexit, Nos, qui credimus in ipsum, iustificati su= mus coram Deo, & liberati à morte, resurgemus in Christo, & propter Christum ad æternam fœlicita tem. Deinde cõsiderabimus, quod fuerit colloquium Christi cum Apostolis suis in hac apparitione. Non enim multũ profuisset, si apparuisset mutus & elin guis. Initio igitur dicit ad Apostolos: PAX VO= BIS. Vulgata & protrita uidetur hæc uox, sed quia Christus iam in Regno Patris sui uiuẽs, profert eam, sentiẽdum est ipsam complecti maximum bonorum thesaurum. Adnunciat enim hac uoce, q. quia passus sit propter peccata nostra, & resurrexerit propter iustificationem nostri, nos iam esse cum Deo reconci liatos,

liatos, & habere apud ipsum ius omnium cœlestium bonorum. Nam Deus habet nos tanto odio propter peccatũ, ut permiserit quo obrueremur in hoc seculo omnibus aduersitatum generibus, & fieremus captiui Satanæ, qui non solũ affligeret nos in hoc mundo, sed etiam abduceret per mortem in æternã damnationem. Hæc miseria & captiuitas nõ est res leuis, si quis eam rectè cõsideraverit. Non hîc agitur de periculo agri, uel pecuniæ, uel etiam uitæ corporalis, sed perpetuæ fælicitatis. Cogita obsecro mihi, si quis captiuus esset propter latrocinium aut furtum, quo ita peccasset in magistratum, & rempub. ut deberet eis uitam corporalem, & post unum ac alterũ diem esset publico supplicio afficiẽdus, quanto gaudio perfunderetur, si quis certò adnunciaret ipsum reconciliatum esse cum Magistratu & repub. atq; consecutum esse ius libertatis seu impunitatis. Profecto talis quispiã tanta lætitia exultaret, ut si haberet aliquã magnã regionem, daret eam pro illo nuncio, etiamsi adhuc aliquot hebdomadis in carcere manendum esset. Quid ergo de nobis dicendum est? Nos enim eramus captiui Satanæ, non propter leuem quandam culpam, sed propter inimicitiam aduersus Deum, & propter omnia genera peccatorũ: ac quouis momento expectandum nobis erat, quando duceremur ad mortem in sempiternam damnationem. Nunc autem interuenit Christus mediator, qui expiauit peccata

Paßione ſua, & placauit patrẽ in cœlis. Quare cum primum à mortuis reſurrexiſſet, adnunciat diſcipulis ſuis hanc reconciliationẽ. Pax uobis, inquiẽs, hoc eſt, Hactenus fuiſtis inimici Dei, & propter peccatũ captiui Satanæ, nec habuiſtis ullam pacem coram Deo, ſed neceſſe habuiſtis quouis momento expectare mortem & infernũ. Sed nunc adnuncio uobis pacem, adnuncio reconciliationẽ cum Deo, qui promittit uobis omnem libertatem & ſalutẽ. Etſi enim neceſſe habetis aliquandiu adhuc in aduerſis huius ſeculi uerſari, tamẽ certa eſt liberatio, certa eſt ſalus: hoc nuncio nihil poteſt homini in conſcientia grauiter afflicto, iucundius aut gratius accidere. Quare hæc Chriſti ſalutatio alta mente reponenda eſt. Sed interim obſeruãdum nobis erit, q, ut in ciuilibus pacificationibus inſtituitur reconciliatio ſuis conditionibus, & ut uocãt capitulis, ita & pacificatio inter nos ac Deum inſtituta eſt per Chriſtum, uidelicet, ut nos deinceps obediamus uocationi Chriſti, & nõ amplius peccemus. Ergo qui dant operam ebrietati, qui ſtudent impoſturis, qui loquũtur blaſphema, & maledica, hi uiolãt conditiones inſtitutæ pacificationis, ideóq; indigni ſunt, niſi reſipiſcant, qui beneficijs huius pacificationis fruantur. Deinde dicit Chriſtus: Sicut miſit me Pater, ita et ego uos mitto. Hac uoce reſtituit Chriſtus Apoſtolos priſtinæ ſuæ uocationi: Chriſtus enim uocauerat ipſos ad prædicandum Euã-

gelion:

gelion. Cùm autẽ defeciſſent à Chriſto, potuiſſent exiſtimare ſe etiã à uocatione ſua abiectos. Quare ſtatim reſtituũtur ſuæ uocationi. Sicut miſit me (inquit Chriſtus) Pater, ita & ego mitto uos. Pater non miſit me, ut exerceam dominationem in hoc externo ſeculo, ſed ut concioner Euangelium. Sic & uos mitto ad prædicandum Euangelium, non ad exercendã dominationem in alios. Item: Pater miſit me, non ut agam uitam ociosam & uoluptariam, ſed ut uaria ad uerſa patiar: ita & uos mitto nõ ad delitias huius ſeculi, ſed ad maximas quaſq; afflictiones. Quod Chriſtus ad Apoſtolos loquitur, hoc etiã pertinet ſuo modo ad quoſuis Chriſtianos, q Apoſtolorũ uerbo credunt. Nam quemadmodum ipſe miſſus eſt in hãc terrã, non ad cõparandam ſibi terrenam fœlicitatem, ſed ad ferenda aduerſa, & obediendũ uocationi Patris ſui, ita Deus mittit quoſuis Chriſtianos in hunc mundum, non ut tradant ſe bonis terrenis, ſed ut ſectentur iuſticiam, & præparent ſe ad ſufferendas quaſuis afflictiones. In hũc. n. uſum poſiti ſumus. Malo ergo (inquis) eſſe Turca aut Iudæus q̃ Chriſtianus, ſi nihil aliud præter calamitates expectandũ eſt in Chriſtianiſmo. Reſpondeo, Parùm fortaſſis referret, quã Religionẽ ſectareris, ſi non eſſet uita poſt hanc uitam, ſi non eſſet reſurrectio mortuorum, Si hominibus, ut pecoribus uiuere liceret, Si nullus eſſet Deus, Si nulla eſſent præmia piorũ in futuro ſeculo, &

omnia temerè ferrentur, quemadmodum impuri homines & Epicurei sentiunt. Sed est Deus in cœlo, Est Christus filius Dei, per quem futura est resurrectio mortuorum. Et sunt sua piorum præmia in futuro seculo. Sic enim cõparatum est, ut qui in hoc seculo credit in Christum, & affligitur, is tanto maiorem consequitur in futuro seculo fœlicitatem, quãto grauius afflictus fuit. Vos estis (inquit Christus) qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Quare cum tanta gaudia maneant afflictos in Christo, libenter ferẽdæ sunt calamitates huius seculi. Postremò insufflauit Christus in discipulos, & ait: Accipite spiritũ sanctum. Quorum remiseritis peccata &c. Explicat Christus clarius in quod ministerium, & quam uocationem restituat Apostolos suos. Quid ergo est q̃ ait: Accipite spiritum sanctum? Non tradit eis modò admiranda illa dona spiritus, quæ reuelabũtur in die Pẽtecostes, sed tradit eis ministeriũ spũs sancti, quod est prædicatio Euangelij, & ornat eos quibusdã alijs donis spiritus, ut recipiant animũ à priori defectione & conturbatione. Erant enim simul congregati præ metu Iudæorũ. Præterea metuebant etiã ne prorsus essent propter defectionẽ suam à Christo abiecti. Hic timiditatis spiritus affligebat eos,

eos Nunc autem Christus inspirat eis iterum bonum spiritum, & recreat animos eorũ, ut attollant iterũ capita sua, & capessant uocationẽ ad quã antea electi erant. Quod autem ait: Quorum remiseritis peccata &c. non habet eam sententiam, quam finxerũt Papistæ, q̃ liceat Pontificibus Romanis ex pctõ facere iusticiã, & ex iusticia peccatũ, & q̃ liceat eis mãdare angelis in cœlis, ut eximant animas è purgatorio, sed idẽ est quod aliâs dicit: Ite in uniuersum mundum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, Qui nõ crediderit, condemnabitur. Nam prædicare Euangeliũ Christi, est remittere & retinere peccata, Remittere, uidelicet credentibus, Retinere aũt incredulis. Hoc est ministeriũ longè omnium maximũ in terris, & nobis ad salutẽ planè necessariũ. Sæpe. n. diximus, q̃ ubi non sit remissio peccatorum, ibi nec principatus nec imperium prosit. Vbi aũt sit peccatorum remissio, ibi nec afflictio nec mors ipsa obsit. Saul et Nero fuerunt potentissimi reges, sed quid profuit eis regnum, cũ nõ habuerint remissionẽ peccatorum? Esaias, Hieremias, Petrus & Paulus, miserrimè afflicti & occisi sunt, sed quid obfuit eis hæc afflictio, cũ habuerint remissionem peccatorũ? Quare Christus in die Resurrectionis instituit ministerium maximè omnium necessarium. Ac quicquid aliud instituisset, non fuisset sufficiens. Si instituisset ut Apostoli pro-

Ministeriũ remittendi peccata.

ficiscerentur in orbem terrarum, & redderent omnes credentes in Christum externis opibus diuites, non fuisset satis, quia diuitiæ absq; peccatorum remissione nihil prosunt, sed obsunt. Nec est comprehensum in Decalogo, q̃ homines debeant esse diuites, aliàs pauperes non possent obedire decalogo, sed est contentum in eo, q̃ debeamus esse iusti. Efficimur autem tantum iusti per remissionem peccatorum, per fidem in Christum. Item si instituisset Christus, ut Apostoli omnibus hominibus afferrent corporalem sanitatem, nec illud satis fuisset. Hoc unum satis est, Remissio peccatorum, quæ per adnunciationem Euangelij nobis affertur. Quare studendum est Euangelio, ut habẽtes ei fidem, cognoscamus Christum, & cõsequamur remissionẽ peccatorum per Iesum Christum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

ALIA HOMILIA, HAbita anno 1548.

DIximus nuper de Resurrectione Christi, dicendum erit de eadem etiã hodierno die. Nam si non piguit Dominũ nostrum Iesum Christum, etiam cùm iam intrasset in gloriam Patris sui, quadraginta dies suscipere, quibus sese pro discipulorum captu reuelaret, ac Resurrectionem

nem suam confirmaret, non debet nos pigere multo pluribus diebus, imò toto uitæ nostræ tẽpore resurrectionẽ eius diligẽtißimè meditari, & de ea inter nos studioßimè tractare. Memento (inquit Paulus) Iesum Christũ resurrexisse à mortuis. Nisi aũt Resurrectionis memoria afferret maximã utilitatem, Paulus non tam diligenter cõmendaßet eam. Quare percurremus hodie eam reuelationẽ resurrectiõis Christi, quam modo ex Ioanne recitauimus, cui & adiuncta est illa, quæ facta est octauo die Resurrectionis. Itaq; habemus in hac pericopa duas reuelationes, Alterã in die Resurrectiõis, absente Thoma. Alterã in octauo die, præsente iam Thoma. Non possumus aũt singula tractare. Accipiamus igitur ea quæ nobis nunc tractatu utilia uisa sunt. In die Resurrectionis erant discipuli simul congregati, clã in domo clausis foribus, propter metũ Iudæorũ, & tractabant inter se de nuncio mulierum, de apparitiõe Christi Petro facta, deq; apparitione ea, quæ facta est duobus discipulis proficiscentibus in Emaus. Quare Iesus ex improuiso stetit in medio ipsorum uisibilis. Et initio salutat Apostolos bis: Pax uobis: Non exprobrat eis defectionem & abnegationem. Non conqueritur de sæuicia Iudæorum, Omnia ista obliuiscitur, sed adnunciat pacem, & significat omnia esse remissa peccata coram Deo. Monet etiam, ne cuiquam exprobremus ueteres iniurias, uetera delicta, ne Deus no

bis etiã uetera peccata reseruet. Deinde ostendit eis manus & pedes, iubet eos contrectare, & ait: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto uos. Mox insufflans in eos dicit: Accipite spiritũ sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis in cœlis &c. Hoc est dictum illud, hæc est sententia illa, quæ etsi est Ecclesiæ iucundissima & utilissima, tamen deprauata à Pontificijs, occasio fuit multorum errorum, & excitauit magnas in Ecclesia tragœdias. Pontificij. n. senserunt, q. Christus instituerit hoc loco Sacerdotium ad exẽplum legis Mosaicæ. In lege enim fuerunt Aheronici sacerdotes, qui obtulerunt Deo sacrificia ad expiãda peccata hominum. Ita existimauerũt Põtificij, sacrificulos in Christianismo institutos, qui offerant sacrificium missæ pro peccatis uiuorũ & mortuorũ. Et ut omnino exemplum conueniat, quemadmodum in Lege summus fuit sacerdos Aheron, ita illi constituerunt summum Pontificem Papam Romanum, qui solus habeat claues Regni cœlorum, & à quo omnes reliqui debeant claues petere, aut mutuo accipere. Sed hæc sunt nugacissima commenta. Christus enim longè aliud hoc loco agit, quàm quod instituat externum sacerdotium ad exemplar Legis Mosaicæ.

Nam primũ oĩm restituit Christus hoc loco Apostolos ministerio prædicandi Euãgelij, ad quod antè uocati erant. Non instituit Apostolos suos in exteros Monarchas huius seculi, sed cõmendat eis dignitatem

talem excellentiorem. Monarchis concessæ sunt diuitiæ terrenæ, habent potestatẽ uitæ & necis corporalis. Apostolis aũt cõmendatus est thesaurus cœlestis, & in ministerium eorum reposita sunt cœlum & infernus. Monarchæ distribuunt feuda corporalia, quæ non possunt hominẽ in morte & iudicio Dei seruare. Apostolis aũt cõmendatur distributio remissionis peccatorũ: Qua una re continetur uniuersa hominis salus. Quicquid aliarum rerum eis cõmendasset, non esset satis, nec marsupiũ plenum pecunia, nec lagenã plenam uino, quia pecunia non facit probos, sed auaros: uinũ non facit probos, sed facit ebrios. Cùm autẽ cõmendauit eis distributionẽ remissionis pctorum, plenariã peccatorum condonationem, omnia ad salutẽ necessaria donauit: ubi n. peccata sunt remissa, ibi Deus est placatus, & ubi homo reputatur ꝓpter Christũ iustus, ibi nec afflicto, nec mors, aut infernus nocẽt. Vnde in Psal. dicitur: Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Vbi autem peccata non sunt remissa, ibi nihil aliarũ rerum prodest. Quare in ministerio Apostolorũ collocata sunt uita & mors, salus & damnatio, cœlum & infernus.

Sed hîc obseruandũ est de quibus peccatis remittẽdis fiat sermo, Nõ de Papisticis et hypocriticis peccatis, ut si quis abominatur aut dãnat Missam Papisticã, uel negat sumptionẽ Sacramẽti sub una specie, aut edit carnẽ sexta feria, uel non inuocat sanctos de

mortuus, quæ sunt apud Papistas maxima peccata, de his aut similibus nihil hîc dicitur, sed de ijs quæ uerè sunt peccata.

Deinde, Quomodo Apostoli remittant peccata. Pontifices remittunt missis bullis & acceptis numis. Apostoli autem remittunt adnunciatione Euangelij de Christo, iuxta mandatum Christi: Ite, (inquit Christus) prædicate Euangelium omni Creaturæ, Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur.

Tertiò, Quo merito remittant Apostoli peccata. Remittunt non merito operũ, sed merito tantũ Christi. Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes.

Quartò, Quibus hominibus remittantur, & retineantur peccata. Omnibus & singulis cuiuscunq; generis remittuntur, si crediderint Euangelio, Retinentur, si abominantur Euangelium.

Quintò, In quem usum remittantur peccata. Non ut liceat peccare, sed ut reputemur iusti & adoptemur in filios Dei, ut uincamus mortem, & ut caueamus peccata, ac ambulemus in iusticia.

Sextò, Num solis Apostolis cõmendatum est hoc ministerium? ipsi quidem soli fuerunt tunc Apostoli, sed postea ministerio eorum funguntur, quotquot uocantur ad Euangelij prædicationem. Hi remittunt peccata,

peccata, non autoritate, sed ministerio uerbi Dei.

Deinde Christus hodierno dicto abrogat Mosaicam legem cum toto suo sacerdotio, & omnibus sacris. Nam in lege Mosi magnæ fuit molis peccata expiare. Non enim quilibet de plebe potuit hominum peccata expiare, sed necesse fuit unum esse de tribu Leui, de familia Aheronis. Et oportuit eũ multis & præclaris ceremonijs sanctificatum & consecratum esse. Præterea expiatio facta est, non in quouis loco, sed in templo Hierosolymitano. Accedit huc q̃, expiatio non est facta gratis, sed constitit multis agnis, ouibus, bobus, arietibus: necesse erat singulis diebus duos agnos sacrificare in holocaustum, unum mane, alterum uesperi. Accesserunt postea innumera alia sacrificia pro peccato, pro delicto. Item sacrificia Minhæ, & sacrificia pacificorum. Et tamen si rem rectè perpendas, hæc uniuersa non potuerunt minimũ peccatum coram Deo expiare, sed fuerunt tantum ciuiles expiationes coram populo Dei, & adumbrabãt duntaxat ueram expiationem per Christum uenturum. Nunc aũt Christus post resurrectionem suam reuelat ueritatem, & abrogat omnes illos expiandi peccata ritus. Christus enim is est, qui iam uerè corã Deo expiauit peccata nostra. Quare commendat nunc Apostolis suis, ut hanc expiationem per Euangelion reuelent in toto mundo. Sicut (inquiens) misit me pater, ita et ego mitto uos. Pater misit me, nõ ut sa

crificem oues et boues pro peccatis, sed ut expiationem per me fiendã Euangelio adnunciem: ita & ego mitto uos, nõ ut sacrificetis Missam pro peccatis, sed ut adnuncietis Euangelio uestro expiationẽ per me factam. Accipite non oues, nõ boues, non panes, non uinum, sed accipite spiritum sanctum, spiritum fortitudinis, spiritũ fiduciæ: accipite ministerium, & officium spiritus, quod est prædicatio Euangelij: huic Euangelio quicunq; crediderit, ei remittetis peccata. Qui autem huic non crediderit, ei retinebitis peccata. Nõ iam opus erit ouibus, aut bobus, nec opus erit externo templo Hierosolymitano, sed tantum opus erit publica & priuata prædicatione Euangelij in quouis loco orbis terrarum, &c. Ex his manifestum est, quòd Christus non faciat hoc loco ex Apostolis αὐτοκράτορας. Nec dat eis liberã potestatẽ faciendi ex peccato iusticiã, & ex iusticia peccatũ, quemadmodum Pontificij senserunt. Nec dat eis potestatẽ in purgatorium ignem, quem finxerunt, Sed commendat eis prædicationem Euangelij de Remissione peccatorum, ut qui credat, consequatur Remissionem, qui non credat, nullam habeat remissionem.

Præterea Christus docet hoc dicto Regnum suũ non esse corporale, sed spirituale. Discipuli enim adhuc expectabãt futurum, ut Christus assumptis ipsis peragraret totum orbẽ terræ, & subijceret sibi Gentes, ut ipsi consequerentur præclaras dominationes,

Sed

Sed ecce mittit eos ad adnunciandum Euangeliũ remissionis peccatorum. Non datur ulla potestas condendarum legum, non deijciendorum Regũ, sed tantum prædicandi Euangelij, ut qui credit, habeat remissionem peccatorum. Qui autem non credit, condemnetur. Habes nũc pauca de priori apparitione, nunc de posteriori dicamus. In hac enim apparitiõe primum est insigne testimonium, quòd Christus uerè à mortuis resurrexerit, quia non solum colloquitur cum discipulis, uerumetiam ostendit cicatrices suas, & præbet se tangendum Thomæ. Secundò, significat se non reijcere infirmos in fide, sed potius confirmare, exẽplo Thomæ. Satan cùm non potest nobis auferre Christum, conatur dãnare nos ob imbecillitatem fidei. Dicit: Tu nõ habes ueram fidem sicut Sancti: si Fides tua esset uenenũ, non posses inficere unam musçam. Fateamur ergo imbecillitatẽ fidei, petamus autem eam confirmari, & bene cõfidamus, quia etsi Fides est infirma, tamen Christus est firmus. Tertiò, docemur in hac apparitione non solũ Christum à mortuis resurrexisse, sed etiã esse uerum Dominum Deũ nostrum. Sic dicit Thomas: Dominus meus, & Deus meus. Ergo cum pueri interrogãtur, quo nomine uocetur Dominus Deus noster, docẽdi sunt respõdere, uocatur Iesus Christus. Quartò, Docemur q̃ Christus & Euangelion eius, ac beneficia in Euãgelio oblata, non pertineant tantum ad Apostolos & præsentes

eorum auditores, uerum etiã ad uniuersam Ecclesiam. Necessarium obseruatu. Multi sunt qui prætexunt suæ impietati, q̃ non uideatur Christus uiuere & regnare, alioqui se credituros. Alij sunt, qui contemnunt Euãgelion, quod nunc ex Apostolorum monumentis prædicatur, sed expectant nouas Reuelationes de cœlo. At hoc loco cùm Christus dicit: Beati qui credunt & non uident, alligat nos Christus ad testimoniũ & prædicationem Apostolorum, quam per manus accipimus, nec quæramus nouas reuelationes, aut præsentiam rerum illarum gestarum. Breuiter, in testificanda Resurrectione Christi hoc agitur, ut primum fides nostra cõfirmetur coram Deo de remissione peccatorum, de iusticia coram Deo et uictoria mortis, de æterna uita. Deinde ut uita nostra formetur, ut in nouitate uitæ ambulemus. Vetus uita est peccare. Noua uita est in uera iusticia ambulare. Assuescamus igitur nos nouæ uitæ in hoc seculo, ut per Christum in æterna uita perpetua fœlicitate fruamur, Amen.

DOMINICA MISERICORDIAS Domini, Euangelium Ioannis 21.

POstea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic, Erant simul Simõ Petrus

Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij discipuli eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim statim, & hac nocte nihil prendiderunt. Mane autem iam facto, stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli quòd Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri, num quod pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non ualebant illud trahere, præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus Petro: Dominus est. Simon Petrus cùm audisset, quòd Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio uenerunt. Non enim longè erant à terra; sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium.

Vt ergo descenderunt in terram, uiderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus, quos prēdidistis nūc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus cēntum quinquaginta tribus. Et cum tot essent, non est scissum rete.

Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discipulorum interrogare eum, Tu quis es? scientes, quòd Dominus esset. Et uenit Iesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter. Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis, cum surrexisset à mortuis.

HOMILIA PRIMA, DE Apparitione iuxta mare, habita anno 1543.

CVM



Vm ꝑpetuus sit fructus resurrectiõis Dnī nostri Iesu Christi, iustissimũ est, ut nõ semel et iterũ, sed sæpenumero ãciamus resurrectiõis eius mẽtionẽ. Recitauimus igitur pericopẽ ex Euãgelista Ioanne, in qua Christus iterũ manifestissimis argumẽtis probauit, se uerè à mortuis resurrexisse, quod ut rectius ꝑcipiamus, exponemus huius gestæ rei occasionẽ. Nã Christus ante mortem suã prædixerat se in Galilæa appariturũ uiuũ: Postq̃ (inquens) surrexero præcedã uos ĩ Galilæã. Ac Angeli de eadẽ re admonẽt mulieres, Dicite (inquũt) discipulis, præcedet uos ĩ Galilæã, sicut dixit uobis. Quare cũ Apostoli et reliqui discipuli tã priuatis q̃ publicis reuelationibus certificati essent, Christũ uerè à mortuis resurrexisse, redeũt à Iudæa ad Galilæã, expectaturi illic magnã illã & publicã reuelationẽ Christi, de qua antè prædictũ erat, et quæ postea corã plus q̃ q̃ngentis fratribus facta est. Sed interea Petrus, ne ocio marcesceret, dicit ad quosdã collegas suos, se iturũ piscatũ. Comitãtur eũ reliqui, quos Ioãnes cõmemorat. Itaq; ea nocte nihil capiũt pisciũ. Mane aũt reuelauit se Iesus et petijt cibũ. In hac igitur reuelatiõe multa miracula facta sunt. Primũ est, q. Christus tã in regno Patris existẽs, reuelauerit se uisibilẽ ueluti quendã ẽpturientẽ pisces. Secundum est, q. discipuli ex uerbo Christi capiũt maximã pisciũ multitudinẽ. Tertiũ, q.

Petrus agnoscens Christũ ambulauerit super mare, nec sit demersus. Quartum, q̃ inuenerit prunas in littore, & piscẽ superpositum, & panes. Quintum, q̃ rete præ multitudine piscium non sit fractũ. Hæc sunt præclara miracula in hac reuelatione gesta. Videamus nunc usum eorũ. Ac initio exponemus generalẽ usum eorũ. Sũt.n. idcirco à Christo ædita, ut per hæc ostenderet ac cõfirmaret, se uerè à mortuis resurrexisse, et esse ad dexterã Dei, hoc est, habere æqualẽ cum Deo patre oĩpotentiã. Pisces cogit in rete, Petrũ mirabiliter sustẽtat in aquis ne submergatur. Creat prunas, pisces et panes in littore, cõseruat rete ne rũpatur. Hæc certè non potuissent mirabiliter fieri à Christo, nisi resurrexisset à mortuis, & præditus esset diuina potentia. Oportet aũt certissimum esse, q̃ Christus resurrexerit à mortuis. Nã si nõ resurrexisset, adhuc essemus in pctis nostris. Resurrectio enim Christi est iustificatio nostri, & nos iusti sumus per Resurrectionem Christi. Dicit.n. Paulus: Resurrexit propter nostri iustificationẽ. Sed quomodo (inqes) id fieri põt, q̃ Resurrectio Christi sit nostri iustificatio? Rectè admodũ. Nam Christus per Resurrectionẽ intrauit in gloriã Dei patris, & sedet ad dextram patris. Nõ sedet aũt ociosus, sed (ut Paulus ait) interpellat & intercedit pro oĩbus ijs, q̃ credũt in ipsum. Exponit.n. (ut ita loquar) Patri, q̃ effuderit pro credẽtibus in ipsum sanguinẽ suũ, & q̃ obedierit ipsi usq;

Miraculorũ Christi usus.

Resurrectionis Christi utilitas.

ad

ad mortẽ crucis, propter eos, Adeoq; se totũ ipsis do nauerit. Hac intercessione filij ita mouetur pater, ut non solũ remittat credẽtibus in Christũ pcta, sed etiã reputet eos iustos, & agnoscat filios suos. Resurrectio igitur Christi est iustificatio nostri. Quare quanto certior est Resurrectio Christi, tãto certiores efficimur de iusticia nostra. Ergo q aut corde aut facto negãt resurrectionẽ Christi, hi nullã habent iusticiã. Item q quærunt iustificari meritis suorũ operum, hi nondũ credunt Christũ resurrexisse. Deinde si Christus nõ resurrexisset, necesse haberemus mori, & in morte perire. Resurrectio.n. Christi est perpetua nostra uita, etiã in media morte. In hoc Christus mortuus est, (inqt Paulus) & resurrexit & reuixit, ut mortuis ac uiuẽtibus dominaretur, hoc est, ut cõseruaret nos, siue uiuẽtes, siue moriẽtes: siue.n. uiuamus, siue moriamur, Domini sumus. Ac in persona quidẽ Christi nunc hoc per Resurrectionẽ manifestũ est, q, ipse non perierit in morte, in nobis aũt nondũ est manifestum, & tamẽ propter Resurrectionẽ Christi uerissimum & certissimũ est, q, nec nos pereamus in morte, si fuerimus mẽbra Christi. Potuisset Christus hoc statim unà cũ Resurrectione sua rebus ipsis in discipulis suis reuelare, ut statim mortui in Christo manifestè ad uitã conseruati essent, sed quotus tunc fuisset numerus credentium? q pauci accepissent fructũ Resurrectionis eius? Quare Christus optimo ac prudẽ-

tißimo consilio reiecit huius rei manifestã reuelatio nẽ usq; ad nouißimũ diẽ, ut interĩ posßit filios suos ex filijs hoĩm cõgregare. Itaq; Apostoli mortui sunt, cũ nõdũ uenisset nouißimus dies, ut et posteri eorũ colligerẽtur ad Ecclesiã. Similiter & posteri ac discipuli Apostolorũ mortui sunt, ut et horum posteri ac discipuli ad ecclesiã uenirẽt. Et adhuc hoĩes moriũtur, nõdũ reuelato nouißimo die, qa Deus adhuc colligit ecclesiã suã. Nã quẽadmodũ Regna instituit & deiecit propter filios Israel, ita nũc differt nouißimũ diẽ, et sinit alia collabi, alia restitui, pro more huius mũdi, ut interea tpis cõgreget filios suos in unũ, qui postq; collecti fuerint, tũc ueniet repẽtinus dies, et reuelabitur uerẽ, q, mors nihil nocuerit pijs propter resurrectionẽ Christi, sicut nec somnus nocet hoĩbus. Quare etsi nunc morimur adhuc, tamẽ quãto certior est Resurrectio Christi, tãto certiores sumus nos in morte cõseruari ne pereamus, propter Christũ. Habes generalẽ usum hodiernæ historiæ. Nunc uideamus etiã specialẽ. Discipuli nihil capiunt pisciũ, nisi iubente Christo. Hoc miraculo docemur oẽm esse benedictionẽ apud Christum, et in uocatione Christi: Vbi. n. est Christus, ibi oĩs benedictio et fœlicitas est. Quid ergo, inquis: cur tãtum est benedictiõis, et fortunæ apud Turcã aduersus Christianos? An Christus defecit à populo suo ad Turcã? Absit. Cũ. n. dicimus ibi eẽ benedictionẽ, ubi est Christus, et ibi esse maledictionẽ, ubi abest

Benedictio seu fœlicitas uera.

est Christus, rectè sentiẽdũ est de benedictiõe et maledictione. Alia est benedictio externa & incõstans, hæc nõ semper est apud Christũ seu Christianos. Nec opus est: quia hæc benedictio est fluxa et cõmunis cũ suibus, cũ porcis, cũ serpentibus, cũ lupis et leõibus, qui sæpe uincunt oues et pecora ac hoïes. Alia est benedictio uera, spũalis, & cœlestis ac æterna, quæ est remissio pctõrum, liberatio et cõseruatio in morte, et uita æterna. Hæc benedictio semper est apud Christũ, et in uocatiõe Christi, et hãc solã debemus sectari. Aliã externam oportet nos aliquoties cedere impijs, sed illã uerã nunq̃ amittemus. Relinquamus Turcis terrã, et retineamus nos cælũ. Deinde Petrus conseruatur in aquis p̃ Christũ ne submergatur. Quod miraculũ nõ docet nos temerè Deũ tẽtare, sed docet nos bene cõfidere in periculis, quæ in uocatiõe Christi et propter Christũ sustinemus. Alius suscipit paupertatẽ, et obsequitur uocatiõi Christi, ne cui imponat, is exponit se aquis. Itaq; mirabiliter cõseruatur ĩ Christo. Alius suscipit mortẽ ex uocatiõe Dei ne pecc̃et. Is exponit se aquis, sed ambulat illæsus super mare, ne submergatur etc. Quotidianũ est hoc miraculũ in credentib. Præterea discipuli inueniũt prunas, piscẽ et panes. Hoc miraculũ docet sectari uocationẽ Dei, et promittit curã Dei pro rebus necessarijs. Primũ quærite regnũ Dei, et oĩa adjciẽtur uobis. Sectemur igitur uocationẽ Dei, ut habeamus Deum pro nobis sollicitum, &c.

ALTERA CONCIO, DOminica Misericordias, Euangelium Ioannis 10.



EGo sum pastor bonus, pastor bonus ponit animam suam pro ouibus suis, Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius oues non sunt propriæ, uidet lupum uenientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit & dispergit oues, mercenarius

narius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrẽ, & animam meã pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile & unus pastor.

HOMILIA.



TSI Christus hanc concionem, quam ex Ioanne de pastore bono recitauimus, habuerit ante Passionem & Resurrectionem suam, contimetur tamen etiam in ipsa testimonium de Resurrectione Christi, cuius publicam his diebus mentionem celebramus. Dicit enim Christus: Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à memetipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus sumendi eam. Nam ut Resurrectio Christi, qua nobis nihil nec utilius nec magis necessarium contigit, probè confirmaretur, factum est consilio spiritus sancti, ut non solum

post Resurrectionem Christi manifestis apparitionibus & argumentis reuelaret maiestatem suam, sed etiam ante Resurrectionem uaticinijs prædiceretur. Ac Dauid quidem manifestè prædicauit de Resurrectione Christi, cùm ait: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Christus autem hoc loco ait: Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Quare nihil est certius aut confirmatius Resurrectione Christi. Sed operæ precium est, ut totam hanc concionem Christi summatim explicemus, quia ponitur in ea nobis perspicuè ob oculos. Primùm, quanta cura Christus Ecclesiam suam conseruet, ac tueatur. Deinde, quæ sit Ecclesiæ conditio erga Christum. Postremò erudit hæc concio unumquemuis uel Ecclesiasten, uel Magistratum, uel Patremfamilias, exemplo Christi, ut discat quomodo debeat in officio suo uersari. Ego sum (inquiens) pastor bonus: pastor bonus ponit animam suam pro ouibus suis, &c. Christus potuisset cœlesti lingua loqui, sed maluit sese attemperare captui nostro, & loquitur de rebus humilibus, quæ tamen docent diuinissima. Solennis autem Christi consuetudo est, quòd libenter ducit similitudines à rebus uulgaribus, ac præcipuè ab hominum negociationibus sumptas. Aliàs dicit: Regnum cœlorum simile est homini seminanti

nanti agrum suum. Aliâs ait: Ego sum uitis uera. Aliâs: Simile (inquit) est regnum cœlorum negociatori. Aliâs: Homini patrifamilias celebranti nuptias. Nunc seipsum confert cum pastore. Hæ enim sunt uulgares hominum negociationes, in agris, in uineis, in rebus politicis, in mercatura, in pascendis gregibus. Profert autem hæc in medium non tantum, ut perspicuè exponeret animi sui sententiam, sed etiam ut admoneret nos his concionibus, quòd conditi simus, nõ ut principaliter sectemur negocia huius seculi. Est quidem unicuiq; pro sua uocatione laborandum. Et negocia tractanda sunt, non autẽ propter hanc præcipuè causam conditi sumus, sed in hoc sumus conditi, ut cognoscamus Deum, & quem ille misit Iesum Christum, ac glorificemus eum, & sectemur pietatẽ ad uitam æternam. Hic est finis ad quem ordinati sumus. Quare ut discamus Deum cognoscere in omnibus negocijs, producit Christus ea in medium, quo assuefaciat nos sine intermißione, ac in medijs etiã prophanis negocijs, Deum glorificare, & pietatem sectari. Sed relictis alijs tractabimus nunc de pastore: Ego sum (inqt) pastor bonus. Omnes quotquot ante me fuerunt, fures sunt & latrones, ego uero solus sum pastor ille bonus. Christus omnes alios reijcit & damnat, se solum autem commendat. Quid ergo dicemus? Ipse sui tibicen est? Vulgo dicitur: seipsum laudare, uani est. Rectè hoc dicitur de omnibus qui ne-

tura sunt mendaces, & qui absq; Deo nihil habent in se commendatione dignum. Quare uanissimum est seipsum laudare. In Christo autem officium est, quia uenit in hunc mundum, ut ueritatem doceret. Veritas autem est, solum Christum esse bonum pastorem, & alios homines esse fures & latrones. Quid igitur dicendũ est de Prophetis & Apostolis? Hîc uerò recte intelligendus est sermo Christi: nã seipsum quoq; interpretatur perspicuè in principio huius capitis. Dicit enim: Amen amen dico uobis, qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliundè, ille fur est & latro: qui ergo intrãt per ostium, non sunt fures & latrones, sed illi fures sunt, qui non intrant per ostium. Prophetæ & Apostoli intrârunt per ostium. Non igitur sunt fures nec latrones. Quæ ut rectius intelligamus, uidebimus quod sit ostium. Ego sum (inquiens) ostium: per me si quis introierit seruabitur. Quid ergo est Christus, ut uideamus quo modo sit ostium? Christus dupliciter considerandus erit, uidelicet iuxta personã suam, & iuxta officium suum. Quod attinet ad personam eius, uerus est Deus, Dei filius, & uerus est homo, natus ex Maria uirgine: quod attinet ad officiũ suum, uenit Christus in hunc mundum, non ut administraret regnum ciuile, & uindicaret homines in externam & carnalem libertatem, sed ut expiaret peccata, ac reconciliaret homines cum Deo, ac impetraret eis remissionẽ peccatorum,

catorum,& uitam æternam. Talis est Christus tam persona sua quàm officio suo. Hîc nũc facile est iudicare, qui sint fures & latrones, qui non intrant per hoc ostium. Omnes (inquit) quotquot uel personæ Christi uel officio eius aliquid detrahũt, contra scripturã, hi sunt fures & latrones. Enumerabimus autem aliquot genera furum ac latronum, ut hostes nostros agnoscamus & fugiamus. Dimidium liberationis habet, qui hostem suum agnoscit. Primùm ergo Philosophi gentium fuerunt fures & latrones: hi enim etsi præclara docuerunt de uirtutibus, quæ non sunt contemnenda, attamen quia senserunt humanas uirtutes esse merita, quibus efficimur beati, non intrarunt per ostium, quod est Christus, cuius solius meritis iustificamur & saluamur. Furati igitur sunt humanas animas, & latrocinati sunt eas. Deinde Phariſæi Iudæorum, qui docuerunt quidem multa Legis opera, sed addiderunt ea esse ueram iusticiam: Qua doctrina furati & latrocinati sunt animas hominũ. Adhæc seditiosi ante Christum, qui iactabant se esse Christos, & promittebant restaurationem externi Regni in Israel. Hi quia docuerunt externam liberationem Regni Meßiæ, non intrarunt per ostium, & trucidarunt animas sectatorum suorum. Deinde uenerunt uaria genera hæreticorum in Ecclesia aduersus personam Christi, quorum alij negârunt in Christi persona ueram diuinitatem, alij ueram humanita

Fures & latrones.

tem. Hi sunt uomicæ Ecclesiæ. Vt in corpore humano quantumuis sano, semper stercora effluunt, interdũ etiam ulcera proturbantur: Ita in corpore Ecclesiæ hæretici & impij &c. Postremo exortus est Papatus, qui ut hæretici illi personam Christi prophanárunt, ita Papatus prophanauit officium Christi. Docet. n. q, consequamur remissionem peccatorum meritis nostrorum operum. Et in hunc usum institutæ sunt tot Missæ & Monasteria. Hoc est officium Christi negare, et hominũ animas furari ac latrocinari. Crudele est hominem publicè trucidare gladio, nec est tolerabile: at multo crudelius est hoĩm animas impietate furari ac latrocinari. Quare minus tolerabile est. Habemus fures & latrones ouium. Christus autem uerus est pastor, quia habet omnes conditiones ueri et boni pastoris. Bonus pastor educit oues ad pascua, uocat eas nominatim, & præcedit eas. Non deterretur ab officio pascendi uarijs periculis, sed ponit animã suam pro ouibus. Pastorum uaria sunt pericula. Cùm. n. educunt oues ad pascua, uidentur eas educere in præsentem mortem, quia sciunt in pascuis uagari leones & lupos. Itaq; non se tantum, uerum etiam oues exponunt periculis. Adhæc, cùm ouibus periculũ accidit, reijcitur in eos culpa: sed his periculis nõ deterrentur boni pastores ab officio, ac potius uitã amittunt, quàm ut oues pro officio suo non educant ad pascua. Sic & Christus habet pascua. Euan-

Christus Pastor.

gelium

geliũ ſcilicet: educit oues ad paſcua, quia inſtituit mi-
niſterium Euangelij: tuetur oues, quia præcedit do-
ctrina et uita: nouit eas, & defendit unumquẽq; pri-
uatim. In hoc autem munere uaria offeruntur perí-
cula, quia Chriſtus cùm inſtitueret Euangelion, cogi
tauit, q, non ſe tantum obĳceret periculis, ſed omnes
paſtores, & oues ſuas, attamen propter hoc non eſt
deterritus ab officiò ſuo & uocatione: Quia ut nos
habeamus in hoc ſeculo tranquillitatem non eſt ne-
ceſſe, ut autem obſequamur uocationi Dei, & unuſ-
quiſq; ſuum faciat officium, omnino neceſſe eſt, &c.
Habes Chriſtum paſtorẽ. Nunc de ouibus uide. Oues Oues.
ſunt ſtultiſſimæ: ſi aberrauerint, nõ redeunt ſua ſpon
te, & tantum agnoſcunt uocẽ ſui paſtoris. Ac omnia
ouium utilia ſunt. Sic & hoĩes natura ſtulti ſumus,
non ſectamur ouile, ſi ſemel aberrauimus: Sed debe-
mus in omnibus utiles eſſe Deo & hominibus etc. Po
ſtremò docet Chriſtus omnes alios, quibus commiſſa
eſt aliena cura. Docet Magiſtratum & Eccleſiaſten
& Patremfamilias. Nam ueteres uocarunt Reges pa
ſtores: & Moſe ac Dauid ex Paſtoribus facti ſunt
Principes: his commiſſa eſt cura ſubditorum, uelut
ouium. Similiter ſunt paſtores Miniſtri Eccleſiæ. De
bent igitur habere conditiones boni paſtoris. Pri-
mùm, ut intrent per oſtium, hoc eſt, quærant gloriã
Chriſti. Deinde oues ad paſcua ducere, hoc eſt, ope-
rã dare, ut uera Religio & publica honeſtas conſer-

uetur: adhæc oues tueri, ille gladio, hic uerbo & precibus. Nec debent auerti ab officio suo timore periculorum. Magistratui incidit: si turbaueris subditos, obijcies te & ipsos periculis. Sic & ministro Ecclesiæ incidit: si perges, periculum est, ne trucideris & tu & Ecclesia. Item, si periculum inciderit, oues ipsæ uertentur & reijcient in te culpam. At hæc pericula bonum pastorem non debent ab officio auertere. Oues omnino ad pascua ducēdæ sunt: unusquisq; faciat suum officium, hoc necessarium est, non est necessarium, ut publica tranquillitas semper constet, sed necessarium est, ut rectè unusquisq; pro officio suo faciat. Exemplum in Dauide 1. Samuel. 17. Item in Mose. Item Iosaphat 2. Paralip. 20. Hi fuerunt boni pastores, quia etsi periculà ob oculos ponebantur, tamen pergebant in officio. Vnusquisq; ergo discat à Christo conditiones boni pastoris in suo officio, ut sectetur Christum pro sua uocatiõe, Sic fiet (ut inquit Christus) unus pastor & unum ouile. Hoc loco abuntur mali, sed est sensus de uocatione Gentium in hac terra. Item in futuro seculo in uno cœlo erit congregatio leonum & luporum, &c.

DOMIN.

DOMINICA IVBILATE, EVANGE= lium Matth. 28. Mar. 16. & 1. Corint. 15.



VNdecim autē diſcipuli abie= rūt in Galilęā, in montē, ubi cōſtituerat illis leſus, et cū ui diſſent illū, adorauerūt eū: quidā aūt dubitauerunt. Et accedēs leſus locutus eſt illis, dicēs: Data eſt mi= hi oīs poteſtas in cœlo & in terra,

Euntes ergo, docete oēs gētes, bā/ptizātes eos in noīe Patris, & filij, & ſpūs ſancti, docētes eos ſeruare omnia quę præcepi uobis. Et ecce ego uobiſcū ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſeculi.

Et 1. Corint. 15. Poſtea uiſus eſt plusq; quingētis fratribus ſimul, ex quibus plures manent ad hunc uſq; diem, quidam aūt obdormie rūt. Deinde uiſus eſt Iacobo: dein de Apoſtolis omnibus. Nouiſsi/mè autem oīm tanq; abortiuo ui/ſus eſt & mihi. Ego eī ſum mini/mus Apoſtolorum, qui nō ſum di gnus uocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiā Dei. Gra/tia aūt dei ſum id q̄d ſum, & gratia eius in me uacua non fuit: ſed abū dantius illis oībus laboraui. Non ego autem, ſed gratia Dei, quę me cum eſt.

HOMILIA PRIMA, DE MAGNA apparitione Christi in Galilæa, habita anno 1543.



Diximus nunc aliquoties de Resurrectione Iesu Christi. Non potest autem satis de ea dici: in hoc enim articulo, et in huius articuli statu, pendet tota salus hominum, ac totius mundi. Nunquam autem satis potest dici de nostra salute. Quicquid dictum fuerit, minus est quàm reipsa in se complectitur. Vera dici possunt, & debent, sufficientia autem nunquam possunt dici. Similiter necessaria dici possunt, sed perfecta & completa dici non possunt in hoc quidem seculo. Quare differemus etiam nunc de Resurrectione Christi, ut & quæ uera, & quæ ad salutem nostram necessaria sunt cognoscamus. Exponemus autem modò magnam illam Apparitionem Christi, quæ facta est in Galilæa, in monte (ut uolunt) Thabor. Nam Christus ante mortem suam receperat se appariturum discipulis suis in Galilæa. Postquam (inquiens) surrexero, præcedam uos in Galilæam. Et post resurrectionem Angeli idem repetunt. Ecce præcedet uos in Galilæam, ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis. Videamus igitur, quomodo hæc gesta sint. Postquàm enim Christus apparuisset discipulis aliquoties in Iudæa, & etiam in Galilæa, ad mare Tiberiadis,

constituit eis montem (existimant autem eum fuisse Thabor) ad quem cõgregarent se, ut ibi eum publicè uideãt. Cùm igitur hæc fama inter discipulos percrebuisset, festimant multi statuto tempore ad montem. Horum Paulus dicit fuisse plusq; quingẽtos. Ac initio cùm hi uidissent eum, quidam adorauerunt, quippe qui antea quoq; uidissent eum, alij autẽ dubitauerunt, uidelicet stupidi facti, propter inusitatam & admirabilem apparitionẽ. Quare ut nullus relinqueretur locus dubitationi, Iesus accessit ad eos uisibiliter, collocutus est cũ ipsis, ac exposuit initiò maiestatem suam: data est mihi (inquiens) omnis potestas in cœlo et in terra. Deinde dedit Apostolis mandata, ut post Ascensum suum in cœlũ, et missum spiritum sanctum, prædicarent Euangelion in uniuerso orbe terrarum, & confirmarẽt miraculis, ac baptisarent omnes Gentes, quæ acciperent Euangelion. Postremò pollicetur omnibus qui credũt Euangelio, salutem perpetuam. Qui crediderit (inquiẽs) & baptizatus fuerit, saluus erit. Hæc ferè sunt quæ Christus in hac magna apparitione cũ discipulis suis trãsegit. Etsi autem superuacanea curiositas est, inquirere occultas causas diuini consilij, tamẽ pietatis genus est, cupere eas diuinorum factorum causas cognoscere, quæ aliquid faciunt ad confirmationem ueritatis Religionis nostræ. Quid ergo causæ est (inquies) quòd Christus manifestat se tãtum paucis suis

discipulis?

discipulis? quid enim sunt undecim discipuli ad mil= le? imò quid quingenti ad tot myriades Iudæorũ & Gentium? Cur non manifestauit se uiuum omnibus gentibus in terra, aut saltem omnibus Iudæis? In pro mulgatione Decalogi manifestauit Deus Maiesta= tem suam in monte Sinai plus quàm sexcentis milli bus hominum: plus autem est Resurrectio Christi, q̃ promulgatio Decalogi. Quid ergo Christus non ap paruit etiam uiuus coram tot millibus hominum post Resurrectionem suam? Primùm, Christus ipse ante mortem suam dixit, se non appariturum mun= do, sed tãtum discipulis suis. Non relinquã (inquit) uos orphanos, ueniã ad uos: adhuc pusillum, et mun dus me iam nõ uidet, uos autem uidetis me. Vnde et Iudas, non ille Iscarioth, quærit: quid factũ est Do= mine, quòd te manifestaturus es nobis, & non mun do? Audit ergo: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eũ, & ueniemus ad eum. hoc est, superuacaneũ esset ut apparerẽ mun= do, quia nõ diligit me. Hominem nũquàm me corãm miracula edentem obseruârunt, quid ergo facerẽt, etiamsi uiuus tantum appareã? Si antè dixerunt me edere miracula ex Beelzebub, dicturi etiã sunt me apparere ex Beelzebub. Quare non apparebo illis impijs, sed diligẽtibus me, discipulis meis etc. Verax igitur est Christus, q̃ quæ antè prædixit, hæc etiam implet, & apparet tantum discipulis suis, qui Euã=

gelio suo fidem adhibebant. Deinde considerandum est, quòd Deus cõstituerit duo magna et publica comicia in orbe terrarũ: alia sunt ea quæ habita sunt in deserto ad mõtem Sinai in promulgatione Decalogi: In his comicijs congregata fuit tota posteritas Abrahæ, uidelicet sexcẽta millia hominum, præter mulieres, paruulos et seruos. Alia comicia habebuntur in extremo die, in quo congregabuntur omnes homines, qui ab initio terræ, usq; ad consummationem eius fuerunt. Non enim habet Deus tam frequẽtia comicia sicut Monarchæ huius terræ: hi frequentissimè conuocant gentes suas, et tamen paucissima, quæ sunt reipublicæ utilia peragunt. Deus autẽ duo tantum habet comicia publica, & peragit maxima. In prioribus illis conficit negocium longè omnium maximum, tale nimirum, quo totus mundus postea occupatus fuit: cõstituit enim regnũ Israelis, in quo conseruarentur promissiones de Christo, & doctrina ueræ Religionis: in his enim comicijs promissus fuit Aduẽtus Christi, qui esset habiturus posteriora comicia in nouissimo die. Israelitæ enim non potuerunt sustinere terribilem uocem Dei, sed petierunt Mediatorem. Dixit igitur Deus ad Mosen: Prophetam suscitabo eis de medio fratrũ, Deut. 18. Hic Propheta est Christus. Paulus autẽ docet, hunc esse qui celebraturus sit nouissima comicia. Dicit enim Act. 17. Deus nunc adnunciat hominibus, ut omnes ubiq; resipiscant,

resipiscant, eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum per eum uirum, per quẽ decreuerat fide præstita omnibus, cùm excitarit illum à mortuis. Priusquàm aũt præsto adest tẽpus horũ nouissimorum comiciorũ, nõ opus fuit, ut Christus appareret uuus toti orbi, sed tantum necesse fuit, ut firmis testimonijs cõprobaretur hunc esse eum, qui illa comicia sit habiturus. Quare apparet tãtum tot hominibus in terra, quot uidẽtur esse satis ad publicum testimonium. Petrus ait Acto. 10. Hunc Deus suscitauit tertio die, et exhibuit eum, ut manifestus fieret, non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis. Itaq; apparuit aliquoties duobus aut tribus. Et hoc satis fuisset, quia in ore duorum aut trium stat omne testimonium. Sed ut resurrectio magis confirmaretur, apparet nunc septem, nunc undecim aut duodecim: hic est solennis numerus testium, qui & suam autoritatem habet in roborandis testamẽtis. Postremò ut nihil deesset testimoniorum, apparet plusquàm quingentis simul hominibus. Quid amplius requiris? hi publicum semper testimonium dederunt resurrectioni Christi. Confirmata igitur resurrectione Christi, confirmatur tota salus nostra. Primùm enim, si Christus nõ resurrexisset, tunc omnes homines perijssent, & sicut publicè solemus cãtare: Si Christus nõ resurrexisset, tunc mundus perijsset. Quomodo id (inquis)? An nõ mundus etiam sic trã

sibit? Cœlum & terra (inquit) transibunt: quid ergo est quod canimus? Turpe est non intelligere nostra uulgaria cantica. Quare quod de transitu mundi dicitur, sic intelligendum est. Certum enim est quòd etiamsi Christus resurrexit, tamen cœlum & terra transibunt. In carmine autem nostro mundus intelligitur pro hominibus, & salute hominum. Si enim Christus non resurrexisset, tota hominis salus interijsset. Etenim Christus promissus est orbis seruator, iã inde ab initio mũdi. Itaq; Christus, si nõ resurrexisset à mortuis, non fuisset uerus Christus, & omnia Prophetarum uaticinia de Christo fuissent uana mendacia. Adhæc homines meriti sunt peccato mortem & internecionem perpetuam, & necesse habent Resurgere, ut salui fiant. Si autem Christus non Resurrexisset, nulla esset Resurrectio mortuorum, omnes interirent perpetuò. Nunc autẽ Christus Resurrexit, & hoc probatũ est euidentißimis testimonijs corã plusquàm quingentis hominibus. Probatũ item est per mißionẽ spiritus sancti, et per miracula Apostolorum, quæ in nomine Christi edita sunt. Quare mundus nunc constat, hoc est, omnia oracula Prophetarũ uera sunt, et homines in Christum credentes, non pereunt in morte, sed resurgẽt ad perpetuam fœlicitatem. Deinde, si Christus non Resurrexisset, tunc iuxtà referret, quam quis Religionem sectaretur, & qualem duceret uitam. Ethni

eorum,

corum, Iudæorum, Turcarum, Papistarum, diuersæ sunt Religiones, quid igitur uel prodesset, uel obesset has Religiones sequi? Latro, adulter, fur, incendiarius, diuersa sunt nomina facinorum: quid igitur obesset hæc scelera designare (modo quis euaderet supplicium externum) si Christus nõ resurrexisset? Nunc autem resurrexit & uiuit, ac dominatur ad dextram Dei. Quare uana est religio Ethnicorũ colentium multos deos. Vana est Religio Iudæorũ & Turcarũ, uolentiũ absq; Christo salutẽ consequi. Vana est religio Papistarũ, conãtium sine officio Christi ingredi cœlũ. Sola eorũ Religio certissima et uerissima est, qui credunt Iesum Christũ resurrexisse, sedere à dextris Dei, & intercedere pro nobis, ac placasse nobis Patrem. Non sufficit aũt, ut sectemur uerã Religionẽ, sed necesse etiã est, ut iuxta ueræ Religionis normã uiuamus. Matrimoniũ est ordinatio Dei, sed adulter est nequã. Ita nostra Religio est certa & uera: uidendum igitur ne nos simus mendaces, et impiè uiuamus, sed operam demus, ut uita nostra Religioni nostræ, per Resurrectionem Christi comprobatæ, sit conformis, Amen.

ALIA HOMILIA SVPER EVANGELION Ioan. 16. In qua ostenditur, q. afflictiones atq; mors ipsa, non sint nisi officina fœlicitatis, & æternæ uitæ, habita anno 1537.

MOdicū & iam non uidebitis me,& iterꝝ modicū, & uidebitis me, qꝛa uado ad Patrē. Dixerūt ergo quidā ex discipulis eius ad inuicē: quid est hoc qꝛ dicit nobis:Modicū & nō uidebitis me,& iterꝝ modicum & uidebitis me:&,quia uado ad Patrē? Dicebant ergo:qd est hoc q̄d dicit nobis modicū?Nescimus qd loquatur. Cognouit aūt Iesus qꝛ uolebāt eū interrogare,& dixit eis: De hoc queritis inter uos,qꝛ dixi:Modicū & non uidebitis me, & iterꝝ modicū & uidebitis me. Amen amē dico uobis, qꝛ plorabitis & flebitis uos, mundus autē gaudebit. Vos autē contristabimini:sed tristicia uestra uertetur in gaudium. Mulier cū parit,tristiciā habet, qꝛa uenit hora eius. Dū aūt pepererit puerum,

puerum, iam non meminit angu/ stię, propter gaudiū, quia natus est homo in mundum. Et uos igitur nūc qdem tristiciam habetis: iterꝝ aūt uidebo uos, et gaudebit cor ue strum, et gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Et in illo die me nō interrogabitis quicquam.

Vangelij pericopa, quam recitaui mus, sumpta est ex ea cōcione, quā Christus habuit post nouissimam cœnam, paulò ante Passionem suā. Et quia hæc concionatus est eo tē pore, quo maxima mortis afflictione comprehen= sus fuit, ideo singularem quandam energiam ha= bent, & magna diligentia obseruanda sunt. Ac pri= mùm uaticinatur Christus de Morte & Resurre= ctione sua: Pusillum (inquiens) & non uidebitis me, & iterum pusillum, & uidebitis me, quia uado ad Patrem. Hoc nihil aliud est, quàm moriar & resur gam in gloriam Patris mei. Vaticinatur autem de istis rebus, non ut ostentet prudentiam su= am, sed ut saluti nostræ & Euangelio eius con= suleret. Iesus enim prædicauit se uerum esse Messiam, uitam & salutem. Quis autem exi=

Christus cur de sua morte uaticinetur.

ſtimaret hunc Meſſiam, qui à ſuo ipſius populo tam ignominioſè tractatur? quis putaret hũc uiuere, qui turpiſſimæ morti traditur? quis hunc pro ſaluatore adoraret, qui ſeipſum non poſſet ab iniquorũ manibus ſeruare? Prædicit igitur Chriſtus Paſſionẽ ſuam, ut ſignificaret & oſtenderet ſe nõ coactũ mori, ſed uoluntarium, uidelicet ut Patri obediret, ut ſcriptura impleretur, & ut ſua morte nos à morte liberaret: & quod hoc loco facit, idem ſemper ante Paſſionem ſuam inculcauit. Nunc ait: Filius hominis illudetur, tradetur gẽtibus, Nũc dicit: Princeps huius mundi eiicietur foras, Et: Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me ipſum, et id genus multa alia, quæ ideo ante Paſſionem ſuam inculcat, ut nõ offendamur, ſed credamus ipſum etiã ſub Paſſione et morte eſſe uerum Meſſiam & Saluatorem noſtrum, id quod reſurrectione à mortuis declarauit. Deinde explicat Chriſtus in hac pericopa, fructũ et utilitatẽ Reſurrectionis ſuæ. Nã Chriſtus cõmutauit et ſanctificauit reſurrectione ſua omnem triſticiam in lætitiam, omnem afflictionem in gaudiũ, omnẽ deniq; mortem in perpetuam uitã & fœlicitatẽ. Hoc autẽ cognoſcere, ualde nobis ad ſalutem neceſſariũ eſt. Primùm enim natura ita affecti ſumus, ut quoties præſens triſticia & afflictio, ſiue corporalis, ut paupertas, morbus, ſiue ſpiritualis, nos premit, exiſtimemus nullã amplius ſalutẽ reliquã eſſe. Hinc oriun-

Reſurrectionis Chriſti utilitas.

tur

tur conuicia, uirulentiæ, blasphemiæ aduersus Deũ & homines: hinc ruimus in omnia genera scelerum, quia putamus Deũ nos negligere, nec unq̃ adiuturũ. Deinde, cùm prædicatur nobis de morte, ut eam æquo animo feramus & benè speremus, statim respõsare solemus: æquo quidem animo mortem ferrem, si scirẽ quid mihi in altero seculo paratũ esset, aut si quis ex altero mundo rediret, qui nobis significaret, quid in eo rerum ageretur. Hinc iterũ oriuntur conuicia ac contumeliæ in Deum, & tandem ipsa desperatio. Sed Christus obuiã it his prauis opinionibus & tentationibus in pericopa huius Euãgelij, et docet se illum esse, qui ex alio mũdo rediturus sit in hunc mundum, & qui adnũciaturus sit, quid in futuro mũdo agatur, & quid in præsenti agendũ sit. Pusillum (inquit) & iterum uidebitis me. Et aliás: Non relinquam uos orphanos, iterũ ueniã ad uos &c. Et quod promisit, reipsa etiam præstitit. Tertia. n. die Resurrexit à mortuis, & apparuit discipulis p̃ quadraginta dies, quo Resurrectionem suam probè cõfirmaret: et in his quadraginta diebus planè id ipsum docuit et cõfirmauit, quod & antea docuit, & nos maximè oĩm requirimus. Lucæ ult. ait: Nonne hæc oportuit Christum pati, & intrare in gloriam suã? Et postea: Sic scriptũ est, et sic oportebat Christum pati, & tertio die resurgere &c. hoc quid aliud est, quàm docere, q̃ Christus effecerit sua Mor-

te et Resurrectione, q̃ tristicia huius mundi sit officina lætitiæ secuturæ in futuro mundo, et q̃ afflictiones et mors huius seculi sint officina futuræ uitæ et fœlicitatis, in omnibus ijs qui credunt in ipsum. Hoc est, quod docuit post Resurrectionem. Hoc idem est quod docuit etiã ante Resurrectionem in hac Euangelij pericopa, quã ex Ioanne recitauimus. Nec simplicibus uerbis id affirmat, sed primum omnium demonstrat illud exẽplo mulieris in partu laborãtis. Dicit enim: Vos mœrore afficiemini, sed mœror uester uertetur in gaudiũ, Mulier cũm parit, dolorem habet &c. Hoc exẽplum non est oscitanter præteundum. Nã quòd Christus meminit mulierũ in partu laborantium, eo maximè tẽpore, quo maxima ei imminebat afflictio, significat dolorẽ mulierũ parturientiũ à Domino sanctificatũ esse. Dolor. n. partus nõ est fortuitus, sed à Deo ordinatus, et mulieribus impositus: in dolore (inquit) paries liberos tuos &c. Quod aũt Deus ordinauit, huic etiã addit gratiam et benedictionẽ suã: et q̃uanquã ordinauit hũc dolorẽ propter peccatum, tamẽ quia Christus expiauit peccatum, sanctificauit etiam dolorẽ partus in sanctã crucẽ. Vnde et Paulus dicit: Mulier salua fiet per liberorum generationẽ, si manserit in fide. Ad hæc, q̃ Christus producit mulieres partu laborãtes in exẽplum, quo consoletur tristes suos discipulos, significat Deum adumbrasse, et depinxisse liberatio-

nem

nem ex afflictionibus et resurrectionē ex morte, in partu mulierū. Et partus mulierū proponitur nobis, ut concio publica, è qua discamus, dolorē esse officinā gaudij, Tristiciā esse officinā læticiæ, Mortē esse officinā uitæ. Quare cùm audimus mulierē partu laborare, meminerimus huius loci, ut in fide cōfirmemur. Sed ut omnimo imbecillitati fidei nostræ cō suleretur, Deus depinxit nobis etiā in alijs naturalibus rebus, dolorē esse organō uiuificationis. Ioā. 12. dicit Christus: Amen amē dico uobis, nisi granū frumenti deiectum in terrā, mortuū fuerit, ipsum solū manet. Si uerò mortuū fuerit, multum fert fructū. Nā liquescit granū in agro, et uidetur extrinsecus planè periisse, sed tūc maximè meditatur fructū. Pinxit ergo Deus in naturā grani, q̄ mortificatio præcedat uiuificationē, et q̄ aduersitas sit organō prosperitatū. Iam, et hoc ipsum adūbrauit etiā Deus in hyeme, quo tēpore omnia niue obruūtur. Nā cū q̄s niuē conspiceret omnia tegentē, et rerū naturæ inexpertus esset, quî cōijceret tantā æstatis fœcūditatē paulò post affuturā? Attamen qui rerā usum callēt, hi sciunt niuē meditari æstatē, et cōducere æstati. Tēpus aūt tribulationis, nihil aliud est quā tēpus niuis. Adūbrauit igitur Dominus in niue, q̄ afflictiones nō sint perditiones, sed organa ad salutem. Cæterū Deus declarauit nobis ista nō tantū in natura, sed etiam reuelauit nobis promissionibus uerbi sui.

1. Regũ 2. Dominus mortificat et uiuificat, Dominus deducit ad inferos, & reducit. Psal. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Psal. 90. Cũ ipso sum in tribulatione &c. Ezechie. 33. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed ut cõuertatur, et uiuat. O nos fælices propter quos iurat Deus, Infælices aũt, si nec iuranti credimus. Et has promißiones cõfirmauit Deus clarißimis exẽplis & miraculis. Exemplum est liberatio Ioseph, liberatio Israelitarum ex Aegypto, Iob, Dauid: sed maximũ omnium exẽplũ est Iesus Christus, qui & seipsum hoc loco proponit. Vado (inquiens) ad Patrem, iterum ueniã ad uos, et uidebitis me. Est autem Christus non tantum exemplum sicut Iob, et Dauid, sed etiam est Virtus, quia effecit sua Paßione et Resurrectione, q, omniũ sanctorum afflictiones sint officina et organa salutis propter Christũ. Atq; adeo, cùm semel habuerit magnam sextam feriam, quam secutum est Pascha, effecit, ut omnia tempora, quibus affligimur, cõsecrata sint in magnas ferias sextas, quas necesse sit sequi Pascha, hoc est, liberationẽ ab omnibus malis. Vnde addit: Gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Quid? Num Apostoli post resurrectionẽ, nunquàm tristes fuerunt? Num qui semel liberatus est ex afflictione spe resurrectionis, nunquàm amplius afflige tur? Certè affligimur, quãdiu in hoc seculo uiuimus.

Sed

Sed quia Christus semel tantum mortuus est, & resurrexit perpetuò uicturus, ideo in Christo semper paratam habemus cõsolationem & lætitiam, et hãc cõsolationem nemo potest auferre. Nemo n. potest uel Euangeliũ abolere, uel Christũ iterũ occidere. Quid aũt, si meritus sum afflictionẽ propter peccata? nũ & tũc afflictio est officina salutis? Hæc quidẽ afflictio natura sua perdit hominẽ, sed si et hanc uis cõmutare in sanctam crucẽ, imiteris exẽplum latronis, qui cũ in cruce respuisset, audiuit: Hodie mecũ eris in Paradiso, etc. Proinde, siue meritò ueniat afflictio, siue immeritò, demus operã, ut Christi mẽbra simus per fidẽ. Sic. n. fiet ut resurrectio eius efficiat, ut per afflictiones ingrediamur in regnũ cælorũ, et in gloriã patris per Christum Dominũ nostrũ &c.

DOMINICA CANTATE,

Euangelium Ioan. 16.

ET nũc uado ad eũ, q̃ misit me, & nemo ex uobis interrogat me, q̃ uadis? Sed q̃a hæc locutus sũ uobis, tristicia impleuit cor uestrum. Sed ego ueritatẽ dico uobis, expedit uobis, ut ego uadã. Si .n. nõ abiero, paracletus nõ ueniet ad uos: Si aũt abiero, mittã eũ ad



uos. Et cũ uenerit, ille arguet mun
dũ de pctõ, & de iusticia, & de iudi
cio. De pctõ qdẽ, ꝙ nõ credunt in
me. De iusticia uero, qa ad Patrẽ
uado, & iã nõ uidebitis me. De iu
dicio aũt, ꝙ prĩceps huius mundi
iudicatus est. Adhuc multa habeo
uobis dicere, sed nõ potestis por-
tare modo. Cùm autẽ uenerit ille
spiritus ueritatis, docebit uos om

nẽ ueritatem. Non. n. loquetur à semetipso, sed quęcunq; audiet, loquetur, & quę uẽtura sunt, annunciabit uobis. Ille me clarificabit, qa de meo accipiet, & annunciabit uobis. Oĩa quęcũq; habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, q de meo accipiet & adnunciabit uobis.

HOMILIA PRIMA, PROPHETIA Christi de diuulgatione Euangelij, & quid prædicatio eius in mundo sit effectura, habita anno 1537.

Est et hoc Euãgeliũ, quod nũc recitæ uimus, pericopa eius pulcherrimæ cõcionis, quã Christus habuit post nouissimã cœnã. Et sicut in ea pericope quã superiori Dominica explicuimus, Christus prophetauit de morte et resurrectione sua, et docuit de utilitate resurrectionis: ita in hac prophetat et docet, quæ utilitas ex prædicatione Euãgelij in toto orbe terrarũ cuẽtura sit. Expedit (inqt) uobis, ut ego abeã, hoc est, ut patiar, & p passionẽ intrẽ in gloriã et maiestatẽ Patris mei. Nisi n. abiero, nisi peccata hoĩm mea passione expiem, & reconcilie uos patri, cõsolator ille nõ ueniet, nõ

donabimini spiritu sancto, non reuelabitur Euangelion toti orbi. Nam quod Christus dicit, se missurum spiritum sanctum, respicit ad diem Pentecostes, quo discipuli simul congregati, donati sunt spiritu sancto magnis miraculis. Et is attulit secũ uaria dona, uidelicet, diuersitatem linguarum, fiduciam publicè prædicandi Christum, & uirtutes sanandi infirmos in nomine Christi, quibus donis Euangelion de Christo tanta autoritate confirmatum est, ut prædicatio eius in Hierusalem cœperit, & ab eo loco uulgata sit in uniuersum orbẽ terrarum. Cùm ergo Christus dicit, se missurum spiritum sanctum, qui arguiturus sit mundum de peccato, de iusticia, et de iudicio, nõ intelligit tantum ipsam intelligentiam spiritus sancti, nec intelligit tãtum dona eius, sed maximè omnium intelligit prædicationem Euangelij, donis spiritus sancti in die Pentecostes confirmatam, in Hierusalem cœptam, & postea in totum orbem terrarum sparsam atq; uulgatam. Hoc autem est Euangeliõ à spiritu sancto cõfirmatum, quòd Iesus Christus passus sit pro peccatis nostris, & expiauerit ea, atq; reconciliauerit nos cum patre, meruerit q; nobis ut Pater adoptet nos in filios, et donet nobis hæreditatẽ Regni cœlestis: hoc Euangelion spiritus sanctus ita confirmauit, ut si Angelus de cœlo nobis aliud adnunciaret, nõ esset nec Angelo credendũ: Quia hoc est spiritus sancti Euangelion. Spiritus sanctus autem

tē maior est omnibus Angelis. Quare etiam maior fides adhibenda est spiritui sancto. Cùm igitur Christus prophetet in hac pericopa, quid prædicatio Euangelij confectura sit in mundo, perstringamus ea hoc ordine, quo Christus proponit. Ac primum spiritus sanctus, hoc est prædicatio Euāgelij à spiritu sancto confirmata, et in orbem uulgata, arguet mundū de peccato, & declarabit publicè, Mundum non re Prædicationis Euangelij utilitas.
ctè sentire de peccato. Mundus enim existimat tantum peccata esse furtum, rapinam, stuprum, homicidium, & id genus alia. Ac uerum quidem est, q; hæc sint peccata atrocissima, & non solum externo ac ciuili, sed etiam perpetuo supplicio digna. Lex enim dicit: Maledictus omnis qui non permanserit in uerbis legis huius. Et Paulus ad Corinthios: Neq; scortatores, neq; adulteri, neq; fures, neq; auari, neque ebrioſi, neq; maledici, neq; raptores regni Dei hæreditatem accipiēt. Quare hæc omnia sunt horribilia peccata: attamē hæc non sunt maxima omnium peccata. Quod autem sit maximum peccatum, Christus Peccatum maximum.
hoc loco docet: de peccato (inquiens) quia non credunt in me. Non ergo credere in Christum, non credere quòd ipse uerus sit Messias, nō credere quòd ipse solus expiauerit peccata, et reconciliauerit nos Deo Patri, hoc demum est maximū peccatum. Nam ubi hoc peccatum est, ibi omnia alia sunt corā Deo peccata, etiamsi uidētur esse iusticia. Ethnici multis

pulcherrimis uirtutibus præditi fuerunt, quæ & cõ mẽdandæ, ac imitãdæ sunt pro sua ratione: sed quia defuit eis fides in Christũ, non potuerunt uirtutibus suis peruenire ad Regnum cœlorum. Marcus Attilius Regulus maluit ad hostes reuerti et extrema pati, quàm fidefragus esse: hæc est magna uirtus et multo præconio ornanda, sed nõ consecutus est hac uirtute summam fœlicitatẽ, quia suffocatus fuit maximo peccato, quod est, Nõ credere in semẽ Abrahæ, ẽ Christum. Cõtrà, ubi hoc maximum peccatum nõ est, ibi etiam non remanent alia peccata, sed absorbentur: ubi enim est fides in Christum, ibi est Remissio peccatorum, ibi est spiritus sanctus, qui ducit à peccatis ad obedientiam Dei. Multi sunt peccatores in cœlo, qui etsi peccauerũt, tamen quiã crediderũc in Christum, salutem cõsecuti sunt. Dauid peccator est adulterio et homicidio, attamen quia credidit et resipuit ex fide, habet salutem. Petrus peccator est, Zachæus peccator est, Magdalena peccatrix est, quia tamen ueram fidem habuerunt in Christum, habent etiam remissionem peccatorum. Vnde apud Ioannem dicit Christus: Nõ misit Deus filium suum in mundum, ut cõdemnet mundũ, sed ut seruetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur, qui uero non credit, iam condemnatus est: quia non credit in nomen unigeniti Filij Dei. Quare maximum omnium peccatum est, nõ credere in Christum

Filium

Filium Dei. Et cum Euangelion arguat mundum de hoc peccato, manifestum est, q, declaret omnes alias Religiones, præter uerum Christianismum, esse impias & saluti animæ perniciosas. Prædicatio ergo Euangelij aboleuit Iudaismum, nõ illum Patriarcharum, sed Hypocritarum, qui contempta promissione de Semine Abrahæ, cõfisi sunt suis operibus. Aboleuit & Gentilitatem, quæ pollicita est sibi salutem ex Idolis suis: hanc ita aboleuit prædicatio Euangelij, ut uix nomina Idolorum reliqua sint, Et tamen uiguit in toto orbe terrarum. Obserua igitur hoc loco uaticinium Christi. Abolet præterea Turcismũ, qui sperat salutem suis Mahumeticis sacris. Abolet item Papatum, & superstitionem Pseudochristianorum, qui quærunt salutem suam in meritis operũ suorum. De his omnibus uaticinatus est hoc loco Christus. Et cùm hæc partim reuera contigerint, partim adhuc impleantur, sentiamus uerbo Dei nihil uerius, nihilq; religiosius colendum ac sectandũ esse. Deinde prædicatio Euangelij per spiritum sanctum publicata arguet mundum de iusticia. Sicut enim mundus non rectè sentit de peccato, ita non rectè sentit de iusticia. Putat enim solam ueram iusticiam esse externam honestatem, Neminem occidere, Coniugium sanctè colere, Nulli iniuriam facere, omnibus humanum esse, & id genus alia. Ac uerum quidem est hãc honestatem esse iusticiã quodammo

do, & Deus exigit eam, et cõpensat etiam præmiis: ut honorem parẽtibus impensum remunerat longitudine dierum, Eleemosynam compensat cibo quotidiano. Eccl. 11. Mitte panem tuum super aquã, quia in multitudine dierum inuenies eũ. Et Paulus: Qui copiose seminat, copiose metet. Iustam negociationẽ in mensura et pondere, compensat benedictione omnium rerum. Si audieris (inquit) uerbum Domini, benedictus eris in agro &c. Date, et dabitur uobis. Et: Qui inebriat inebriabitur. Quare hæc iusticia omnino facienda est, sed nõ est talis iusticia, quæ expiet peccata, & mereatur uitã æternã, quia est imperfecta tam in incredulis, quàm in credentibus. Nã summa legis est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde etc. et proximũ sicut teipsum. Hanc summã nullus unquã pfectè impleuit: ubi aũt nõ est perfecta impletio, ibi nõ est perfecta iusticia, sed potius maledictio: quia scriptum est: Maledictus omnis qui non permanet in omnibus uerbis legis huius. Ergo oẽs omnium hominũ iusticiæ sunt imperfectæ. Quæ aũt sit uera iusticia nostra Christus hoc loco docet. Vado (inquiens) ad Patrem, & posthac non uidetis me. hoc est, uera iusticia est Passio & Resurrectio mea à mortuis, qa uado ad Patrẽ, & interpello pro uobis. Dicit enim Paulus: Mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter iustificationẽ nostri. Nam cum nõ habeamus propriam iusticiam, ne

cesse

cesse est ut alienam conquiramus. Aliena autem est ea, quam habet Christus Iesus, uidelicet, quòd obedierit Patri usq; ad mortẽ, et expiauerit peccata nostra sua morte, ac postea resurrexerit in uitã æternam. Hæc est iusticia Christi, hanc cõmunicat nobiscum, cũ credimus in eũ. Vera ergo nostra iusticia est mors et resurrectio Christi, quam per fidem habemus. Vbi est hæc iusticia, ibi et peccata purgãtur, & bona opera sunt Deo grata. Vbi autem hæc iusticia nõ est, ibi nulla alia iusticia Deo grata est. Quare Christus iterũ hoc loco uaticinatur, per Euãgelij prædicationẽ omnes alias Religiones in toto terrarum orbe abolendas. Postremò spiritus sanctus arguet mundũ de iudicio, hoc est, cõdemnatione. Mundus enim malè sentit de iudicio et condẽnatione. Primùm, quia putat hanc ueram esse condemnationẽ, si quis humano iudicio propter externum flagitium condemnatur, & morti adiudicatur, ut cum fur suspenditur, latro rota interficitur. Atq; hæc quidem est ciuilis condemnatio, et est Christiano opera danda, ne sua culpa & suis flagitijs tali iudicio condemnetur. 1. Petri 4. Nemo uestrum affligatur, ut homicida aut facinorosus &c. Nõ tamen est uera condemnatio, quia multis inflicta est immeritò, ut Nabothi Prophetis, Christo, Apostolis &c. Et si quibus iustè infligitur, hi possunt (si uolunt) eam uertere in benedictionem, ut latro, qui in cruce iuxta Christum pe-

Condemnatio uera.

pendit. Vera autem cõdemnatio est, quòd princeps huius mundi, Satã, iudicatus et cõdemnatus est. Hæc nõ est ciuilis et ad tempus durans, sed perpetua cõdemnatio, & est ignis ille infernalis, qui paratus est Diabolo & angelis eius, in quem etiam hi conijcientur, qui per impietatem Satanæ adhærent. Deinde mundus putat stultum esse, quicquid dicitur de iudicio et cõdemnatione futuri seculi. 2. Petri 3. dicunt, ubi est pollicitatio aduẽtus sui, siquidem ex quo die Patres dormierunt, sic omnia permanent ab initio conditionis. Aiunt etiam: infernus non est tam calidus, quàm dicitur. Sed Christus hoc loco dicit: Euangelium arguere mundum de iudicio, quia reuelat iudicium et condemnationem Dei esse seuerißimam: Princeps enim huius mundi iudicatus & condemnatus est. Si autem Deus principi non pepercit, quomodo alijs parceret? Princeps huius mundi, Satan, fuit nobilißima creatura. Et is peccauit tantum cogitatione ac arrogantia: Dominus igitur ita eum deiecit, ut non sit ei amplius spes salutis relicta. Si Dominus angelo suo præstantißimo non pepercit, certè non parcet etiam peccãtibus et impœnitentibus hominibus: nam homines fiunt filij & membra Satanæ per peccatũ. Ioã. 8. Vos ex Patre Diabolo estis, quia opera Diaboli facitis. 1. Ioã. 3. Qui committit peccatum, ex Diabolo est, quoniã ab initio Diabolus peccat. Quò autem pater peruenit, eodem & filius, &

quò

quò caput, eodem et mẽbra. Cùm igitur peccatores impœnitẽtes sint filij et membra Diaboli, habebunt etiã eandẽ hæreditatẽ cum diabolo. Et quanq̃ hoc iudicium nondũ externo sensu percipiatur, tamẽ quia oĩa reliqua, quæ Christus prædixit, impleta sunt, implebitur etiã illud de iudicio suo. Proinde fugiamus uerum peccatũ, sectemur aũt ueram iusticiã, ut effugiamus damnationem, et habeamus uitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

DOMINICA ROGATIONUM, *Euang. Ioan. 16.*

AMẽ amẽ dico uobis, si qd petieritis Patrem in noĩe meo, dabit uobis. Vsq̃ modo nõ petistis quicq̃ in noĩe meo. Petite, & accipietis, ut gaudiũ uestrũ sit plenũ. Hęc in prouerbĳs locutus sum uobis. Venit hora cũ iã nõ in ꝓuerbĳs loquar uobis, sed palàm de patre meo adnũciabo uobis: In illo die in nomine meo petetis. Et nõ dico uobis, ꝙ ego rogabo Patrẽ ꝓ uobis. Ipse.n. pater amat uos,



qa uos me amastis, et credidistis q̃ à Deo exiui. Exiui à Patre, & ueni ī mundū. Iterꝝ relinq̃ mundū, et uado ad Patrē. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palàm loq̃ris, & p uerbiū nullum dicis. Nūc scimus, q̃ scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus, q̃ à Deo existi. Respōdit eis Iesus:

Iesus: Modò creditis. Ecce uenit hora, & iã uenit, ut dispergamini unusquisq; in ꝓpria, & me solum relinquatis. Et nõ sum solus, quia Pater mecum est. Hæc locutus sum uobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habetis, sed cõfidite, ego uici mundum.

HOMILIA PRIMA, DE ORATIONE, eiusq; conditionibus, habita anno 1542.

Hodiernum Euangelion tractat de Oratione in nomine Christi habenda. Etsi autẽ sæpenumero aliâs docuimus de uera piæ orationis ratione, tamen multa monent nos, ut et nunc de ea dicamus: nam hebdomada, quæ nũc sequitur, cõsecrata fuit hactenus publicis precibus, et celebrantur nunc hebdomadatim solennes preces contra Turcam. Quanq; aũt opus precum per se bonum sit et diuinitus mandatum, fieri tamen potest, ut qui precantur minimè exaudiantur. In Psal. 17. dicitur: Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret: ad Dominum & non exaudiuit eos. Et Prouer. 1. Inuocabunt me, & non exaudiam. Mane cõsurgent, & non in-

uenient me. Præterea fieri potest, ut non solum nõ exaudiaris, uerumetiam ut oratio tua reputetur in peccatum. Psal. 108. Oratio eius fit in peccatũ. Qua re diligentissimè discenda est uera orationis ratio, ne frustra oremus, & nõ magis peccemus quàm pre cemur. In oratione igitur ante omnia cauendũ est, ut non existimemus opus ipsum (quod aiunt) opera tum sufficiẽs esse ad impetranda beneficia Dei. Cùm oraueris (inquit Christus) non eris quemadmodum hypocritæ. Et: Ne sitis multiloqui sicut Ethnici, putãt enim fore ut ob multiloquium suũ exaudiantur. Hoc certè est ex oratione idolũ facere, & pro Christo idolum constituere. Sentiendum enim est, quòd exaudiamur propter Christũ, nõ propter opus orationis. Quare si quis putat se propter multiloquiũ seu propter opus orationis exaudiri, proturbat (quantum in se est) Christũ de solio maiestatis suæ, & collocat suum opus in locum Christi. Sic orãt Hypocritæ inter Christianos, sic Iudæi, sic Turcæ: non igitur orant, sed peccant idolatria. Oramus & nos publicè pias litanias, quæ in hoc institutæ sunt, ut admoneamur de quibus rebus priuatim orandum sit. Quòd si sentiamus hoc opus per se sufficere ad impetrãda beneficia Dei, tũc oratio nostra nihil differt ab oratione Ethnicorum et Turcarum. Quare ut rectè oremus, & uerè exaudiamur, curandum est primum omnium, ut simus cum Deo reconciliati, ut habeamus

Oraturiquid faciant ut exaudiantur.

beamus propiciũ Deum: nam Deus non exaudit peccatores, hoc est, eos qui sunt aduersarij, inimici & osores eius. Esaiæ 1. Cùm extenderitis manus uestras auertam oculos meos à uobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Quamobrem? quia manus uestræ plenæ sunt sanguine, hoc est, nondum estis reconciliati mecum, adhuc estis in peccatis & impœnitentes. Et cap. 59 Ecce auris eius non est aggrauata, ut nõ exaudiat, sed iniquitates uestræ diuidunt inter uos & Deum. Et Threnorum. 3. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcirco tu inexorabilis es, & posuisti nubem ne transeat oratio. Necessariũ igitur est, ut oraturi ante omnia reconciliati sint cum Domino, et habeant Deũ propicium. Non reconciliamur autem, nec redimus cũ Deo in gratiam, nisi per pœnitentiam, hoc est, per agnitionem peccatorum et fidem in Christum: solus enim Christus est, qui nos reconciliauit cum Deo, & solus Christus est, propter quem orationes nostræ exaudiuntur coram Deo, de qua re cõcionatur nobis hodiernum Euãgelion. Amen amen (inquit Christus) dico uobis, quæcunq; petieritis Patrem in nomine meo dabit uobis: hactenus non petistis quicquam, uidelicet in nomine meo, idq; perspicuè & expresse. Nunc autem petite, et accipietis, ut gaudium uestrum plenum sit, hoc est, ut consequamini omnia uota precum uestrarum. Sed quid est, quòd

Pater dat nobis quicqd petimus in nomine Christi: Sequitur: quia ipse pater amat uos, quia uos me amastis etc. hoc est, Ego reconciliaui uobis Patrẽ, et placaui eum uobis, ut iam respiciat preces uestras. Priusquàm eratis reconciliati, nõ potuistis uerè orare. Ego solus necesse habui orare. Nunc aũt ita placaui Patrem, ut non amplius solus rogem patrem pro uobis, sed etiam licebit uobis ipsis patrem precibus uestris adire, atq; adeo, quicquid nunc propter me rogaueritis patrẽ, dabit uobis. Quid aũt est illud Quicquid? num Deus indifferenter omnia propter Christum largitur orantibus? Fingamus quempiã petere ut liceat ipsi propter Christum peccare, aut in altũ uolare, num id impetrabit? Minimè omnium. Quid ergo est illud, Quicquid? Non respicit indifferenter omnia quæ nos animo nostro fingimus, sed omnia ea, quæ Christus nobis corã Deo impetrauit. Impetrauit aũt ut Deus nobis sit propicius, ut remittat nobis peccata, ut det nobis spiritũ sanctum ad uitãda peccata, ut seruet nos in omnibus malis, ut liberet nos à malo, et collocet nos in hæreditatẽ Regni cælestis. Hæc oĩa, si propter Christum orauerimus, impetrabimus etiam propter Christũ, quia Christus ea impetrauit. Oraturi igitur & impetraturi, debemus ante oĩa curare, ut simus cũ Deo reconciliati, & habeamus Deum propicium, id quod fit propter Christum per fidem. Ex his uides, quòd Turcæ, Iudæi,

dæi, Papistæ, & impœnitentes Christiani, & si multum orant, non tamen orent, quia non habent Deum propicium, non sunt reconciliati cum Deo. Deinde necessarium est ut habeamus certum uerbum, et certam promissionem Dei, si quid præter generales Euangelij promissiones precaturi sumus. Nam in generalibus orationibus pro remissione peccatorũ, pro conseruatione in morte, pro accipienda hæreditate cœlesti, sufficit generale Euangelion, in quo omnia nobis ad salutem necessaria propter Christũ promissa sunt. In ijs autem orationibus, in quibus non tantum petimus generalem liberationem, sed cum certa circumstãtia, necessarium est etiam nobis certum uerbum Dei, quo fi caremus, orãdum quidem est, sed adiecta hac particula, Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, sic & in terra. Et: Non mea uoluntas, sed tua fiat: Exempli gratia: In diebus Eliæ fuit fames tribus annis in terra Israel, quia nec pluebat, nec ros cadebat, Et ut cõseruaretur Israel, necessariũ fuit diuinũ auxilium: potuerunt igitur, ac debuerunt omnes pij Israelitæ ex fide orare Dominum, ut respiceret Israelem, et seruaret eũ, quia habuerunt generales promissiões Dei de salute Israelis: Ego sum (inquit) Deus eorum, & ipsi populus meus &c. Pro pluuia autem certo tempore danda potuerunt quidem orare, sed adijciendum erat, fiat uoluntas tua, quia non habuerunt certũ uerbum de certa pluuia: solus uero Elias

orauit pro pluuia certa hora danda, & impetrauit etiam, quia habuit certum uerbum. Dixit enim Deus: Vade ostende te Ahab, ut dem pluuiã super terram &c. Sic alius premitur dolore infirmitatis corporalis, alius premitur egestate, alius alia calamitate. Iam habemus quidẽ generales promissiones, q̃ Deus non uelit derelinquere credẽtes in Christum, sed uelit eos ex omnibus afflictionibus seruare. Quare debemus ex fide inuocare Dominum in quauis calamitate, ut nos seruet. Non habemus autem speciales & priuatas promissiones de liberationis circumstãtijs. Infirmus corpore habet quidem promissionem liberationis, & salutis, si credit in Christum, sed non habet manifestam promissionem, q̃ Deus uelit ipsum liberare corporaliter, et hac hebdomada ex infirmitate. Itaq; orãdum quidem est ex fide, ut Deus seruet nos ex hac infirmitate corporaliter, et per hanc medicinam, & hoc tempore, Sed ibi adijciẽda quoq; est appendix illa Dominicæ orationis: fiat uoluntas tua, Et: non mea, sed tua uoluntas fiat. Aliud exemplum. Ecclesia nunc affligitur à Turca, & Turca minatur ei exitium. Magistratus igitur facit suum officiũ, & emittit exercitum ad resistendum & repellendum Turcæ impetum. Iam Ecclesia habet generales promissiones easq; certissimas & uerissimas, quòd Deus uelit eam tueri, & quòd omnes hostes eius sint perituri. Esa. 60. Gens & Regnum quod non seruierit ti

bi

bi peribit, & gẽtes ſolitudine uaſtabuntur. Et Dan. 7. Regnum & poteſtas dabitur populo ſanctorum altiſſimi, cuius regnum, eſt regnum ſempiternũ &c. Proinde orare debemus ex fide, ut Deus conſeruet Eccleſiam ſuam, & liberet ipſam à tyrannide Turcæ, qui eſt aduerſarius Eccleſiæ. Non habemus autẽ manifeſtam promiſſionem Dei, quòd Deus uelit nos extrinſecus ſeruare hoc tempore & per hunc exercitum. Quare orandum quidem eſt, ut Deus etiam hunc exercitum noſtrum conſeruet, qui emiſſus eſt legitima uocatione, ſed tamen addendũ eſt, Fiat uoluntas tua. Hoc idcirco nobis tam diligenter proponitur, ut ſi aliud de exercitu noſtro (quod Deus auertat) euenerit, quàm ſperamus, non continuò deſpondeamus animum. Solemus enim ferè deſperare, quoties ea liberandi ratio nobis auſertur, quam nobis ipſis propoſuimus: exiſtimamus ipſam liberationem nobis penitus ereptam, q. una aut altera liberãdi ratio eripiatur: at pij homines debent eſſe certi de ipſa liberatione, etiãſi nulla liberãdi uia uel nobis in conſpectu noſtro pateat, uel fœlix fuerit. Habemus enim certas promiſſiones de liberatiõe in Chriſto Ieſu, etiamſi incertæ ſunt uiæ liberãdi & cõſeruandi &c. Poſtremò oraturi pro auxilio Dei debemus ambulare, nõ in pctis, ſed in uocatione Dei, quia Deus odit pcta, nec uult ea eſſe fœlicia, ſed promiſit fœlicitatẽ ſuæ tantũ uocationi. Vnde latro ſpoliaturus et truci

daturus uiatorem, nõ potest orare pro auxilio Dei, quia non ambulat in uocatione Dei. Nec hoc tantum curandum est, ut in Dei uocatione ambulemus, sed etiam ut in ea uocatione iustum & rectum sit propositum animi. Vocatio Dei est negociari aut manibus laborare quod bonum est, sed si quis in hac uocatione proponat, se idcirco opes paraturũ, ut proximum fastidiat, ut nulli seruiat, ut potet, ut delicias sectetur, non ut tranquillam uitam uiuat et discat ueram cognitionem Dei, ac sectetur pietatem, is non uerè orat coram Deo, nec uerè consequitur uotum animi sui. Sic in militiam proficisci aduersus Turcam, nunc est ordinatio Dei, Sed si quis hoc tantum proposito proficiscitur in illam militiam, ut corradat opes, quò domi postea liceat helluari, is non potest ex uera fide inuocare Deum in aduersis suis contra Turcam. Quare danda est opera, ut in Dei uocatione ambulemus, & in ea iustum ac diuini animi propositum habeamus. Oraturus enim primum debet esse reconciliatus cum Deo. Deinde habere certum uerbum Dei in ijs precationibus, in quibus exprimuntur certæ & priuatæ circumstantiæ. Postremò ambulare debet in uocatione Dei, ut ex fide possit Deum inuocare, & salutem consequi, per Iesum Christum Dominum nostrum, &c.

Altera

ALTERA HOMILIA, DE MVTVA piorum interceßione, habita anno 1539.

QVæ ſequitur hebdomada, ſolenni uocabulo dicta eſt hebdomada Rogationum, in qua publicè mos fuit peregrinandi ad aliena templa. Quanquàm autẽ uetuſtiſſima fuerit proceßionum (ut uocant) conſuetudo in Eccleſia, tamen hoc tempore merito abrogata eſt. Primũ enim abuſus eius manifeſtus fuit: ſoli enim penè iuuenes & adoleſcentes hactenus reliquias quæ portabantur, comitati ſunt, qui & magis ſectabantur ſua deſideria, quàm religionem. Deinde acceßit impietas, quòd tam ſancti ut auxiliares dij inuocabantur, quàm opus proceßionis reputabatur pro merito expiationis peccatorum, aut defenſionis fructuum & terræ naſcentium. Quare ſatis iuſtæ cauſæ fuerunt abrogationis. Si eſca ſcandalizat fratrem meũ, nunquàm inæternum mãducabo carnes (inquit Paulus) Quanto magis ſi proceßio ſcandalizat, ſeu peiorem reddit fratrẽ meum, nunquam inæternũ proceßione peregrinabor. Et tamen quia dicta eſt hebdomada Rogationum, ac multus fuit in ea uſus publicarum precum, ſumamus hinc occaſionem dicẽdi de mutua piorum interceßione. In Eccleſia enim alter pro altero intercedit. Nunc enim oramus pro publica pa-

Proceßionũ abuſus.

ce, nunc pro fructibus terræ, nunc pro ægrotis, nũc pro prægnantibus, nunc pro afflictis, nunc pro inimicis etiam: & solenne est orare pro singulis ægrotis nominatim. De hac igitur mutua intercessione dicendum nobis erit, ut quis eius legitimus usus fuerit discamus. Nõ dicemus de oratione in genere, de qua paulo antè disseruimus, sed de mutua piorum in hac terra intercessione. Atq; de hoc tanto diligentius est considerandum, quanto res magis necessaria & utilis fuerit, quantoq; imperiti magis ea abutuntur. Putant enim mutuam intercessionem ualere ex opere operato. Deinde existimant eam ita ualere, ut conditio ægroti mox facta publica intercessione mutetur, et ægrotus aut statim cõualescat, aut statim moriatur. Hinc est, quòd si quem homines cupiant diutius uiuere, non sinant ut publica pro eo intercessio fiat. Hi sunt sanctissimi & utilissimi operis, pernicio fissimi abusus ac etiam impietates. Quare diligenter de hac mutua intercessione cognoscendũ est. Ac primùm Deus non tantum exigit ut pro nobis ipsis oremus, uerumetiam ut pro alijs omnibus hominibus intercedamus. Lex enim est, Diliges proximum tuum sicut teipsum. In hac lege exigitur mutua intercessio tanquàm fructus dilectionis. Et præscripsit Christus orationem, quam uocant Dominicam, in qua coniũxit nos omnes in unam cateruam, ut alter pro altero oret. Pater (inquit) Noster, ac panem Nostrum, &

Intercessio mutua.

& Libera Nos à malo: hac oratiõe & pro nobis, & pro alijs orare iubemur. Et Paul. 1. Timot. 2. Adhortor, inquit, ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarũ actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus etc. Atq; hoc adeo diligenter exigitur, ut etiam pro inimicis & osoribus orandum sit, quemadmodum Christus interpretatur, Matt. 5. Orate pro ijs, qui lædunt & infectantur uos. Deinde adiecit Dominus præcepto suas promissiones. Esa. 65, Antequàm clament, ego exaudiã, adhuc illis loquentibus audiam. Et Ioan. 16. Quæcunque petieritis patrẽ in nomine meo dabit uobis. Petite & accipietis. Et hæ promissiones sunt exẽplis et miraculis cõfirmatæ. Gen. 20. orauit Abraham pro domo Abimelech & sanata est. In Exodo orãt Mose & Aheron pro Pharaone & Aegypto, et liberant Aegyptum à plagis. Item Mose orat pro Israelitis, & consequitur uictoriam super Amelech. In Num. cap. 16. moriebatur populus repẽtina morte, sed Aheron orauit pro populo, & plaga cessauit. 1. Reg. 7. clamauit Samuel pro populo aduersus Philistinos, & exaudiuit eum Dominus, ac dedit Israelitis uictoriam. Infinita sunt exempla & miracula, quibus probatur alienã interceßionem efficacem esse. Et habes horum nonnulla etiam in nouo Testamento. Mulier Cananæa orat Christũ pro filia sua, & impetrat. Centurio pro seruo, & fit uoti cõpos. Qua-

tuor baiuli pro paralytico, & paralyticus consequitur sanitatẽ, Matt. 9. Quid ergo, inquis, si aliena intercessio efficax est, cur toties uidemur falli? Sæpe intercedimus pro ægroto, & tantum abest, ut liberetur ab ægritudine, ut multo magis ægritudo promoueat? Et si intercessio aliena efficax est, cùm oramus pro omnibus Iudæis & Turcis ut saluentur, ideo ne saluabũtur etiã in sua impietate? Nequaquam. Quid igitur dicemus? Hîc primum obseruandum est, unde aliena intercessio efficax fiat: non enim est efficax propter opus operatum, aut propter elegantem externorum uerborũ ordinem. Sic enim de mutua intercessione sentire, est ex oratione facere idolũ, sed ideo efficax est, quia oratio scrutatur promissiones Dei, ac præsertim Christum, & proponit Christum in cõspectu Dei. Deus autem Christo nihil potest negare. Est igitur oratio efficax propter Christum: qui enim rectè orare uult, eum non oportet uerba tantum numerare, sed ita cogitare: Indignus sum qui exaudiar uel pro me, uel pro alio, sed Christus filius Dei dignus est, & is obtulit salutem suam omnibus hominibus, uult ut omnes homines salui fiant, propono igitur in cõspectu tuo, Domine Deus noster, Christum filium tuum, & rogo propter hunc uelis huic aut illi clementer subuenire. Hæc oratio efficax est propter Christum, & suscipitur à Deo, atq; exaudi tur, & si non semper pro sententia animi nostri, tamen

men pro sententia spiritus sancti. Paulus orabat pro se ipso, ut Deus auferret angelum Satanæ ab ipso, & non est dubium quin orauerit ex fide, attamẽ auditus: sufficit tibi gratia mea, hoc est, Exauditus es, nõ pro sensu carnis, sed pro sensu spiritus. Christus ipse orauit, ut Deus auferret ab ipso calicem Passionis, sed quo magis orabat, eo magis affligebatur, ut etiam sudor sanguineus emanaret. Et non est obscurum q̃ oratio eius efficax fuerit. Exauditus igitur est iuxtæ sententiam spiritus sancti, non iuxta sensum carnis. Quare sentiendum est omnem orationem seu intercessionem pro alio ex fide factã, recipi à Deo & exaudiri, iuxta spiritus sancti sententiam. Dicit enim Paulus: hoc ipsum quod oraturi sumus, ut oportet, non nouimus, uerùm ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. In oratione sæpe iniquissimam & nobis ac alijs perniciosissimam concipimus opinionem, ac uotum, sed spiritus corrigit nostram opinionem corã Deo. Interdum oramus pro uicino, ut Deus liberet eum à præsenti ægritudine. Quod si fieret & consequeretur sanitatem, cõtingeret ei potius perditio q̃ salus. In tali casu intercedit spiritus, et interpretatur corã Deo preces nostras. Deus autem exaudit preces nostras iuxta sensum et interpretationem spiritus sancti. Quare teneamus firmiter, omnem orationem ex fide efficacem esse pro sententia spiritus sancti. Deinde cum pro alio in

terceditur, requiritur q. alius etiã sit capax eius beneficij quod noĩe ipsius petimus. Dicit.n. Christus: cum intrabitis domũ salutate illam, siquidem fuerit domus digna, veniet pax uestra super eã, seu minus, redibit pax uestra ad nos &c. Et Eccle. 34. Vnus orãs & unus maledicens, cuius uocẽ exaudiet Deus? Iudæi autem, & Turcæ non sunt capaces regni cælorum, in sua impietate: essent quidem salutis capaces, si resipiscerent ab impietate, sed manentes in impietate non sunt capaces salutis. Quare etsi intercedamus pro eis ut consequantur salutẽ, tamen quia non resipiscunt, ideo redit ad nos pax nostra. Adhæc impij & impostores non sunt capaces benedictionis in sua impostura & iniquitate. Hoc diligenter obseruãdum est. Iam cõgregati sumus diuina ordinatione, in unã ciuitatẽ, ut alter pro altero apud Deũ intercedamus. Ciuium.n. congregatio in unam urbem nõ est fortuita, sed est diuina ordinatio, q. non habitemus more ferarum, hinc inde dispersi. Deus autem sic ordinauit, non ut hac occasione sympostia celebremus tãtum, sed potius ut inter nos discamus Deum agnoscere, et alter alterũ tã opere quàm precibus iuuet: Et hanc coniunctionem ciuilem esse diuinam ordinationẽ iudicat ipse affectus, qui est inter duos ciues, quorũ alter alterum fortè in longinqua regione deprehendit: sic.n. alter erga alterum afficitur, perinde ac frater in fratrem. Quid ergo? Cùm in hoc con-

iunctiõ

iuncti simus, ut pro nobis inuicē oremus, hoc nobis agendū est, ut etiā mutuæ intercessionis capaces simus. Indiget. n. alter alterius oratiōe. Paulus Apostolus ad Paradisum raptus fuit, et organō Dei electū, nihilominus tamē sentit se indigere aliena intercessione. Rom. 15. Obsecro, ut me laborantē adiuuetis precationibus pro me. Sic & ciuis ciuem debet adiuuare precibus. Alius aliud sectatur uitæ genus. Alius sæpe peregrinatur, ut diuēdat merces suas. Alius domi manet, unusquisq; pro alio intercedat. Mihi heri, tibi hodie. Qui domi manet intercedat pro peregrino: q̄ peregrinus est intercedat pro ijs qui domi manent. Hæc magna est piorum consolatio. Vide exē plū 2. Parali. 30. Si uos reuersi fueritis ad Dominū, & fratres uestri, & filij habebunt misericordiā coram dominis suis, qui illos duxerunt captiuos, & reuertētur in terrā hanc. Sic ciues habebunt misericordiā apud exteros, si hi qui domi manent pij fuerint: sed interea unusquisq; se ita gerat, ut sit huius intercessionis capax. Hier. 15. Si steterint Mose et Samuel corā me, non est anima mea ad populū istum. Nam si ciues domi iniqui fuerint, & peregrè absentes alijs imponant, quid prodesset eis aliena intercessio? Sic qui ægrotus est, ita se gerat, ut sit capax intercessionis: gerit aūt se piè, cum adhuc sanus afficitur aliorū incommodis, & ægrotus inuocet Dominum cum Ecclesia. Hæc de mutua intercessione sufficiant &c.

IN DIE ASCENSIONIS EVangelium Lucæ ultimo.



EDuxit aũt eos foras in Bethaniã,& eleuatis manib.ſuis,benedixit eis. Et factũ eſt dũ benediceret illis,receſsit ab eis, & ferebatur in cœlum.Et ipſi adorãtes eũ,regreſsi ſunt in Hieruſalẽ cum gaudio magno.Et erant ſemper in templo

templo, laudantes & benedicentes Deum.

HOMILIA PRIMA, DE ASCENsione Christi, habita anno 1542.



Tsi sæpenumero ex hoc loco, de Ascẽsu Christi in cœlum dictũ est, tamẽ hoc tempore, quo tractatur de Turcarum incursione, necessariò de eo argumento dicẽdum est, ut ratio Ascensus Christi in cœlum probè cognoscatur: Mirari enim solemus, quî fieri soleat, q. Christus Dominus noster conniueat tanto tempore ad impietatem Mahumeticam, et ad conuicia Turcarum, quî impiissimè audent palàm Christo Domino nostro insultare. Mirari itẽ solemus quî fiat, q. etsi præclara dicuntur de regno Christi, res tamẽ in hoc seculo subinde peior fieri uideatur. Ex hac dubitatione et perturbatione animi liberat nos Ascensus Christi in cœlum. Quare summa opera danda est, ut rectã eius rationem diligẽter cognoscamus. Videamus igitur primum historiam Ascensus. Deinde dicamus, quid sibi ille uisibilis in cœlum Ascensus uelit, & quid nobis utilitatis afferat. De Resurrectione Christi audiuimus, q. sit unus è præcipuis articulis religionis nostræ, ideo necessarium sit ut probè confirmetur. Sedegit aũt Christus sibi 40. dies in quibus reuelaret et

probaret uarijs argumentis se à mortuis uerè resurrexisse. Postq̃ igitur uenit quadragesimus à resurrectione dies, eduxit Christus discipulos suos è ciuitate Hierusalem foras in Bethaniam, & primum multa cum ipsis locutus est de regno suo. Deinde sublatis in altum manibus suis, benedixit eis, et factum est dum benediceret eis, sublatus est in altum, ferebaturq; in cœlum, et nubes subduxit eum ab oculis eorũ: mox adsunt duo angeli albis uestibus amicti, qui dixerunt: Quid aspicitis in cœlum? Hic Iesus quemadmodum assumptus est in cœlum, ita rediturus est ad iudicandum Viuos & Mortuos. Hæc est historia Ascẽsus Christi in cœlum, iuxta Euangelistas. Quid ergo Christus sibi hoc ascensu uelit, considerandum est. Feriamur hodie ab omnibus ciuilibus negocijs, conuenimus in Ecclesiam, & omnino festum diem agimus, certe non ob eam tantum causam, ut audiamus Christum ascendisse in cœlum, sed ut cognoscamus, quid sibi ascensus uelit, & quam afferat nobis utilitatem. De hac re aliquid nobis dicendum erit. Itaq; Petrus in concione sua ad ciues Hierosolymitanos ait: Oportet Iesum Christum cœlum accipere usq; in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os omnium Sanctorum suorum à seculo Prophetarum. Accepit autem Iesus cœlum, non quòd interea temporis dum redeat ad restaurationem omnium, non dominetur in terris & in Ecclesia sua, cũ

dixerit:

dixerit: Ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad cõsummationem huius seculi, Sed accepit cœlũ, principiò propter hanc causam, ut significaret se deinceps nõ appariturum ante nouissimum diem, in terris, humano modo, quemadmodum antea. Ambulauit inter homines externa conuersatione ante Passionem, post resurrectionẽ uero apparuit aliquoties humana specie discipulis, idq; 40 diebus. Nunc autẽ ascendit uisibiliter in cœlum, ut ascensu suo declaret, se non amplius ante extremum diem tali modo appariturum. Visus quidem est Stephano post ascensum suum, sed in maiestate ad dextram Dei. Visus etiam est Paulo, sed simpliciter in Maiestate. Non autem uidetur amplius in humilitate. Scribunt quidem nonnulli, Christum obuiã factum Petro fugiẽti è Roma, & interrogatũ à Petro: quo nam pergeret? Respondisse, Vado Romam iterum crucifigi, itaq; Petrum intellexisse sibi redeundum esse ad Romam, ut ibi crucifigeretur, sed fides sit penes auditorẽ. Christus enim ascendit in cœlum, & non amplius proponit se uisibilem in hoc mũdo. Vanissimum autem est, quod de Francisco nugantur, quòd Christus apparuerit ei, & impresserit ipsi quinque uulnera sua. Multò melius sensit Eremita ille, qui occlusis oculis, noluit aspicere spectrum, quod dicebat se esse Christum. Tenendus enim est articulus Religionis nostræ, quòd Christus ascenderit in cœlum, & tene-

Ascẽsus Christi utilitas.

at cœlum usq; ad tempora restitutionis, nec apparet deinceps similis in terra quemadmodum antea. Deinde ascendit in cœlum, ut relinqueret mundum in suo ueteri cursu, usq; ad extremum diem reformationis omnium, & ut interea temporis Ecclesia colligeretur prædicatione Euangelij ex omnibus gentibus, linguis & nationibus. Etsi enim mundus indiget bona reformatione, quia omnia sunt collapsa, et subinde magis collabuntur, impij sunt fœlices in hoc mundo, pij infœlices: paupertas, morbi, mors & omnia genera calamitatum dominãtur in hoc mundo, alia calamitas aliam trudit, ut omnino necessaria sit bona reformatio, noluit autem Christus hunc mundum reformare uiolenter, sed constituit diem supremum, in quo sit omnia reformaturus. Quare secessit in cœlum, non quidem quòd dereliquerit ecclesiam, sed ut nõ appareret mundo, donec uenisset constitutum tempus. Noluit enim ante nouissimum diem uiolenter reformare mundum, sed instituit publicam prædicationem Euangelij, quæ in terra efficeret, quod posset uerbo fieri, donec ipse ad iudicium rediret. Ex his ergo nunc colligenda est ratio, propter quam Christus tolleret in hoc mundo, non solum conuicia & blasphemias Turcarum aduersus ipsum, uerumetiam multa alia factu indignissima. Turca enim affirmat Christum & Legem suam (sic enim somniant Christum fuisse legislatorem) defeciſſe tempo

re

re aduentus Mahumetis, & quod Christus non potuerit efficere miraculis, id Mahumetem conari efficere armis ac uiolentia, ut mundus reformetur. Itaq; quod Christus uerè effecturus est summa maiestate in nouissimo die, hoc præsumit Mahumet se armis in hoc seculo ante nouissimum diem facturum: hæc est magna blasphemia & præsumptio. Addunt insuper Turcæ uirulenta conuicia, cùm insultant uictis Christianis, dicētes: Vbi nunc est Christus tuus? cur te nō adiuuat? an non uides ipsissimas esse nugas, quæ de Christo tuo uulgata sunt? Nam si uiueret & regnaret, nunc te seruaret. Quid his conuicijs & blasphemijs potest uirulentius excogitari? Cur ergo, obsecro, Christus conniuet? cur tacet? quomodo se continere potest? Ad hoc respondet nobis articulus ascensus Christi in cœlum. Nam Christus idcirco ascendit in cœlum, ut relinqueret mundum in ueteri suo cursu, & sineret impios pro sua libidine furere usq; ad suum tempus, nisi fortè quos interea conuertat ad pietatem prædicatio Euangelij. Idem accidit Christo in cruce pendēti: Si es Christus, descende nunc de cruce, & credemus tibi. Non tamen potuit his conuicijs moueri, ut contra suam uocationem descenderet de cruce, ante constitutum suum tempus: ita & si nunc audit pessima quæque conuicia, tamen quia ascēdit in cœlum usq; ad præstitutum tempus, nō potest conuicijs moueri, ut è cælo ante tempus

ſuum deſcendat. Et quanquàm aliquoties immittat impijs ſupplicia, in hoc ſeculo, quemadmodum Iudæis in deuaſtatione Hieruſalem, ſub Tito, tamen hoc tam abſconditè facit, ut etiã impij ipſi non agnoſcãt id à Chriſto immiſſum. Vnũ enim diem ſtatuit, in quo manifeſtè uult omnibus aduerſarijs ſuis perpetuam internecionẽ immittere, ut uideãt apertè ſe propter impietatem in Chriſtum deſignatam puniri. Deinde conniuet etiam de cœlo ad conuicia Turcarum, & aliorum hominum, ut declaret uirtutem patiẽtiæ & longanimitatis ſuæ. Nõ enim negari poteſt, quin patientia & longanimitas ſint excellẽtiſſimæ uirtutes. In Chriſto autem ſunt omnes uirtutes perfectiſſimæ: non eſſet autem perfectè patiens, & longanimis, ſi continuò immitteret in blaſphemos grandinem, aut alia ſupplicia. Quare conniuet ad blaſphemias uſq; ad ſuum legitimum & definitũ tempus, ut excellentiam uirtutis ſuæ comprobet. Poſtremò conniuet etiam ut declaret magnitudinem bonitatis ſuæ, qua expectat pœnitentiam impiorum, ut & ipſi reſipiſcãt & ſeruentur. Quod autem diximus de conuicijs & blaſphemijs Turcarum, & aliorum impiorũ aduerſus Chriſtum, idem dicendum erit de alijs tam miſeriis quàm afflictionibus, quæ accidunt in mundo. Videmus quòd mors nullũ hominum parcat, Chriſtus autem habet multos in terra ſibi dilectiſſimos. Cur igitur conniuet ad tyrannidem mortis? Primùm conniuet,

tinet, quia ascendit in cœlum: non uult ante nouissimum diem ueterem cursum huius seculi uiolẽter abolere. Deinde ostendit uirtutem longanimitatis suæ. Nam statuit diem in qua abolebit mortem in totum, interea sinit eam impunè grassari, sed magno commodo piorum. Habes quid sibi uoluerit Christus ascensu suo in cœlum. Nunc audi paucissimis quid nobis faciendum sit. Primùm enim, si in hoc mundo omnia sursum deorsum uoluuntur, non debemus existimare, Christum aut non esse, aut non Regnare, sed fidem nostram ex articulo de ascensu eius in cœlum confirmare & dicere, Christus ascendit in cœlum, ideo omnia adhuc in terris perturbantur. Cum autẽ redierit, tunc omnia reformabit. Deinde pergendũ nobis est in uocatione nostra, ut immaculati inueniamur in reditu Iesu Christi Domini nostri, & unà cum ipso seruemur, Amen.

ALIA HOMILIA, DE ASCENsu Christi, habita anno 1540.

OPTIME meretur hodiernus dies, ut præclara magnificentia celebretur & insigniatur. Facimus enim hodie publicam mentionem illustrissimi & glorioſissimi Ascensus Domini nostri Iesu Christi in cœlum, qui Ascensu, & si impijs præbeat occasionem contemnendi

Deum, et perpetrandi mala quæq;, tamen pijs offert summum thesaurum fœlicitatis. Et hic Religionis articulus docet pios unà cum Christo in cœlum assectos esse. Quare iustissimum est, ut hodiernum diem singularibus ceremonijs insigniamus, non quidem propter ipsum diem, qui per se nihil ab alijs differt, sed propter publicam doctrinam de ascensione Christi, uidelicet, ut hac magnificentia admoniti, discamus rationem ascensus Christi in cœlum rectè intelligere. Cùm Mose instituceret festum Paschæ, & præscriberet quasdam ceremonias, addit usum harum ceremoniarum. Cùm introieritis terram, inquit, quam Dominus daturus est, obseruabitis ceremonias istas, & cùm dixerint uobis filij uestri, quæ est ista religio? Dicetis eis, Victima trãsitus Domini est &c. Audis ceremonias institutas esse ad disciplinam puerorum, ut percipiant doctrinam Religionis. Non dissimili causa, etiam nos hodiernum diem singularibus quibusdam organis & canticis insignimus, ut pueri admoneantur de doctrina ascensus Christi in cœlũ, et erudiãtur de hoc articulo religionis: quod si sine superstitione & sobriè fiat, certè placet Deo, non propter opus ipsum, sed propter doctrinam, quæ sola omnium percipienda est. Audiamus igitur primũ rei gestæ historiam: postea addemus quædam de usu ascensus Christi. Postquàm enim quadragesimus dies post Resurrectionem aduenisset, in quibus Christus

stus confirmasset uarijs argumentis se à mortuis uere resurrexisse, iussit conuenire discipulos in urbem Hierusalem, & ibi disputauit quædam cum ipsis de Regno suo: postea eduxit eos foras in Bethaniam, in montem Oliueti. Ibi collocutus cum eis sublatis manibus benedixit eos, & uidentibus illis eleuatus est in altum, & nubes suscepit eum, ferebaturq; in cœlum, & sedit ad dextram Dei. Discipulis autem aspicientibus & admirantibus, astiterũt duo uiri, qui dixerunt ipsum sic rediturum ad extremum iudiciũ. Hæc est ascensio Christi in cœlum, quæ facta est in monte Oliueti. Nam Christum eo loci ultima in terris mandata discipulis daturum, & in cœlum ascensurum, significatum erat iam antea per Prophetam Zachariã cap. 14. Stabũt pedes eius in die illa, super montem Oliuarum, qui est contra Hierusalẽ ad Orientem. Et scindetur mons Oliuarũ ex media sui parte ad orientem & occidentem prærupto grandi ualle. Hoc intelligendum est de diuulgatione Euangelij in toto orbe terrarũ, post ascensum Christi, & missum spiritum sanctum. Cùm igitur Euangelion sparsum sit in orientem, occidentem, meridiem, & septẽtrionem, rectè dicitur Oliuarum montem esse diuisum in quatuor partes. hæc de historia. Nunc aũt dicamus de usu ascensus Christi in cœlum. Nam uoluit uisibiliter corã discipulis ascendere in cœlũ, ut significaret se non amplius in hoc mundo uisibiliter con-

Ascẽsus Christi utilitas.

spiciẽdũ usq; ad extremũ iudiciũ. Visus quidẽ postea est Paulo, & Stephano, sed in maiestate de cœlo. Nũquam aũt amplius cõspicietur externa forma in hac terra, usq; ad nouissimũ diẽ. Atq; hoc illud est quod mirũ in modum offendit impios & incredulos. Cum n. multa dicãtur de Christo & de regno eius, nõ tamen uideant nec ipsum regnare, nec mundũ mutari, egregiè derident Euangelium Christi, & putant esse meras nugas. Vident. n. impios florere, pios marcescere, uidẽt ueterẽ cursum seculi. Quare indurantur, et (ut Salomon ait) perpetrãt mala sine timore, propterea q; non citò profertur iudicium aduersus impios. Pij uero cõsequũtur ex ascensu Christi in cœlum summam maiestatem. Nam quemadmodum de resurrectione Christi diximus, q; Christus solus quidem à mortuis tanquam primitiæ resurrexerit, sed tamen & totus resurrexit. Sic Christus solus quidem ascendit in cœlum, sed ascendit & totus. Totus autẽ Christus non est tantum persona illa quæ uisibiliter in cœlum ascendit, sed est totum corpus unà cum capite & membris, in quo corpore Christus est caput, Credentes autem membra. Igitur Christus subduxit unà secum in cœlum, omnes in ipsum credentes. Ephe. secundo: Cùm essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo, simulq; cum eo resuscitauit, & simul cũ eo sedere fecit inter cœlestes. Sed quomodo (inquies) hoc factum est, cùm adhuc in

in terra miserrimè uiuamus? Si enim conscendimus unà cum Christo in cœlum, fruemur etiam nunc cum Christo fœlici & cœlesti uita. At longe omnium miserrimi sumus. Quomodo igitur cum Christo ascendimus in cœlum? Respondeo. Ascendisse dicimur, nõ quòd nunc externo sensu fruamur bonis cœlestibus, sed quòd cùm Christus frater noster ad cœlum conscenderit, & repererit cœlestia bona, pertinent ad nos etiam hæreditates bonorum cœlestium. 1. Ioan. 3. Nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quod futuri sumus. Colo. cap. 3. Emortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo, hoc est, depositа est ad Christum. Nam quemadmodũ pueris constituuntur tutores donec grandescant, ad quos reponuntur bona puerorũ, ita Christus tutor noster est, & habet bona cœlestia apud se depositа. Alius quispiam habẽs thesaurum, quem timet se perditurum, deponit in tutum & munitum locum. Sic & nos habemus thesaurum cœlestium bonorum, quem Deus Pater nomine nostro deposituit apud Christum in cœlum, ne in terra amittamus eum. Ergo qualis usus est thesauri terreni apud amicũ, & in tutum locum depositi in terrenis negocijs, talis est usus thesauri cœlestis apud Christũ depositi in cœlesti negocio. Qui habet terrenum thesaurum in tutum locum depositum, is & si non gestet eum secum in crumena, tamẽ omnia ita agit ac peragit negociando, & emendo,

perinde ac si manibus eũ tractaret. Sic etiã Christiani facere debent, qui cùm habeant thesaurum cœlestium bonorum apud Christum depositũ, non aliter negociari debẽt, in rebus salutis suæ, quàm si iã externo sensu his bonis fruerẽtur. Exẽpli gratia. Incurrit in nos mors, cũ morte est nobis negociũ, indigemus aũt ad hoc negociũ uita, alioqui mors erit perditio nostra: sed quia habemus thesaurum uitæ apud Christum in cœlo depositum, non aliter cum morte negociãdũ est, quàm si iã uitã in manibus teneremus. hoc est, non est desperandum, sed confidendum, non est dolendum, sed gaudendum. Aliud: Incurrit in nos Satan, & iubet nos desperare propter peccata. Dicit: Tu non solũ peccasti ante annos aliquot, uerumetiã gestas adhuc in sinu tuo peccatum: nõ es liber à peccato, ergo peribis. Hîc est nobis negocium cum Satana de peccato, ad quam rem opus est nobis iusticia. Sed quia habemus thesaurum iusticiæ depositum in cœlo apud Christũ, nõ aliter confidendũ est, quàm si iusticiam re ipsa in nobis sentiremus. Vides quantus sit usus ascensionis Christi in cœlũ: danda igitur opera est, ut quem Thesaurũ Christus ascensu suo in depositum accepit, eum nec perdamus aut prodamus. Prodimus eũ Satanæ, cùm obedimus instinctui eius. Satan prædo est & insidiatur huic thesauro. Qui uero peccat, (uide in genera peccati) prodit thesaurũ. Quare abstinendum est à peccato, & ambulandum

in us-

in uocatione Dei, ut thesaurum nostrum conseruemus apud Christum Dominum nostrum, qui est Deus in omnibus benedictus in secula seculorũ, Amen.

DOMINICA EXAVDI EVangelium Ioannis 16.



CVm aũt uenerit Paracletus, quẽ ego mittã uobis à Patre, Spũm ueritatis, qui à Patre procedit, ille testimoniũ perhibe-

bit de me. Et uos testimonium perhibebitis, qa ab initio mecũ estis.

Hæc locutus sum uobis, ut non scãdalizemini. Absq; synagogis facient uos. Sed uenient hora, ut omnis q interficit uos, arbitretur obsequũ se præstare Deo. Et hæc facient uobis, qa nõ nouerũt patrẽ, neq; me. Sed hæc locutus sum uobis, ut cũ uenerit hora, eorũ reminiscamini. q; ego dixerĩ uobis. Hęc aũt uobis ab initio nõ dixi, quia uobiscũ erã.

HOMILIA PRIMA, DE SPECIE REgni Christi in hac terra, habita anno 1542.



VPeriori die audiuimus de ascẽsu Christi in cœlum, & quid sibi is accensus uelit. Audiamus nunc ex hodierno Euangelio qualem formam qualemue speciem regni sui Christus in his terris post se reliquerit. Nã priusquam ascenderet in cœlum multa concionatus est de regno suo in terris instituendo, & apostoli omnino sentiebant regnum eius fore corporale, quale est regnum

Monarcharum

Monacharum huius terræ. Quare discemus ex hodierno Euangelio qualem speciem habeat regnũ Christi in hanc terra, antequàm ueniat extremus huius mundi dies. Cognitio huius rei ualde necessaria est, uidelicet, ut (quemadmodum Christus ait) non scandalizemur, cùm uidemus omnia in hoc mundo adhuc inuersa, incomposita & inordinata esse. Dicit ergo Christus: Cùm uenerit Paracletus quem ego mittam uobis à Patre spiritum ueritatis &c. Hæc est pericopa ex ea cõcione, quam Christus habuit in nouissima cœna, in qua pericopa docet Christus, primùm, quòd ad constituendum Regnum suum in hac terra uelit instituere, non magnum & multum exercitum cataphractorum equitum, sed publicam concionem Euangelij sui: Paracletus (inquit) quem ego mittã uobis à Patre, perhibebit testimonium de me, seu Euãgelio meo. Et hanc confirmabo publicè per spiritum sanctum, quem ego in die Pentecostes maximis miraculis emittam in uos, ac uulgabo eam cõcionem per uos, qui ab initio mecum fuistis, in totum orbem terrarum. Miracula spiritus sancti in die Pẽtecostes testificabuntur ueritatem Euangelij mei. Similiter & uos eritis testes, Euangeliũ meum ueriſsimũ ac certissimum esse. Euãgelion autem Christi hoc est, q. Iesus filius Mariæ sit uerus Messias, et q. reconciliauerit nos cũ Deo Patre, ut quotquot in ipsum credunt, habeant remissionem peccatorum, liberationem ex

omnibus aduersis, & uitam æternam. Hoc Euangelion in die Pentecostes, per spiritum sanctum ita confirmatũ est, ut nihil certius, nihil firmius sit in toto orbe terrarum (quemadmodum in die Pentecostes si Domino uisum fuerit demonstrabitur) Quare Apostolis post Ascensionem expectandus erat spiritus. Et nos nunc non debemus aliam speciem regni Christi in terris scrutari, quàm ministerium Euangelij per spiritum confirmati. Deinde docet Christus quam fortunam, quam fœlicitatem habiturũ sit hoc Euangelion in isto mundo, Et ait: Alienos à Synagogis facient uos. Venit hora, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Expectatis fortasse, quòd cùm Euangelium meum sit potentia Dei ad salutem omni credenti, totus orbis terræ sit uos ubuijs manibus excepturus, & non tam omnem honorem exhibiturus, quàm omnẽ potestatem Regnis terrenis traditurus, sed opinio uestra uos fallet. Homines enim excipient uos cum Euangelio uestro maximis omnium afflictionibus & aduersis. Ac pij quidem excipient tam Euangelion quàm uos ipsos maxima qua possunt reuerentia & obedientia. Cornelius Centurio, cùm ingrederetur ad ipsum Petrus ad nunciarurus Euangelion, procidit ad pedes eius & adorauit ipsum, maiori scilicet honore excipiens ipsum, quàm fortassis excepisset Romanũ Imperatorem. Et Paulus ad Galatas scribẽs ait: Non respuistis

sed

sed me uelut angelum Dei suscepistis, uelut Christũ Iesum, & testimonium reddo uobis, q̃ si fieri potuisset oculos uestros effossos dedissetis mihi. Maxima autem hominum pars cùm sint impij & contemptores Dei ac ueræ Religionis, solent Euãgelion & prædicatores eius excipere omni qua possunt contumelia. Sæpenumero hactenus auditum est à quibusdam q̃ nulla unquàm fuerit fœlicitas in orbe Germanico, quandiu hoc Euãgelion, quod nunc prædicamus, adnunciatum est: atqui hoc minime nouum est. Indè erno enim Euangelio Christus præcipuè concionatur, q̃ prædicatio Euãgelij nullam fœlicitatem sit habitura in hoc seculo, sed sit secum allatura uarias calamitates non solum prædicatoribus, sed etiam auditoribus ueris ipsi fidem adhibentibus. Enumerat autè Christus hoc loco duas maximas calamitates, quæ expectandæ sunt pijs in hoc seculo propter Euangelion & ueram fidem. Prior est Excommunicatio: Faciẽt uos alienos à synagogis: hæc est infamia qua nulla maior homini accidere potest. Atq; hoc quidẽ tempore publica Romani Põtificis excommunicatio parum momenti habere uidetur, præsertim apud eos, qui non agnoscunt tyrannidem eius, sed ante reuelatum Euangelium sub Papatu, & in Iudaismo excommunicatio habita est extrema infamia, & miseria. Nam qui excommunicabant homines, gloriabantur se esse populum & Ecclesiã Dei. Quare qui ab ipsis

excluſus erat, uidebatur à Deo ſeparatus, & reſectus à corpore Eccleſiæ, ac totus traditus Satanæ, quod cum palàm adnunciatũ eſſet, nullus iam hominum uoluit cum excõmunicato cõmercium & cõtubernium habere, quia iudicabatur indignus eſſe quẽ terra ferret. Excludi è repub. ciuili etſi grauiſſimum eſt, tamen tolerabile eſt, quia licet adhuc habere cõtubernium cum alijs rebuſpub. & inter pios numerari. At qui excommunicatur ab ijs qui habent nomen & titulum populi Dei, is uidetur totus perditus & in infernum collocatus, quæ eſt maxima omnium inter homines infamia. Hæc autem accidere ſolent tam Apoſtolis, quàm credentibus Euangelio à poſtolorum. Quare Regnum Chriſti non eſt terre-

Excommunicatio.

num, & Euangelion eius non habet magnam in hoc ſeculo fœlicitatem. De excommunicatione aũt paucißimis dicemus, præſertim propter eos qui contemnunt uerbum Dei, & palàm affirmant, nimum nihil eſſe ipſis inſipidius, etiãſi excõmunicentur. Alia. n. eſt excommunicatio pontificia, quæ eſt cum publica poteſtate coniuncta, qualis fuit in Repub. Iſraelitica, & Papatu. Hæc excommunicatio ſiue uera, ſiue falſa fuerit, certè maximas attulit afflictiones inter homines, quia fuit cõiuncta cũ publica infamia. Quare qui ſic excommunicati fuerunt, bis uimum non fuit ualdè ſapidum, etiamſi innocentes fuerunt. Alia eſt excommunicatio Apoſtolica, quæ fit tantum per

Euã-

Euangeliũ, de qua Christus dicit: Quorum retinue-
ritis peccata retinentur eis. Hæc autem excommuni
catio pertinet ad omnes impios & impœnitentes
peccatores, imò pertinet ad omnes homines. Cùm e-
nim prædicatur Decalogus, tunc omnes homines ex
communicantur & traduntur Satanæ. Hanc cõtem-
nunt impij & rident, sed ipsa non est ludus puerilis
corã Deo. Deinde cùm prædicatur Euangelion Chri
sti, tunc hi qui credunt Euangelio absoluũtur ab ex
communicatione, qui autem non credunt, hi liga-
tur seu confirmantur in excõmunicatione. Contem
nitur et ista excommunicatio ab impijs, sed uidebũt
tandem summam esse internecionem. Quare danda
est unicuiq; opera, ne Apostolicè excommunicetur,
hoc est, ut nõ sit impœnitens, sed adhibeat fidem E-
uãgelio, et resipiscat. Hæc de priore calamitate, quæ
accidit tam Apostolis quàm credentibus Euangelio
Apostolico. Posterior est corporalis occisio. Venit
hora (inquit) ut quisquis interfecerit uos, putabit se
cultũ præstare Deo. Hæc similiter tanta est afflictio,
ut nulla ea maior inueniatur. Nam qui interficien-
dus est propter publica sua scelera, is habet qui mi-
sereatur ipsius. Iudex optaret ut sceleratus nũquam
uenisset in manus ipsius, sed abesset per multa mil-
ria, quò non cogeretur sententiam sanguinis aduer
sus eum ferre. Spectatores uidẽtes sceleratũ ad mor
tem abduci, cõmouentur misericordia erga ipsum,

& si legitimè fieri posset, liberarent ipsum à supplicio. Sed longè aliter accidit cum Christo, cum Apostolis & credentibus Apostolico uerbo. Nam Iudex putat se præstare obsequium & cultum Deo, si interficiat confessorem Euangelij: & spectatores impij maximo gaudio afficiuntur. Exemplum habes in Christi Passione, Similiter in Stephani lapidatione. Item Pagani clamabant quondam de Christianis, Ad Leonem. Reputabantur enim Christiani catharmata & peripsemata. Vide de hac re Tertullianũ. Quæ aũt maior afflictio excogitari potest, quàm non simpliciter occidi, sed cum applausu aduersariorum. Ex hoc autem loco discendum est, q̃ in faciendis sacris non sufficiat bonam habere (ut uocant) opinionem, seu intentionem, sed necesse est habere rectam fidẽ ex uerbo Dei. Impij trucidantes pios sentiunt se præstare cultum Deo. Hæc uidetur opinio optima, sed eadem est crudelissima. Sed quam dicis causam tantæ persecutionis? Sequitur: quia non nouerunt Patrem, neq; me. Non nouerunt Deum: gloriantur de Deo, sed non nouerunt eum. Quid est nosse Deum? Est nosse q̃ sit Pater, qui miserit filium suum ad expiandum peccata nostra. Ergo nec Iudæi, nec Turcæ, nec hypocritæ nouerũt Deum. Sed in quem usum Christus hæc concionatus est? Vt non scandalizemini (inquit): tenendum. n. nobis est q̃ regnum Christi non sit externũ, & q̃ necesse habemus in hoc seculo

affligi. Nam uera fælicitas ueniet in futuro seculo per Christum Iesum Dominum nostrum, qui largiatur nobis, ut in persecutione ab ipso nõ deficiamus, sed ingenuè confiteamur, Amen.

ALIA HOMILIA, DE EXtremo iudicio, Actorum 1.



N ascensu Domini nostri Iesu Christi in cœlum, uaticinantur angeli Christũ sic è cœlo in orbem terrarũ rediturum, quemadmodum è terra in cœlũ assumptus sit. Præterea inter præcipuos religionis nostræ articulos præscribitur nobis, ut credamus Christum aduenturum & iudicaturum uiuos & mortuos. Non.n. sic ascendit in cœlum, ut ipse quidem perpetuò cœlum inuisibiliter obtineat, hunc aũt mundum & homines in eo sinat perpetuò proueteri more, ad hunc modum, quo nunc omnia sursum deorsum feruntur, ætatẽ transigere: sed ascendit in cœlum, suo tempore in hũc mundum uisibiliter & magna maiestate rediturus, ut omnia reformet, restituat & ita componat, ut deinceps nihil nõ suo ordine adeoq; sempiterna stabilitate feratur. Quare necessariũ est, ut hic secũdus Christi aduentus, & extremum (quod uocant) Iudicium, rectè à nobis cognoscantur, & probè nobis inculcentur, ne quod illusores facere solent, ignauiter nostrã ipsorũ salutem negligamus, & repẽtino Christi

iudicio ex improuiso obruamur, ac pereamus. Nam Matth. 24. significauit Christus fore multos, qui ludibrio habituri sint, ea quæ de aduẽtu Domini dicũtur, et propterea suã ipsorum salutẽ negligere. Si dixerit (inquiẽs) seruus in corde suo, cũctatur Dominus meus uenire, cœperitq; percutere conseruos, imò edere ac bibere cũ ebrijs, ueniet Dominus serui illius in die, qua nõ expectat, et hora, qua ignorat, et dissecabit eum etc. Idẽ uaticinatus est et Petrus 2. Petri 3. Veniẽt in extremis diebus illusores, qui iuxta proprias cõcupiscẽtias ambulẽt, et dicãt: Vbi est pollicitatio aduẽtus eius? etc. Et quod hi uaticinati sunt, hoc reipsa impleri uidemus. Sunt.n. nostro tempore plurimi inter hoĩes, quibus omnia ridicula sunt, quæ dicũtur de extremo iudicio. Et cũ obijciantur eis minæ extremi iudicij, ibi cũ risu excipiuntur, quæ proponuntur, dicentes: si tantũ mihi spacij cõceditur, auferã tibi unà cũ tunica etiã pallium. Dicemus igitur de secundo aduentu Christi, & de nouissimi diei iudicio, quãtum quidẽ per sacram scripturã licet, ac primum audiamus de ijs, quæ præcessura sunt extremũ iudicium. Deinde de ipso aduentu Christi et iudicio. Postremò quæ post iudicium futura sunt. Atq; de his audiamus nõ quæ sunt incerta, et publicis fabulis uulgata, sed quæ sunt per sacrã scripturã certa, et quæ Dominus per scripturã reuelare ac cognosci uoluit. Nam incerta & occulta Domino Deo nostro relin-

quemus.

quemus. Priusquàm aũt pstringamus quæ proposui-
mus, illusoribus demonstrandũ est, q̃ iudiciũ Dei cer
tissimè futurũ sit, nec tardet Doīs, sed patiens sit, ut Iudicij extre
expectet impiorũ resipiscẽtiã, Alioqui iãdudum ad mi certitudo
iudicium rediissẽt. Etenim neminẽ existimo tam præ
fractæ mẽtis esse, qui neget autoritatẽ et ueritatẽ sa
cræ Scripturæ, quæ autore spũ sancto nobis tradita
est. In hac aũt manifestè prophetatur futurũ esse ex
tremum Dei iudiciũ. Gen. 4. Statim in principio or
bis recens conditi, concionatur Deus de extremo iu
dicio: Si bene egeris, recipies, sin male, peccatũ tuũ
cubabit ad manifestationẽ, seu ad iudicium. Esaiæ ul
timo: Egrediẽtur et uidebunt cadauera uirorũ, qui
præuaricati sunt in me. Vermis eorũ nõ morietur, et
ignis eorum nõ extinguetur. Christus idem testatur
Mat. 25. Cùm uenerit filius hominis in gloria sua, &
oẽs sancti angeli cum eo, tunc sedebit super Sedem
gloriæ suæ, et congregabuntur ante eum oẽs gentes
&c. Ioan. 5. Veniet hora, in qua omnes, qui in monu
mentis sunt, audient uocẽ eius, & prodibunt qui bo
na fecerunt in Resurrectionẽ uitæ. Angeli Act. 1.
Sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntẽ in cœ
lum. Apostoli similiter. Paulus Act. 17. Statuit diem
in quo iudicaturus est orbem terrarum cum iusticia
per eum uirum, per quem decreuerat, fide præstita
omnibus, cùm excitarit illũ ex mortuis &c. 2. Thes
sal. 1. Reuelabitur Dominus Iesus de cœlo cum ange

lis potentiæ suæ, cum incēdio flāmæ, et insliget ultio nē his q non nouerunt Deū, & qui non obediunt Euangelio etc. 2. Pet. 3. Veniet dies Domini sicut fur in nocte. Iudas (nō ille Ischarioth) in Epistola sua, qui etiā allegat auctoritatē Enoch: Ecce uenit Dominus in sanctis millibus suis, ut faciat iudiciū aduersus oēs etc. Nō addā hīc testimonia etiā Ethnicorū, ac externarū gentiū. Nā de iudicio Dei super oīa omniū hominū opera, extāt publica ferè oīm gentium testimonia. Quare cum tot testimonijs certissimè firmatum sit futurum esse extremū Dei iudiciū in orbe terrarum, nō rideamus ad mentionem eius, sed potius præparemus nos ad aduentum Christi, ut immaculati reperiamur. Igitur principiō obseruanda sunt ea, quæ præcedent secundum aduentum Christi ad iudiciū. Hīc multa incerta, ac etiam fabulosa sparsa & uulgata sunt de stellis è cœlo cadētibus, de mōtibus, de mari, de aduentu Eliæ, de decē Regibus, de persona Antichristi, et id genus alijs rebus, quæ, ut è ueris mitijs orta sunt, ita m aniles quasdā nugas exeūt. Nos certa persequemur. Christus Mat. 24. & Luc. 17. perspicuè significauit, q. specialia Dei iudicia sint adūbratio generalis & extremi iudicij. Sic diluuium Noha, speciale iudicium est, quod etsi toto orbe inundauit, non tamen omnino deletum est genus humanum, nec mutata sunt cœlum & terra. Sic conflagratio Zodomæ: sic submersio Pharaonis in mari rubro: sic prima

Præcedentia diem nouissimum.

deuastatio

deuastatio Hierusalē sub Nebucadnezare, Sic secunda deuastatio post Christū sub Vespasiano. Hæc specialia iudicia sunt umbra et præfiguratio generalis & extremi iudicij. Quare qualia præcesserunt illa specialia iudicia, talia ac multò maiora præcedent hoc generale iudiciū. Sicut accidit (inquit Christus) in diebus Noe, ita accidet in diebus filij hominis. Consimiliter sicut accidit in diebus Loth etc. Quæ igitur acciderunt? Quod quidē attinet ad publicam prædicationē uerbi Dei, semper ante specialia iudicia præmissa fuit reuelata prædicatio uerbi, ut ijs tēporibus multò manifestius uerbū Dei prædicatū fuerit, quàm unquā antea. Ante diluuium prædicauerūt Nohe, et alij Patriarchæ. Ante cōflagrationē Zodomæ Loth: ante submersionem Pharaonis Mose & Aheron: ante deuastationēHierusalē primam Prophetæ: ante secundam deuastationē Christus & apostoli. Ergo ante nouissimum diem præcedet etiā publica & manifesta prædicatio uerbi Dei: atq; hoc est quod dictum fuit, Eliā & Enoch uenturos ante nouissimum diem. Hoc illi intellexerunt de personis Eliæ et Enoch, Nobis aūt intelligendum est de concionibus eorum. Nā Enoch prophetauit de extremo iudicio. Hæc Prophecia, quia urgebitur et inculcabitur ante nouissimum diem, ideo dictum est Enoch uenturum. Eliæ aūt Ioannes Baptista est, ut Christus interpretatur. Et Ioānes prædicauit Euangelium Christi, et restituit oīa.

Vnde quia Euangelion prædicabitur ante nouissimũ diẽ clarissimè, ideo dictũ est allegoricè, Eliã aduẽturum ante nouissimũ diẽ. Quod aũt attinet ad mores hoĩm, ante iudicia ſpecialia, qui pĳ erãt, tũ doctores uerbi, tum auditores, miſerrimè tractabãtur in mundo, et crudeliſſimas afflictiones et perſecutiones tam ab hæreticis, quàm à tyrãnis patiebãtur. Exemplũ in Noha, Loth, Moſe, Prophetis, Chriſto et apoſtolis. Impĳ aũt uiuebãt ſecuriſſimè. Aedificabãt, plantabant etc. adeoq; ſic inſtituebãt uitam ſuã tanquã perpetuò in terra uicturi eſſent. Ergo eadẽ accident ante nouissimũ diem: pĳ grauiſſimas perſecutiones patientur ab hæreticis et tyrãnis: atq; hoc eſt, quod de Antichriſto ante iudiciũ uẽturo dictũ eſt. Dicit. n. Ioannes: Antichriſti multi ſunt, qui etſi ſuũ caput habebunt, quod à Paulo, filius iniquitatis et homo ſceleriſſimus dicitur, tamen huius corporis multa mẽbra erũt etc. Impĳ aũt ducent uitam ſecuriſſimã, ædificabunt, plãtabunt, et pollicebuntur ſibi oĩa fœliciſſima. Tametſi. n. hæc ſemper in mũdo ita cõtigerunt, ut pĳ affligerentur, et impĳ fœliciter in peccatis et ſceleribus uiuerẽt, tamẽ appropinquante extremo die, omnia in ſummũ euadent. Summa. n. erit ſecuritas, iniquitas & fœlicitas impiorum, Summa autẽ erit piorum triſticia et infœlicitas. Hæc ſunt quæ generaliter præcedent extremum iudicium Dei, quæ et è ſacra ſcriptura ſumpta ſunt. Poſſent alia quædã ex Paulo ad Theſſalo-

sel. addi. sed hæc nunc ad propositum sufficiunt. Dein de uidēdum est, quando, et quale hoc Iudicium futu rum sit. sed de temporis momento nihil nobis scrutā dum est. Nam Christus, ut noluit apostolis reuelare momentum, et horam eius tēporis quo missurus erat spiritum sanctum, cùm tamen uix dum reliqui essent dies quatuordecim. Quærentibus eum, quando esset restituturus regnum Israelis, respondit: Non est ue strum nosse tempora & momenta, quæ Pater in sua ipsius constituit potestate. Et ut noluit eis reuelare horam deuastationis Hierusalem, ad quam uix qua dragintā anni reliqui erant, Mar. 13. De die illo ac tē pore nemo nouit, ne angeli quidem, nec ipse filius, sed solus Pater. Ita & noluit nos scire momentum et horam secundi aduentus sui, uidelicet, ut semper ui gilemus, et parati simus. Coniiciunt quidem nonnulli mundum duraturum sex millibus annorū, iuxta sex dies creationis, ut unus dies significet mille annos, sed hæc sunt coniectura, non certitudo: Hoc autem certum est, quòd dies Domini ueniet ex insperato, sicut fur in nocte. Matth. 24. Qua hora non putatis, ea filius hominis ueniet. 1. Thessal. 5. Cùm dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis imminet interitus. 2. Petri 3. Veniet dies Domini, sicut fur in nocte, id est, ex improuiso, hominibus ualde securis. Ac primum quidem in Aduentu Christi, omnia mala, et afflictiones huius seculi accident impijs, sicut accide

Tempus extremi iudicij

runt impijs priusquàm perirent in Diluuio, & conflagratione Zodomæ. Deinde aduenier Dominus cũ hortatu & uoce Archangeli, ac tuba Dei. 1. Thessa. 4. Et peragetur iudicium Dei per Christum in momento, in ictu oculi. Tametsi enim Matt. 25. scriptũ sit, tunquã mora quadã Christus iudicaturus sit, tamen ea scripta sunt pro humana cõsuetudine, sed intelligẽda pro diuina maiestate. Et in hoc iudicio deputabuntur pij ad fœlicitatem, & impij ad pœnam æternam. Postremò post iudicium nihil amplius erit corruptibile, omnia erunt perpetua, Impij perpetuò cruciabuntur, Pij perpetuò cum Christo fœliciter regnabunt. Et talis erit uita, quæ non potest nec sermõe explicari, nec ratiõe humana capi. Esa. 64. & 1. Corin. 2. Quæ oculus hominis nõ uidit, et auris non audiuit, & in cor hominis nõ ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Hæc pauciſsima de extremo iudicio dicere uolui, ut certi essemus hoc aduenturum, & ut unusquisq; pro sua uirili præparare se fide Christi, ac obedientia Euangelij, quò immaculatus & incontaminatus ab illo reperiatur: talis enim quisq; in nouissimo die iudicabitur, qualis ultimũ diem suum claudit. Quare etiamsi multi non pertingent sua externa uita ad nouissimũ diẽ, tamen danda est unicuiq; opera, ut diẽ uitæ suæ in Christo finiat. Sic. n. fiet, ut unà cum omnibus sanctis excitetur in æternam fœlicitatem in Christo Iesu, Amen.

tus post
dicium
ternum.

IN

IN DIE PENTECOSTES,
Euangelium Actorum 2.



ET cum complerentur die Pentecostes, erant oēs unanimiter simul. Et factus est repentè de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus uehementis, & repleuit totam domum, ubi erant sedētes. Et apparuerūt illis dispertitæ linguę

tãq̃ ignis,ſeditq̃ ſupra ſinguloseo rum.Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto,& cœperũt loqui uarijs lin guis, prout ſpũs dabat eis eloqui.

Erant aũt in Hieruſalem habitã tes Iudæi uiri religioſi,ex omni na tione quæ ſub cœlo eſt.Facta autẽ hac uoce cõuenit multitudo,&mẽ te confuſa eſt, quoniã audiebat u/ nuſquiſq̃ lingua ſua illos loquen/ tes.Stupebant aũt omnes,& mira/ bantur,dicentes:Nonne oẽs iſti,q̃ loquũtur,Galilęi ſunt?Et quomo do nos audimus unuſquiſq̃ lin/ guã noſtrã,in qua nati ſumus?Par thi,& Medi,& Elamitæ,& qui ha/ bitant Meſopotamiã,Iudæam, & Cappadociã,Pontũ,& Aſiã, Phry giã,& Pamphyliã,Aegyptũ & par tes Libyæ,quæ eſt circa Cyrenen, & peregrini Romani,Iudęi quoq̃ &

& proselyti, Cretes & Arabes, audimus eos loquentes nostris linguis magnifica Dei. Stupebant autem omnes, & mirabantur, adinuicem dicentes: Quid nam uult hoc esse? Alij autem irridentes, dicebant, quòd musto pleni sunt isti.

HOMILIA PRIMA, DE VICARIO Christi, habita anno 1539.



VPeriori die quo publicam fecimus mentionem ascensus Domini nostri in cœlum, ostendimus q. Christus cùm propter multas causas, tum propter hanc potissimum ascenderit in cœlum, ut significaret regnum suum nõ esse do hoc mundo, sed se interea abscondito & cœlesti modo regnaturum in cœlo, & huic externo mundo suũ cursum, quem ab initio mundi habuit, permissurum, donec ad futurum iudicium in nouissimo die redeat. Nunc igitur, quod fœlix & faustũ sit, explicemus, et discamus hodierno Pentecostes die, quid nobis Christus loco sui post se reliquerit, quem constituerit nobis pro se Vicariũ, Tutorem, præfectum, & defensorem in hac terra, donec nouissimus adueniat die

Nam cum Christus ascensu suo permittat huic mundo suum ueterem cursum, quid aliud agit, quàm q, si nat pios esse infœlices, impios autem fœlices? quid aliud reliquit post se pijs quàm omnia genera afflictionum et infœlicitatum? Hic enim uetus est cursus huius seculi, ut quo quis est magis pius & iustus, eo pluribus afficiatur malis in hoc seculo, Id quod innumeris exemplis testatum est, & Christus ipse non dissimulat, cùm ait: in mundo afflictionē habebitis. Quare ne Christus accusetur impostura, quòd ipse quidem transtulerit se in cœlum, & perpetuam fœlicitatem, dereliquerit autem suos in omnibus huius seculi malis afflictos & oppressos, discēdum est, quem pro se tutorem, consolatorem, & protectorem piorum, interea temporis in hoc mundo constituerit. Quem ergo reliquit post se consolatorem & defensorem ecclesiæ suæ? Num Romanum Pontificem? Siquidem Romanus Pontifex cōcionaretur uerum Euangelium, esset aliquis eius usus in ecclesia. Nunc autem, cùm non solū nō concionetur Euangelium Christi, sed etiam persequatur, non est defensor, sed deuastator ecclesiæ, non est Vicarius Christi, sed uicarius satanæ. Num ciuilem Magistratum? Is quidem debet suum facere officiū, ut uera Religio rectè doceatur, & regnum Christi promoueat in terra per prædicationem Euangelij, & si neglexerit, tunc Deus requiret de manu ipsorum sanguinem eorum, qui pereunt,

reunt, id quod grauissimum est, quãdoquidem nullus habet, q̃ pro seipso reddat rationem, quomodo igitur posset pro alio reddere coram Deo rationẽ? Magistratus tamen ciuilis non potest hominem tueri in omnibus afflictionibus, morte ac doloribus inferni. Alius igitur Vicarius Christi, alius consolator aut tutor Ecclesiæ quærendus est. Quis autem is sit, non sinit nos Christus ipse aut dubitare aut inquirere. Apud Ioannẽ enim discessurus à discipulis suis, ita ait, cap. 14. Ego rogabo patrem, et alium consolatorem dabit uobis, ut maneat uobiscum inæternum, spiritũ ueritatis, quem mundus non potest capere, quia nõ uidet eum, nec nouit eum. Et postea: Paracletus ille, qui est spiritus sanctus, quem mittet pater nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia, quæcunq; dixi uobis. Et cap. 16. Cùm uenerit ille qui est spiritus ueritatis, ducet uos in oẽm ueritatẽ. Hîc iam manifestum est, quòd spiritus sanctus is est, quem Christus reliquit post se loco sui in tutorem et defensorẽ Ecclesiæ. Discendum igitur est, quis sit ille spiritus sanctus defensor noster, et tutor in omnibus aduersis, ut agnoscamus et possideamus eum, quo uirtute eius & quæuis bona faciamus, & in quibusuis malis seruemur. Ac perspicuum quidem est, q̃ spiritus sanctus sit tertia psona in diuina essentia, æqualis Deus cum Patre & Filio. Nos autẽ nunc nõ loquimur absolutè de essentia spiritus sancti, Sed dicendũ

Spiritus sanctus Christi Vicarius in terris.

nobis est de dono spiritus sancti. Nam cum Christus recipit se missurum spiritum sanctũ nomine suo, qui nos consoletur & tueatur, sentit spiritũ sanctum daturum noĩe suo eximium quoddã donum, quo & cõfirmamur in fide, & animamur ad facienda bona, et conseruamur in perpetiendis malis. Hoc autem illud spiritus sancti donum est, quod Christus in die Pentecostes reuelauit. Instituit.n.eo die publicam Euangelij sui concionem, uidelicet, q, ipse sit Christus, q, ipse sit expiator peccatorum, q, propter ipsum sit resurrectio mortuorum, & uita æterna, & qui crediderit in ipsum, saluus sit, qui uero nõ crediderit, iam condemnatus sit. Nec instituit tantum hanc concionem, sed confirmauit eam stupendis miraculis in die Pẽtecostes, ut manifestè uideamus, adeoq; palpemus hanc Euangelij cõcionem esse certißimam ueritatẽ, ut etiamsi nec Cæsares, nec reges assentiuntur huic Euangelio, manifestum tamen sit eam esse certißimã ueritatem. Reliquum igitur est, ut commemoremus maxima ac stupenda illa miracula, quibus certißima ueritas Euãgelij Christi confirmata est in die Pentecostes. Primum.n.cùm cõplerentur dies Pentecostes (quẽadmodum Lucas ait) et discipuli iuxta mandatũ Christi cõgregati essent Hierosolymis in cœnaculo, ecce repẽte factus est de cœlo sonitus, tãquã impetus aduenientis uehementis flatus, & repleuit totam domum, ubi erant sedentes, ac uisæ sunt illis dissectæ linguæ,

quæ, uelut igneæ, seditq; supra singulos eorũ. Hoc est ingens miraculum, q̃ post uehementẽ motum linguæ igneæ apparuerint extrinsecus uisibiliter in singulis discipulis, qui unà congregati erant. Deinde discipuli cœperunt loqui alijs linguis, prout spiritus dabat eloqui illis. Res maximè omniũ stupenda, q̃ homines indocti, & uix unã linguam probè scientes, repẽtè ita immutati sint, ut locuti fuerint uarijs ac diuersis linguis, cum Partis Parthicè, cum Romanis Romanè, seu Latinè, cum Græcis Græcè, cum Arabibus Arabicè. Hæ enim linguæ non sic distinctæ erant, ut Germania in plures idiotismos, uidelicet Sueuicos, Bauaricos, Franconicos, Alsaticos, sed planè inter se diuersæ erãt, ut Germanica, Italica, Polonica, Illyrica etc. Tanto igitur maius est miraculũ, quãto hæ linguæ magis inter se diuersæ erãt. Et ne quis existimet hoc miraculũ momẽtaneum, et in paucis præsentib. tantum contigisse, factum est, ut & postea aliquãto tempore, tale spiritus sancti donũ acciperent, quotquot Euangelion fide audirent. Petrus ait ad ciues Hierosolymitanos, in prima concione diei Pentecostes: baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi &c. & accipietis donum spiritus sancti, & accesserunt in die illo animæ circiter ter mille: qui certè si non omnes, tamen maior pars eorum, hoc admirabile donum spiritus acceperunt. Similiter Actor. 8. cùm Samaritani accepissent Euangelium, accesserunt ad eos Petrus & Ioannes,

& cùm hi imposuissent manus suas super Samaritanos, acceperunt & ipsi spiritum sanctum, hoc est, donati sunt hoc admirãdo linguarũ dono. Sic Acto. 10. cum Petrus concionaretur Cornelio, & his qui ex gentibus erant, adhuc loquẽte eo cecidit spiritus sanctus super ipsum, hoc est, donati sunt hoc admirãdo dono linguarum. Sic & Paulus Gal. 3. scribit: Num accepistis spiritum sanctum ex operibus Legis, an ex prædicatione fidei? Aliỹsq; multis datum est donum linguarum uirtute spiritus sancti. Accessit ad hoc miraculum etiam illud, quòd apostoli & alij discipuli in nomine Christi ægrotos sanarent, & dæmonia eijcerent. Vide Acto. 3. de claudo ab utero matris. His miraculis confirmata est ueritas Euangelij Christi, q̃ sit certissima: & hoc est donum spiritus sancti, quod Christus promisit pro tutore & defensore ecclesiæ, uidelicet quòd instituit concionem Euangelij sui, & confirmauit eam uisibilibus, et stupendis miraculis. Atq; hoc dono non solum certificati sumus, quòd cõcio Euangelij de Christo sit ipsissima ueritas, uerum etiam q̃ quicunq; huic Euangelio nõ adhibent fidẽ, nec sectantur ipsum, sint perpetuo damnati. Quare qui sentit Turcam in sua religione, et Iudæum (ut nunc sunt Iudæi) in sua religione, et Papistã in sua religione, posse consequi salutẽ, is infideli, imò ipso Satana deterior est. Satan. n. nouit ueritatem huius Euangelij, & si non credit eam sibi saluti fore. Is aũt habet

bet hanc ueritatem pro mendacio. Nam q, sola concio Euangelij sit certißima ueritas & salus, testantur acta in die Pentecostes, & sequentibus temporibus. Reliquum igitur est, ut transferamus hoc spiritus sancti donũ in usum, ut cùm Christus reliquerit hoc donum Ecclesiæ in tutorem & protectorem, usurpemus etiã protectionem eius. Sic usurpauit Stephanus. Cùm enim captiuus esset & peteretur lapidibus, non defensus est extrinsecus à Christo, non defensus est à Magistratu, sed habuit hunc consolatorẽ spiritum, uidelicet, q, crediderit Euangelion de Christo esse certißimam ueritatem. Sic Iacobus truncabatur capite, & non habuit alium consolatorem ac tutorem præter spiritum, uidelicet q, crediderit Euangelium esse certißimam ueritatem. Sic & alij apostoli & si aliquoties liberati fuerunt mirabiliter, tamen hæ liberationes non fuerunt nisi parasceue ad percipienda maiora mala in hoc seculo, in quibus nõ habuerunt alium tutorem & defensorem, quàm concionem Euangelij, quòd sit certißima ueritas. Sic & nobis utendum est hoc tutore, ut cùm uenerit persecutio externa, inuocemus tutorẽ nostrum spiritum, & memimerimus Euangelion esse certißimam ueritatem: cùm audierimus blasphemias aduersus Euangelium Christi, cõfirmemus corda nostra ex actis in die Pentecostes, & inuocemus protectorem spiritum: cùm pigri fumus ad faciẽda bona, reuocemus in

memoriã concionem Euãgelij, hoc est, patronum & aduocatũ nostrũ, ex quo concipiamus uires faciendi bona. Cũ satan turbauerit conscientiã nostrã de Euangelio, et obiecerit nobis paupertates, exilia, mortẽ & infernũ, tunc aduocemus patronũ nostrum, meminerimus Euãgeliũ esse certissimã ueritatem. Atq; hoc interea patrono utendũ est in hoc seculo, donec aduenerit ipse Christus uisibiliter, et liberet nos ab oĩbus malis in æternam uitã, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula, Amen.

ALIA HOMILIA IN DIE PENtecostes, habita anno 1548.

PVblica sit hodierno die mentio quinquagesimi diei à Pascha seu resurrectiõe Christi, quo missus est discipulis spũs sanctus. Ac profectò debemus hunc diem magno studio obseruare, et quæ in eo gesta sunt diligẽtissimè memimisse. Nam in hunc diem prophetæ intenderũt, præsertim Esaias, Micheas, & Ioel. Esaias ait: In nouissimis diebus erit mons Domini præparatus &c. fluẽt ad eum omnes gẽtes etc. Et Ioel: Effundam de spiritu meo super omnem carnem etc. In hunc diem respicit etiam Ioannes Baptista: Ego, inquiẽs, baptiso uos aqua, ipse aũt baptisabit uos igni. Similiter & Christus ipse remittit apostolos suos ad hunc diẽ: Non potestis nunc porta

portare oĩa. Cũ uenerit aũt ſpũs ueritatis, ducet uos in oẽm ueritatẽ. Et act. 1. Accipietis uirtutẽ poſtquã ſpũs ſanctus aduenerit ſuper uos etc. Cũ igitur oculi tam Prophetarũ, quàm Chriſti et Ioã. Baptiſtæ intẽti fuerint in hũc diẽ pẽtecoſtes, par eſt ut et nos ſummo ſtudio oculos noſtros in ipſum dirigamus, et cõſideremus, quid hic dies nobis attulerit. Quod ut cõmodè exponi poßit, cõmemorabimus diuina clementia adiuti, imitiò, quæ res diuinitus hoc die geſtæ ſint: deinde quis ſit earũ admirabiliũ rerum finis, quis uſus in eccleſia Chriſti. De rebus aũt geſtis in die pentecoſtes Lucas ſatis diligẽter Act. 2. ſcribit. Apoſtoli & reliqui diſcipuli fuerunt iuxta mãdatum Chriſti congregati Hieroſolymis 50. die à reſurrectione, eo uidelicet die, quo memoria latæ quõdã legis celebratur, et frequẽtißima eſſet turba Hieroſolymis. Ex improuiſo igitur fit ſonitus de cœlo, tanquã uẽtus uehemens in tota domo, et mox apparẽt in eis diſſectæ linguæ uelut igneæ, quibus notis reuelabatur aduentus ſpiritus ſancti, quem antea Chriſtus promiſerat. Venit aũt ſpiritus magnis et multis donis comitatus, quibus ornet apoſtolos & reliquos diſcipulos. Nam præter generalia dona affert etiam ſingularia et admiranda. Primùm illuſtrat mẽtem eorũ, ut iam clarè intelligant regnũ Chriſti, perſonã Chriſti & officiũ eius, uidelicet, q̃ regnum eius non ſit mundanum, q̃ perſona ſua ſit uerus Deus & homo, quòd ſolus ipſe

Res geſtæ in die pentecoſtes.

sit salus nostra. Deinde reddit ex timidis fortissimos. Petrus antea ne coram ancilla quidem constabat, nunc in medio foro intrepidè concionatur. Apostoli antea recluſi erant in domo, nunc procedunt unanimiter in publicum & profitentur Euangelium Christi, &c. Tertiò, ornat eos sermone uariarum linguarum: ad quamcunq; enim congregationem hominum ueniebãt, cum ea loquebãtur sua lingua. Vnusquisq; inquiunt, nostrũ audimus eos loquentes nostris linguis. Hoc est maximum miraculum & stupendum, &c. Quartò, dat eis donum sanãdi ægrotos, claudos & alia miracula edendi, Actor. 3. & 5. Vmbra Petri, Actor. 7. & 8. & c. sicut scriptũ est Mar. 16. Per nomen meum dæmonia eiicient &c. Hactenus de rebus gestis in die & à die pentecostes. Videamus nũc quis sit usus horum stupendorum miraculorum & harum admirandarum rerum. Nam Christum uoluisse his rebus magna conficere, testatur ipse, cùm ait Ioannis 16. Adhuc multa habeo uobis dicere &c. Ducet uos in omnem ueritatem, annunciabit uobis futura, glorificabit me &c. Voluit igitur Christus his miraculis publicè testificari & confirmare, Primùm, quòd regnum suum non sit mundanum. Non enim misit in die pentecostes suis apostolis exercitum equitum aut militum, non misit bombardas, quibus orbis expugnaretur, sed misit spiritum sanctũ cum donis linguarum & miraculorum, quæ sunt necessaria ad prædi-

Vsus admirabilium rerũ gestarum in die pentecostes.

prædicationem. Quare non instituit mundanum regnum, sed instituit officium prædicandi Euãgelij. Vnde in die Pentecostes & ab eo die incipiunt apostoli non dominari in terra, sed prædicare Euangelium de Christo & confirmare miraculis. Deinde Christus non uoluit his miraculis testificari, quòd liceat apostolis aut alijs prædicare quicquid ipsis pro humana ratione libeat, sed uoluit suam ipsius prædicationem (Eritis mei testes, et quæcũq; dixi uobis etc.) & propheticas prædicationes de sua persona & de suo officio confirmare. In Christo enim duo considerãda sunt. Alterum est persona eius, alterum officium eius. Quod ad personam attinet, nõ est tantum homo, sed etiam uerus Deus. Et hoc confirmauit in die pentecostes. misit enim admiranda dona spiritus sancti apostolis. Non potuisset autem spiritum sanctum sua autoritate dare, nisi esset uerus Deus. Adhæc contulit in apostolos donum edendorum miraculorum suo nomine. Hoc autem non est nisi solius Dei. Quare miracula Pentecostes probãrunt Christum uerum esse et æternum Deum. Quod autem ad officium eius attinet, solus ipse est uerus ille Christus, quem prophetæ promiserunt: si autem est Christus, solus ipse est expiator peccatorum & reconciliator hominum, nec est aliud nomen datum in quo oporteat homines saluos fieri. Et: Huic omnes prophetæ testimoniũ perhibent, q̃ habeat remissionem

peccatorum quisquis crediderit in eum. Cuius rei testimonia sunt miracula pentecostes. Vnde Petrus ait: Certò sciat domus Israel tota, quòd Dominum & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Probatur: quia traditus est in mortem, & iterum resuscitatus iuxta scripturam, & postea misit spiritum sanctum. Dextera Dei exaltatus et promissione spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc quod uidetis & auditis &c. Tertiò, miracula pentecostes docent & confirmant, q. hoc Euangelion de Christo, de persona & officio eius, sit organum quo conferatur ecclesiæ salus, & quòd nulli alteri Euangelio credendum sit, etiamsi angelus de cœlo aliud prædicaret. Roman. 1. Euangelion est potentia Dei. Quartò miracula pentecostes confirmant nostram doctrinam, quam his temporibus urgemus contra Papistas & Monachos, uidelicet, quòd non habeamus remissionem peccatorum propter Missarum sacrificia, aut merita operum, sed tantum propter Christum, si eum fide accipiamus, ut per solam fidem iustificemur. Quintò miracula pentecostes testificantur, quòd prædicatio Euangelij de Christo sit uerum organon quo datur nobis spiritus sanctus. Omnino enim necessarius nobis est spiritus sanctus ad salutem. Roman. cap. 8. Si quis spiritum Christi non habet, non est eius. Quid ergo faciemus ut consequamur spiritum sanctum seu dona eius? Vide mihi miracula

cula pentecostes. Spiritus sanctus uenit non in contemptores, sed in auditores Euangelij, Apostolos & reliquos discipulos. Ex conuiuijs & turpiloquijs reportatur malus spiritus, ex Euangelio bonus spiritus. Ex concione Petri prima donantur spiritu sancto tria millia hominum. Et Actor. 10. Gentes cùm audirent Petri concionem, accipiunt spiritum sanctum. Et Galat. 3. Accepistis spiritum ex prædicatione fidei. Hæc dicuntur quidem de admirandis donis spiritus sancti, sed hæc miracula testantur, quòd Euangelion sit organon eorum donorum spiritus, quæ sunt necessaria ad salutem. Initio, Fides est donũ necessarium ad salutem. Per quid datur? Per Euangelion. Rom. decimo: Fides ex auditu est. Obedientia est donum spiritus necessarium. Per quid datur? Per Euangelion. 1. Thessa. 2. Cùm acciperetis à nobis sermonem quo Deum discebatis, non accepistis sermonem hominum, sed sicut uerè erat, sermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus. Spes, consolatio in aduersis & patientia sunt dona spiritus necessaria, Per quid dantur? Per Euangelion Christi. Rom. decimoquinto, Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Habes igitur quid sibi uelint miracula Pentecostes. Confirmârunt ueritatem religionis nostræ aduersus oës impietates, confirmarunt diuinitatẽ personæ Christi & officiũ eius: confirmarunt doctrinam fidei contra hypocritas: cõfir

mârunt autoritatem Euangelij, quòd sit organō spiritus, contra contemptores, qui dicunt se ex se ipsis sapere. Ergo teneamus omnia, atq; posthac concionnes Euangelij diligentius audiamus, ut ex ijs, donis spiritus præditi, uitam habeamus in Christo, Amen.

FERIA SECVNDA PENTECOstes Homilia prima, habita anno 1539.

EXplicuimus hesterno die quod sit donum illud spiritus sancti, quod Christus post ascensum suum loco sui in terris dereliquit, uidelicet, cōcio Euangelij de Christo magnis & stupendis miraculis spiritus sancti cōfirmata. Hic est Paracletus ille qui nos ducit in omnem ueritatē, & seruat ac tuetur in omnibus aduersis. Audiamus igitur nunc primam concionem Euangelij quam Petrus astantibus undecim apostolis habuit Hierosolymis. Quanquam autem uideatur externa facie humilis & abiecta esse concio, propterea quòd nihil propemodum amplius cōtineatur in ea, quàm quod pueri in symbolo & catalogo articulorum fidei recitāt, tamen si rectè iudicaueris, hæc concio præcipua est omnium concionum quæ unquam in terris habitæ sunt. Habuit & Christus conciones ante mortem suam, habuerunt & alij apostoli conciones post diem Pente-

Pentecostes, sed omnes illæ conciones respexerũt in hanc concionẽ et summatim in ea continentur. Nam de hac concione uaticinati sunt Prophetæ longè antè, uidelicet, Esaias et Micheas. Erit, inquiunt, in nouissimis diebus præparatus mons Domini in uertice montium, & eleuabitur super omnes colles. Et fluẽt ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi. Quare? quia de Sion exibit lex, & uerbũ Domini de Hierusalem. Hæc lex & hoc uerbum Domini est concio illa quam Petrus astantibus undecim apostolis tanquàm testibus habuit Hierosolymis, quæ & postea per apostolos uulgata est in orbem terrarum. Et Ioel 2. In monte Sion & in Hierusalem erit saluatio. hoc fit per Euãgelium Hierosolymis reuelatum. Ad hæc, ex hac concione conuersi sunt eo die ad Christianismum circiter tria millia hominum, et baptisati sunt in nomine Christi, atq; acceperunt admirabile donum spiritus sancti. Et hæc concio non unius Petri est, sed omnium apostolorum, in qua continetur doctrina huius religionis, quam uocamus apostolicam, & quæ per apostolos postea in totum orbem terrarum uulgata est. Quare hæc concio maximi reputanda est & tanquã precioſißima gẽma cõseruanda. Explicemus igitur nunc concionem illam. Cùm ciues & incolæ & aduenæ in Hierusalem uiderẽt & audirẽt stupendum illud miraculum diuersarum linguarum in apostolis, alij quidem obstupuerunt, alij

autem irriserunt, ut semper sunt multi homines Euã gelij contẽptores. Quemadmodũ accidit in humano corpore, quod quo sanius est, eo fœtidiora stercora et sordes ab eo egrediũtur: ita politia seu hominum congregatio corpus est, et in eo corpore quo maior gloria Dei eluceſcit, eo plures impij tãquã sordes inueniri solẽt. Vnde & cũ inter ciues Hierosolymitanos maximũ omniũ miraculũ de diuersis linguis editum esset, reperiuntur in eo corpore impij hoĩes & cõtẽptores religionis, qui dicerẽt, Apostolos musto plenos esse. Petrus ergo cùm primum oĩm defendisset miraculũ, tum argumento tẽporis, quia hora, inquit, tertia est, tum testimonio Ioelis prophetæ, addit memorabilẽ illã uocem prophetæ: Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Et hanc uocem explicat Petrus sua cõcione. Nam hactenus existimauerunt Iudæi, q̃ nullus posset salutem cõsequi nisi circumcideretur pro more Iudæorũ ac sabbatizaret, et alia id genus opa legis faceret. Erãt et alij qui sentiebant quemuis in sua religione, etiã idolatrica, profitentẽ se credere in Deum creatorẽ cœli, & externã honestatẽ sectantẽ, consequi salutẽ suis operibus & meritis, quales etiã inter Christianos reperiuntur, q̃ dubitantes de ueritate Christianæ religionis palã dicũt: quis nouit, uter melior sit, Christianus an Turca aut Iudæus? De his ergo cõcionatur Petrus et proponit quidẽ sentẽtiã prophetæ: Omnis qui inuocauerit

nomen

nomẽ Domini saluus erit, sed explicat hãc sententiã per articulos fidei Christianæ, et docet quomodo nomen Domini inuocandũ, et quomodo salus consequẽda sit. Primum.n. non sic intelligẽda est, q. Iudæus tantũ seruetur propter suã circumcisionẽ. Dicit.n. propheta: Oĩs, oĩs, inquã, siue circũcisus, siue incircũcisus. Deinde nõ sic intelligenda est, q. qui ore tãtũ uocet nomẽ Dei, cõtinuo salutẽ cõsequatur, quẽadmodũ impij, qui cõfitẽtur ore Deũ, corde aũt negãt, quẽ admodũ etiã Iudæi, et Turcæ & Hypocritæ, qui dicunt se in unũ Deum credere, sed interim negãt Deum opinione meritorũ suæ iusticiæ. Intelligenda aũt est, q. is salutẽ consequatur, qui inuocauerit nomen Dei ex fide in Iesum Christũ. Itaq; texit cõcionẽ suã de Christo. Ac primũ recitat cõuersationẽ Christi inter hoĩes et ministerium eius. Iesum, inquit, Nazarenũ uirum exhibitũ à Deo erga uos uirtutibus et prodigijs & signis quæ fecit per illum Deus in medio uestri, sicut et ipsi scitis. Hic est ille articulus fidei, quo cõfitemur Iesum Christũ uenisse à Deo patre in hũc mũdum & prædicasse Euangeliũ suum in Iudæa, & Galilæa, atq; cõfirmasse illud magnis miraculis. Atq; hunc articulum cõfirmat Petrus testimonio suorum collegarũ, adeoq; omnium auditorum: sicut & ipsi, inquit, scitis. Quare etiãsi quis nunc oriatur qui hoc negauerit, huius testimonium nõ auditur. In ciuili iure cũ dicta testiũ reuelantur, non admittũtur nec au-

Iesum uenisse in mundũ

diuntur deinceps alij testes. Sic post confirmationem huius articuli per tot testes, quorum testimonia iam reuelata sunt, non audiũtur alij, qui diuersum dicũt. Deinde recitat Petrus crucẽ & mortem eius. Hunc, inquit, definito cõsilio & præscientia Dei traditum cùm accepissetis per manus iniquorum, crucifixum interemistis. Et hic est articulus quo cõfitemur: Passus sub Põtio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos. Non indiguit autem hic articulus ulla cõfirmatione, quia notior, quàm ut probari deberet. Postea recitat resurrectionem eius à mortuis: Quem Deus, inquit, solutis doloribus mortis, quatenus impoßibile erat teneri illũ ab ea, suscitauit. Hic articulus indigebat magna confirmatione, quia audi tores non uiderant Christum resurgentem. Ergo Petrus confirmat hunc articulum, Primum, testimonio scripturæ. Dauid enim ait, Psal. decimoquinto: Prouidebam Dominum coram me semper, quoniã à dextris est mihi ne commouear, &c. Et ne quis cauillari posset, q. Dauid non loqueretur de Christo sed de semetipso, confutat hoc cauillum dicẽs: Dauid defunctus est & sepultus, & sepulcrum eius apud nos est: hoc est, non resurrexit, sed cum Propheta esset, præscius locutus est de resurrectione Christi, qui est de fructu lumbi ipsius, quantum ad carnem attinet. Hoc ergo testimonio non solum probat resurrectionem Christi à mortuis, uerumetiam confirmat autoritatem

Christum resurrexisse.

autoritatem scripturæ & psalmorum, & probat religionem Christianam esse nõ solum uetustißimam, sed etiam per spiritum sanctum longè ante adnũciatam. Deinde probat resurrectionem testimonio suo & collegarum suorum. Hunc Iesum, inquiens, suscitauit Deus, cuius nos testes sumus. Et aliâs: Qui unà cum ipso, postquàm resurrexit, comedimus & bibimus. Quid ergo indigebimus pluribus alijs testimonijs de resurrectione Christi? Confirmata est testimonio tam scripturæ sacræ quàm apostolorum & multorum aliorum discipulorum. Quare necesse est eam certißimam esse. Postea recitat Petrus ascensum Christi in cœlũ: Dextera Dei exaltatus & promißione spiritus sancti accepta à patre &c. Hic ille articulus est, quem recitamus in symbolo fidei, ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei. Et probat etiam hunc articulum testimonio scripturæ: Non enim Dauid ascendit in cœlum, sed ait: Dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis &c. Concludit ergo Petrus concionem: Certò, inquiens, sciat domus Israel, quòd Dominum & Christum fecerit hunc Iesum Deus, quem uos crucifixistis. Hæc est concio in qua contimetur uera Apostolica religio de Christo, & in qua docemur quomodo saluemur. Saluamur enim inuocatione nominis Dei. Nõ possumus autem inuocare Deum, nisi crediderimus hunc Iesum esse Christum & reconciliatorem nostrum. Consequi-

mur ergo salutē per Christum. Quare quod Petrus à suis auditoribus exigit, hoc idē exigitur ab omnibus auditoribus Euangelij, ut resipiscant & faciant dignos fructus pœnitentiæ, quo immaculati expectent reditum Domini nostri Iesu Christi, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula, Amen.

FERIA SECVNDA PENtecostes Homilia secunda, habita anno 1548.

HEri exposuimus q. spiritus sanctus miraculis suis in die pētecostes editis confirmauerit ministeriū & ueritatem ac certitudinem Euangelij de Iesu Christo. Hodie audiamus quomodo Petrus cum collegis suis susceperit Euāgelion adnunciandū, et quem progressum habuerit ministerium Euangelij. Dictum.n.est q. Christus nō instituerit mundanum regnum in ecclesia sua, sed ministerium prædicandi Euangelij sui. Petrus igitur accepto spiritu sancto, comitantibus eum et astātibus reliquis undecim suis collegis, suscipit concionē habendā in publica urbis Hierosolymæ platea de Euangelio Christi. Initio aūt cōsidera mihi, quale hoc fuerit spectaculum: stant hîc in Hierusalem coram immensa multitudine duodecim Apostoli planè inermes, nullo externo habitu insignes, piscatores et publica

blicani, nõ ornati regijs diadematis, ac planè coram hominibus abiecti et sordidi: sed nullũ unquã concilium, nulla comicia, nulla synodus ab initio orbis terrarum fuit, quam non hæc apostolorum congregatio maiestate sua superarit. Non fuit corã mundo illustris, sed coram Deo & cælesti cœtu nulla unquã hominũ cõgregatio illustrior fuit. Hanc Apostolorũ Synodũ uidit spiritus sanctus, adeoq; cælestis cœtus ante mille annos, Psal. 67. In ecclesijs benedicite Domino propter fontes Israel. Ibi Beniamin adolescentulus dominatur, Principes Iuda, Principes Neptalim, Principes Zabulon. Hoc dictum est de apostolorũm cœtu. Et Esaias cap. 2. De Sion exibit lex, et uerbum Domini de Hierusalem. Dictum est & hoc de apostolis inchoantibus prædicationem Euangelij in urbe Hierusalem. Quare non est iudicandum de hoc spectaculo secundũ humanum sensum, sed secundum sensum spiritus sancti. Primum ergo omniũ Petrus in sua concione reprehendit calumniatores, & exponit quid sibi uelint hæc miracula diuersarum linguarum. Calumniantur miraculum sicut miraculum Christi cùm ejiceret dæmones. Quidã enim ascribebant illud musto. Petrus autem dicit, Nõ est mustum Bacchi, sed est mustũ spiritus sancti. Propheta. n. Ioel uaticinatus est de hoc miraculo. In lege. n. Mosi magnũ fuit discrimen personarum: alia tribus aliam dignitate superauit. Sola Tribus Leui fuit sacerdota-

lis. Abiectißima fuit conditio seruorum. Pueris non patebat aditus ad cognitionem diuinorum mysteriorum. Ante 30. ætatis annum nemo admittebatur ad obscuriorum locorum propheticorum lectionem. Præterea nemo agnoscebatur in numero populi Dei præter circumcisos. Itaq; cognitio mysteriorum cælestium & salus concludebatur intra angustos terminos. Propheta autem Ioel dicit in die Pentecostes effundendum spiritum super omnem carnem, super omnes homines credentes, nullo personarum discrimine. Non senes tantum, sed etiam adolescentes & pueri, Non uiri tantum, sed etiam mulieres, Non domini tantum, sed etiam serui reuelatè cognoscent diuina mysteria, Non Iudæi tantum, sed etiam Ethnici erunt populus Dei. Et additur obseruabile dictum: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. De hoc dicto pauca quædam dicenda sunt. Non enim Petrus tantum allegat ex hoc Propheta, sed etiam Paulus Roman. 10. & interpretatur Omnis, Nullum est hîc discrimen personarum, omnis siue Græcus, siue Iudæus, siue mas, siue fœmina, siue seruus, siue dominus, siue honestus, siue peccator, siue senex, siue adolescens, Qui inuocauerit nomen Domini. Ergo ne etiam Turcæ, Ethnici, Impij, perdurantes in sua impietate & clamantes ad Deum, consequentur salutem? Quis enim est qui non uelit uideri Deum inuocare? Hîc nota, quid sit uerè Deum seu nomen

Dei

Dei inuocare: hoc enim Paulus interpretatur. Quomodo, inquiens, inuocabunt in quem non crediderunt? Quomodo credent &c. Si credideris in corde tuo, & ore confessus fueris, quòd Deus excitauerit Iesum à mortuis, saluus eris &c. Inuocare igitur nomẽ Dei, primum est credere in Iesum Christum etc. Deinde est ex hac fide Deum ut patrem inuocare, et uocationi eius obedire &c. Saluus erit, Non dicit, diues erit, sanus erit, rex seculi huius erit, sed saluus erit, consequetur æternam salutem, etiamsi pauper fuerit, etiamsi moriatur &c. Hæc est prior pars cõcionis Petri. Secunda pars concionis eius continet præcipuos articulos symboli apostolici, et docet Petrus, q. hic Iesus crucifixus uerus sit Meßias, quia cõpetunt in eum diuina oracula Prophetarum, de morte, de resurrectione, de ascensu in cælum, & de missione spiritus sancti, adeoq; alia omnia quæ Prophetæ de Meßia uaticinati sunt. Ex hac concione magna pars symboli apostolici composita est, & qui hoc symbolum nouit, is apertius cognoscit uera mysteria salutis nostræ, quàm ueteres è Prophetijs, somnijs et uisiõibus suis unquàm uidere aut cognoscere potuerunt. Quare Petrus rectè interpretatur Ioelẽ, q. cũ in die Pentecostes reuelatum & cõfirmatum sit symbolum Apostolicum, non senes, non uiri, non domini tantum, sed & iuuenes & mulieres, & serui uidebant somnia & uisiones, ac fiant Prophetæ. Quid

Inuocare quid.

ergo hac concione efficitur? Num satis fuit concionem audire, & miracula illa uidere? Sic sentiunt quidem nonnulli, q; existiment se suo munere defunctos satis, si saltē concionem audierint. At uero exigitur, ut non tantū aures, sed etiam corda præbeamus pijs concionibus. Sumamus exemplū ab auditoribus Petri. Maxima quidem pars contempsit, & abijt suas uias, sed ter mille homines accipiunt hāc concionem magno salutis suæ fructu. Primū enim agnoscunt peccata sua. Cùm enim Petrus arguisset eos maximi peccati, occisionis Christi, non insultant Petro, sed compunguntur corde & agnoscunt peccatū. Deinde suscipiunt Christum per fidem, & incorporātur Christo per baptismum. Ac mox ornantur admirādis donis spūs sancti sicut & Apostoli. Postremò tradunt sese obedientiæ, perseuerant in doctrina apostolorum, iuuant pauperes, habent omnes facultates suas inter se communes etc. adeoq; instituunt honestissimam uitam. Obseruabile negocium. Petrus habuit in concione sua homines longè omnium scelestissimos, uidelicet, homicidas Christi filij Dei, Quo scelere nullum maius in terris designari potest, & tamè fiunt tam citò ex una concione tam iusti & sancti, ut etiam consequātur admirabilia dona spiritus sancti. Quomodo hoc factum est? Alij homines ac præcipue hypocritæ, non insignes manifestis flagicijs, quærunt sæpe iusticiam & sanctitatem noctu diuq; per

per omnem uitam suam maximis laboribus, et tamē nunquàm inueniunt. Illi autem Hierosolymitani, maximi omnium peccatores inueniunt & accipiunt eam ex una cōcione. Quid dicemus? Quid aliud, quàm quod Paulus Romanorum nono dicit: Israel qui sectabatur iusticiæ Legem, ad Legem iusticiæ nō peruenit, quia non ex fide, sed tāquā ex operibus legis, &c. Hypocritæ idcirco nunquā perueniunt ad uerā iusticiam, quia oberrant à uera ianua. Quærunt iusticiam in meritis operū. Hi Hierosolymitani perueniunt ad iusticiam, quia inueniunt ueram ianuam, agnoscunt peccata, & credunt in Christum. Ac facile quidem iusticiam consequuntur, dum inueniunt Christū. Sed multo labore constat ut conserues hanc iusticiam. Exigitur enim ut perseueres in doctrina apostolorum & confessione, ut confirmes fidem cœna Dominica, ut honestam uitam ducas, ut pauperes adiuues. Sed quid? num etiam facultates in cōmune conferendæ sunt? Hoc exemplum Anabaptistæ usurpāt, sed uanissimè. Neq; n. apostoli ullū unquam urserunt, ut conferret sua in cōmune, præsertim in alijs locis & regionibus. Nam sua quædam singularia cōsilia habuerunt Hierosolymitani, cur uendiderint sua. Primum enim sciebant Magistratum Hierosolymitanum non toleraturū professionem nominis Christiani, & ablaturū opes Christianorū in fiscum. Malucrūt igitur uēdere & pauca reportare, quàm om- Facultatum communio.

nia amittere. Deinde sciebant ex uaticinio Christi, q̃ Hierusalẽ post aliquot annos esset deuastanda. Christus dixerat, non remanebit lapis super lapidem. Et, Flete super uos & filios uestros &c. Hæc cõtulerũt inter se discipuli, ideoq; parauerunt se ad fugam. Eusebius scribit apostolos duodecim annis tantum mãsisse simul Hierosolymis. Iacobus frater Domini fuit primus Episcopus Hierosolymitanorum. Sẽper fuit ecclesia Hierosolymis usq; ad deuastationem. Imminente deuastatione migrauerunt Christiani ad Pellam oppidum trans Iordanẽ. Vide Epiphaniũ & Eusebiũ. Alia fuit ratio aliarũ regionũ. Christianismus nõ cõsistit in externa facultatũ cõmunione, sed in uera pietate. Christianismus relinquit unicuiq; sua, sed interim exigit charitatẽ, hãc debemus sectari, ut cõseruemus fidẽ, & per fidem in Christum saluemur.

DOMINICA TRINITATIS

Euangelium Ioannis 3.

ERat aũt homo ex Pharisęis, Nicodemus noĩe, prĩceps Iudæorũ. Hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus q̃ à Deo ueneris magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

Respondit



Respondit Iesus & dixi ei, Amẽ amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, nõ potest uidere regnũ Dei. Dixit ad eum Nicodemus, Quomodo potest homo nasci, cũ sit senex? Nunquid potest in uentrem matris suæ iterato introire, et nasci?

Respondit Iesus, Amen amẽ di-

co tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nō potest introire in regnū Dei. Quod natū est ex carne, caro est. Et quod natū est ex spiritu, spūs est. Nō mireris, q̄ dixi tibi, oportet uos nasci denuo. Spūs ubi uult spirat, & uocē eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quò uadat. sic est oīs, q̄ natus est ex spiritu.

Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei, Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen amē dico tibi, quod scimus loquimur, & quod uidimus, testamur, & testimonium nostrum nō accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, Quomodo, si dixero uobis cœlestia, credetis?

Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis,

minis, qui est in cœlo. Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

HOMILIA PRIMA, IN QVA PARTIM de Trinitate, partim uerò de Euangelio & historia Nicodemi tractatur, habita anno 1542.

DVO nobis hodie pro publica concione tractanda proponuntur. Alterũ est de Trinitate, quam sic uocant, Alterum est de regeneratione, cuius fit mentio in hodierno Euangelio. Necesse enim est ut de Trinitate rectè sentiamus, quo uerum Deũ uerè colamus, ueneremur, & adoremus. Officij autem nostri non est, ut in hoc argumento scrutemur arcana diuinitatis mysteria, quæ Deus ipse uoluit esse abscondita, & quorum curiosa inquisitio uarios semper tumultus & errores in Ecclesia excitauit. Sed nostrum est de diuina natura cognoscere ea quæ Deus reuelauit nobis per scripturam sanctam, & quæ uult à nobis cognosci ut salutem consequamur. Primùm igitur scriptura docet

nos, quòd non debeamus sentire de Deo, aut diuina natura, ut Ethnici senserunt: hi enim finxerunt multos esse Deos, sed scriptura reprehendit hanc impietatem. Non habebis, inquit, Deos alienos coram me. Et: Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est. Deinde scriptura docet nos, quòd non debeamus de Deo sentire, quemadmodum sentiunt Turcæ, & degeneres illi Iudæi, qui adhuc hodie incertis sedibus uagantur. Hi enim iactant quidē se sentire unum tantum esse Deum, sed interea negant huius unius diuinæ naturæ personas et proprietates per se subsistentes. Reprehendit & hanc impietatem scriptura, & exigit ut nec secundum Ethnicos sentiamus multos esse Deos, sed unum tantum Deum esse, nec secundū Turcas & Iudæos unam tantum esse personam diuinæ naturæ, sed tres esse unius dtuinæ essentiæ personas seu proprietates per se subsistentes. Nam quòd unus tantum sit Deus manifestum est. Quòd autem unius diuinæ essentiæ sint tres per se subsistētes proprietates, quas personas uocant, perspicuè indicat principium totius scripturæ: In principio, inquit, creauit Deus cœlum & terram. Et mox: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Ac iterum: Dixit Deus, fiat Lux & facta est Lux. Hìc habes tres personas unius diuinæ naturæ, uidelicet, Deum patrem, qui omnia creauit, & Verbum Dei, quo omnia creata sunt, & spiritum sanctum, qui creata confouebat

Vnum esse Deū, & tres personas diuinitatis.

bat & conseruabat. Et has tres personas perspicuè explicuit Christus in confirmatione Baptismi dicens: Baptisate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Cæterùm quomodo hæ personæ, quæ sunt unius essentiæ, habeant se inter seipsas, non est nostri ingenij in hoc mundo perscrutari, sed necesse habemus cognoscere, quomodo sese erga nos habeant, & quæ sint officia earum ad nostram salutem pertinentia. Primum igitur dicamus de Patre: Hic ab æterno Deus est, Creator omnium rerum. Pater autem est & dicitur, propterea, quòd ab æterno genuit Filium, quem uocamus Verbum Dei, Christum Dominum nostrum, erga quem etiam tam paternum gerit affectum, ut propter ipsum uelit esse Pater omnium eorum, qui in ipsum credunt, eosque seruare ad perpetuam hæreditatem in cælo cum filio suo accipiendam. Vnde & misit filium suum in plenitudine temporis, & dedit eum, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat uitam æternam. Deinde audiamus etiam de Filio. Est & hic ab æterno Deus genitus à patre. Apud Esaiam enim interprete Paulo de Christo dicitur: Viuo ego, dicit Dominus, mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Hic ergo filius Dei, hoc enim officium eius est, uenit in plenitudine temporis in hunc mundum, & factus est homo, ut ex hominibus faceret filios Dei, de quo, quoniam in alijs concioni

Pater.

Filius.

bus semper dicitur, nunc hæc pauca sufficiant. Po-
Spiritus sanctus. stremò & de spiritu sancto, nam & hic ab æterno uerus est Deus, ac non est genitus ut filius, sed procedit ab utroq; tam Patre quàm Filio. Officium autem eius est, quòd reuelauit Patriarchis & Prophetis uaticinia de Christo in hunc mundum uenturo, & postquàm Christus aduenit ac ascendit in cœlum, confirmauit publicè in terris prædicationem Euangelij de Christo uarijs donis ac miraculis: Priuatim uero, quod externa concione Euangelij prædicatur, hoc facit ipse efficax in cordibus piorum, ut ex Euangelio regenerentur & fiant noui homines ac consequantur æternam fœlicitatem. His pauciſsimis de una diuina essentia & tribus distinctis personis in essentiæ unitate, nunc contenti erimus: nam perfecta cognitio diuinæ naturæ pertinet ad futurum seculum. Percurramus autem deinceps hodiernum Euangelium, ut discamus quomodo homines per spiritum sanctum regenerentur ac fiant noui homines.

Regeneratio. Nicodemus enim uir erat doctiſsimus in Lege, is nimirum, qui & si timebat Iudæos, nec audebat palàm confiteri Christũ, tamen in Paſsione reuelat seipsum unà cum Ioseph, ac confert operam suam ad sepeliendum Christum. Hic ergo Nicodemus uenit ad Christũ noctu, auditurus ab ipso quid agere debeat, ut intret in regnum Dei, & cõsequatur cœleste gaudium. Vetus hæc est quæstio, sed nehementer admirandum, q

Nicodemus

Nicodemus fuerat tot annis doctor legis, & tamen nõdum sciuerit uiam quæ ducit ad regnum Dei. Hoc autem inde adeo accidit, quòd absq; cognitione Christi nunquam potest aliquid certi de regno Dei & cœlesti uita cognosci. Pharisæi Iudæorum, quia nõ nisi legem tractarunt, nunquàm potuerunt peruenire ad cognitionem uiæ illius, quæ ducit ad ueram uitã. Philosophi gentium semper studuerunt, nunquàm tamen potuerunt assequi ueram uiam ad fœlicitatẽ, quia non habuerunt Christum. Hypocritæ & Monachi excogitârunt aliud opus post aliud, sed quia nõ rectè cognouerunt Christum, non potuerunt etiam inuenire uiam ad cœlum. Quare Nicodemus rectissimè facit, quòd cogniturus ueram salutis uiam ad Christum accedat. Quid ergo respondet Christus? Amen, inquit, amen dico tibi, nisi quis denuo natus fuerit, non potest uidere regnum Dei, hoc est, necesse habes iterum renasci ac fieri nouus homo: uetus homo inutilis est, nouum hominem oportet te induere. Hoc autem non intelligit Nicodemus, quare Christus explicat ei magis perspicuè: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in Regnum Dei. Hoc est, Tu nunc es Iudæus & circumcisus, ac doces tantum literam Legis seu Decalogum. Si ergo uolueris intrare in regnum Dei, necesse habes fieri Christianus, & nasci ex aqua & spiritu, hoc est, suscipere Baptismum, & audire concio-

nem Euangelij. Per aquam enim intelligitur Baptismus, & per spiritum concio spiritualis Euangelij. Sed quamobrem necesse habemus noui homines fieri ac renasci ex aqua & spiritu? Sequitur: Quia quod est ex carne, caro est, Quod autem est ex spiritu, spiritus est. Vnumquodq; sequitur naturam eius ex quo fit. Vetus homo est caro, priuatus est propter peccatum spiritu sancto, non habet nisi carnales affectus, & obnoxius est non solum omnibus cupiditatibus peccati, sed etiam perpetuæ damnationi. Qui ergo ex homine natus est, & adhuc uetus est homo, is etiam est caro, hoc est, totus perditus & damnatus. Lex item Mosi est caro, & quantum attinet ad literam, docet externam tantum & carnalem iusticiam, quæ non potest constare in iudicio Dei. Qui ergo est ex carne, qui non nouit nisi legem Mosi iuxta literam, is est caro, non habet ueram iusticiam, nec constat in iudicio Dei. Quod autem est ex spiritu, spiritus est. Spiritus est prædicatio Euangelij de Christo, hæc prædicatio affert ueram, perfectam & spiritualem iusticiam. Ergo qui renatus est ex Euangelio, is est et spiritus, hoc est, habet iusticiã ueram & spiritualem in Christo Iesu. Hæc regeneratio non uidetur quidem sicut carnalis generatio, attamen reipsa sentitur. Nam quemadmodum spiritus seu uentus ille externus flat ubicunq; lubet, & audis quidem susurrũ eius, sed non uides eum externis pe-

Caro quid.

Spũs quid.

dibus

dibus ambulantem: ita & accidere solet cum regene ratione spirituali: hæc. n. in quouis regenerato per= cipitur quidem notis quibusdam, sed non uidetur ex trinsecus sicut generatio corporalis. Euangelion. n. auditur quidem et uox eius percipitur, sed homo ex auditu Euangelij non mutatur iuxta externam for mam: homo non fit longior, non pulchrior, non iuni or, non uenustior. Conscientia tantum eius mutatur & mores eius. Cæterùm postq̃ Nicodemus ne sic qui dem doctrinã Christi intelligat, increpatur quidem à Christo imperitiæ, eruditur tamen manifestius in doctrina pietatis, ac docet eum Christus ualde per= spicuè absq; inuolucris, quomodo homines possint peruenire in cœlum, (hoc enim quærebat Nicode= mus) Nemo, inquiens, ascendit in cœlũ nisi qui descẽ dit etc. Tu Nicodeme quæris quomodo peruenias in cœlum seu regnum Dei. Audi ergo omnẽ rei ueritа= tem: Vnus tantum est qui possit in cœlum uenire, ui= delicet, filius Dei qui descendit. Nullus alius hominũ potest sua uel uirtute uel industria uel iusticia intra re in cœlum, solus Christus filius Dei qui est in cœlo, intrat etiam in cœlum. Ergo ne omnes alij homines sunt dãnati? Rectè dicis, si loqueris de hominis iusti= cia & uirtute: nã quantum ad hæc attinet, nullus ho minum potest sua iusticia ad cœlum peruenire. Sed Christus & si solus ascendit in cœlũ, non tamen ascẽ dit mutilatus, sed totus. Quid aũt est totus Christus? Quomodo peruenia= mus in cœlũ

Nõ est persona illa tantum (quantum quidem ad nostrum propositũ attinet) quæ ambulauit in Galilæa & Iudæa, sed est totum illud Ecclesiæ corpus, cuius ipse caput est: nam ut non frueretur sola sua persona cœlesti regno, uoluit exaltari, sicut Mose exaltauit serpentẽ in deserto, ut omnis qui credit in ipsum fiat mẽbrum corporis eius, ac per hoc fiat particeps omniũ bonorum eius, ut & is in ipso intret in cœlũ. Habes igitur ex hodierno Euangelio quòd ad consequendam fœlicitatem & intrandum in regnum Dei non sufficit honestum esse hominem iuxta legem, sed necessarium est, ut quis regeneretur ex baptismo et auditu Euãgelij, ac nouus fiat homo, uidelicet, ut incorporetur Christo, qui solus ascendit in cœlum, quo & cum ipso in cœlum ascendat, ac perpetuam consequatur beatitudinẽ in eodem Christo Iesu Domino nostro, &c. Amen.

DE S. TRINITATE, HABITA concio, anno 1548.

Dicendum est hodierna die de Trinitate. Etsi autẽ hoc est incommodum nomen, ac rectius diceretur dreyeinigkeyt, quãquã nec hoc sit ualde aptum, tamen quia meliori nomine caremus, utendum nobis est usitato: nã hoc nomine significatur unum tantũ esse Deum, tres aũt esse

esse in diuinitate personas. Ac necessarium est, ut de hac re Ecclesia rectè erudiatur, ne impietati uel Iudæorum et Turcarũ, uel Ethnicorum consentiamus: Iudæi.n. et Turcæ sentiunt in unitate diuinæ naturæ unam tantum personam esse: neq; n. credunt filiũ & spiritũ sanctum esse personas diuinitatis. Ethnici aũt senserunt non unum tantum esse Deũ, sed multos ac innumeros. Solus Christianismus rectè sentit de Deo, uidelicet, q; unus tantum sit Deus, una tantum diuina essentia. In hac uero unitate sint tres personæ, Pater, filius, & spiritus sanctus. De qua re pauca nobis dicenda sunt, idq; iuxta sacram scripturam, quando non agitur de asini, quod aiũt, prospectu, sed de summo fidei nostræ articulo. Ac initio firma fide tenendum est, q; sit unus tantum Deus, uel q; sit una tantũ simplicissima & æterna diuinitas. Deut. 6. Audi Isra el, Dominus Deus noster Dominus unus est, quẽ & diliges ex toto corde etc. Quæ uerba seuerissime cõmendantur. Erunt uerba hæc in corde tuo, narrabis ea filijs, meditaberis sedens in domo, ambulans in itinere, dormiẽs atq; cõsurgens. Ligabis quasi signũ in manu tua, mouebuntur inter oculos tuos, scribes in limine & ostijs domus tuæ, & uide ne obliuiscaris cùm saturatus fueris. Deut. 32. Videto q; ego sim solus, & nõ est alius præter me. Esa. 44. Hæc dicit Dominus rex Israel, & redẽptor eius Dominus exercituũ, Ego sum primus et nouissimus, et præter me nõ

Vnum esse Deum.

est Deus. 1. Cor. 8. Scimus q; nihil est idolum in mũdo, et q; nullus est alius Deus nisi unus etc. Habes manifesta testimonia q; sit una tantum diuina essentia. Non est aũt una tantũ persona, sed scriptura sacra proponit nobis in hac una diuina natura seu essentia tres personas, uidelicet, Patrẽ, filium, & spiritũ sanctũ, quod & si notum fuit pijs in ueteri testamento, tamẽ in nouo clarius est reuelatum. In baptismo, cùm Christus à Ioanne baptisatur, manifestè proponuntur nobis tres personæ. Mat. 3. auditur uox Patris de cœlo, Filius baptisatur, spiritus sanctus ostendit sese in specie columbæ. Et Matt. ultimo, iubet Christus apostolos baptisare in nomine patris, et filij, et spiritus sancti. Hìc non solum enumerãtur personæ, uerumetiã tribuitur eis æqualis maiestas saluandi. Etsi autem facilè uidetur uulgo dici, tres esse personas unius diuinitatis, tamen si cõsideretur quid sit persona, nullus est humanus intellectus in hac terra, qui possit hoc mysterium capere. Persona. n. est substantia intelligens, indiuidua & incõmunicabilis, sicut tres homines, Petrum, Ioannẽ, & Iacobũ dicimus esse tres personas per se subsistẽtes. Sic etiã uulgo loqui solemus, Wie vil Personen mögẽ ob dẽ Tisch sitzen/wie vil Personen hastu geladen/ꝛc. Ac inter hoïes quidẽ, ut tres pſonæ sunt distinctæ, ita etiã sunt tria entia, seu tres hoïes, quorũ unusquisq; propriã habet essentiã. In diuinitate aũt sunt quidẽ tres

Tres diuinitatis esse personas.

Habent personæ distinctas proprietates. Alia est ingenita, alia est genita, & assumpsit hominẽ. Alia procedit ab utroq;, quod nec patri nec Filio cõpetit.

tres personæ, non autem sunt tres diij, sed tantũ unus Deus, & una tantum diuina essentia. Hoc est mirabile in oculis nostris, & nulli humano captui comprehensibile. Quare contenti debemus esse testimonijs scripturæ, & huius mysterij intelligentiam reijcere in futuram uitam, interea autem hoc mysterium fide complecti. Dices autem: Si hoc mysterium nõ potest à nobis intelligi, cur est proditũ in scriptura, præsertim cùm uideatur dedisse occasionẽ tot erroribus et hæresibus: neq; enim ulla res est, de qua maior semper extiterit cõtentio inter hoĩes in terris, quàm de Deo, dum alij contendunt, unum tantũ esse Deum, et unam personã, alij plures deos, & plures personas? Nonne melius fuisset unum tantum Deum docere, ac interea de personis tacere, usq; in futurum seculum? Negari nõ potest, quin multæ horribiles hæreses extiterint de Triade, sed propter impiorũ abusum nõ debuit taceri ueritas. Ac sunt causæ, propter quas spiritus sanctus iudicauit nęcessarium, ut reuelaretur nõ solum doctrina de Vnitate Dei, sed etiam doctrina de tribus personis. Prima est, ut rectè intelligatur creatio. Manifestum enim est ex scriptura, q; Deus creauerit omnia in cœlo et in terra. Sed quomodo? Hìc necessaria est cognitio triũ personarũ in diuinitate. Pater enim creauit per uerbũ suũ, quod est Filius. Et spiritus sanctus obsignauit seu cõfirmauit, quod per Filiũ à patre creabatur. Sic Moses sta-

Doctrina Trinitatis cur sit necessaria.

tim in principio Geneseos concionatur: In principio creauit Deus cœlum et terram. Quomodo sequitur. Deus dixit, fiat lux. Audis Deum creare per uerbũ. Et additur: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et in Psal. 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Vides ad intelligendam aliquo modo creationẽ, necessariam fuisse reuelationem trium personarum. Secũda causa est, ut recte intelligamus recreationem seu redemptionẽ nostram. Manifestum enim est, q. Deus redimat nos ab omnibus malis, & tribuat nobis æternam uitam, sed quomodo? Pater mittit filium suum in hunc mundũ, Filius assumit hominem & oẽs humanas imbecillitates, & expiat peccata hominum sua morte, ac resurgit iterum à morte, ut homines à morte liberet. Spũs sanctus autem, seu legatus ab utroq; patre & filio, obsignat & confirmat quod Filius peregit, quia affert admiranda dona discipulis, ut diuulgetur Euãgelium in uniuersum orbem terræ. Vides ergo q. ad cognoscendum modum Redẽptionis nostræ necessaria sit cognitio trium personarum etc. Tertia causa est, ut cognoscamus quomodo uerè Deũ inuocemus. Manifestum enim est, q. solus sit Deus inuocandus, nõ homines, seu uiui seu mortui. Sed quomodo inuocandus est Deus, ut uerè & rectè inuocetur? nam & Iudæi, & Mahumetistæ, & Hypocritæ, uolunt uideri se inuocare Deum, non aũt inuocant eum uerè. Quomodo

do ergo uerè inuocabitur? Hîc necessaria est cognitio trium personarum. Pater enim inuocãdus est, sed per quid? aut cuius merito? Per filium, et propter filium. Et quid à patre per filium petendum? Spiritus sanctus, seu dona spiritus sancti. Vnaquæuis quidem persona seorsim inuocari potest, sed hic est proprius ordo inuocationis, ut inuocetur pater per filium, ut det spiritum sanctũ. Ioan. 15. Quicquid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis. Et Luc. 11. Pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum petentibus se. Quid ergo dicemus? Num nõ licebit patrem inuocare per filiũ, ut det nobis necessaria uitæ corporalis, sed tantum ut det nobis spiritũ sanctum? Primum loquimur hîc de bonis æternæ salutis, ad quæ nobis necessaria sunt dona spiritus sancti. Deinde licebit quidem petere corporalia, ut in oratiõe Dominica, Panem nostrum etc. attamen ea corporalia aut non impetrantur, si cares spiritu sancto: aut si impetrãtur, non frueris sine spiritu sancto. Nam cum dicimus pẽtendum esse à patre spiritum sanctum per filium, intelligimus spiritũ adoptionis, ex quo clamamus, Abba Pater. Rom. 8. & Galat. 4. Quo spiritu si caruerimus, non possumus rectè orare: si aũt eum habuerimus, nihil nobis nec spiritualium nec corporaliũ rerum deerit. Habes de trinitate pauca, sed necessaria. Deus ergo uelit nobis dare spiritũ suum sanctũ propter filiũ, ut in perpetuum cũ ipso seruemur, Amẽ.



HOmo q̃dã erat diues, & indu
ebaꝫ purpura et byſſo, et epu
labatur q̃tidie ſplẽdide. Et e-
rat q̃dam mẽdicus, noĩe Lazarus,
q̃ iacebat ad ianuã eius, ulcerib. ple
nus, cupiens ſaturari de micis, q̃ ca
debãt de mẽſa diuitis, & nemo illi
dabat. Sed & canes ueniebant, & li
gebant ulcera eius. Factũ eſt aũt, ut

more-

moreretur mẽdicus, & portaretur ab angelis ĩ sinũ Abrahę. Mortuus est aũt et diues, et sepultus est. Et ĩ inferno eleuãs oculos suos, cũ esset intormẽtis, uidit Abrahã à lõge, et Lazarũ ĩ sinu eius, et ipse clamans, dixit: Pater Abrahã, miserere mei, et mitte Lazarũ, ut intĩgat extremũ digiti sui ĩ aquã, & refrigeret lĩguã meã, qa crucior in hac flãma. Et dixit illi Abrahã: Fili, recordare, qa recepisti bona tua in uita tua, & Lazarus similiter mala. Nũc autẽ hic cõsolatur, tu uero cruciaris. Et sup hæc oĩa inter nos & uos chaos magnũ firmatũ est, ut hi q uolũt hinc trãsire ad uos, nõ possit, neqꝫ inde huc trãsmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, ut mittas eũ in domũ patris mei. Habeo. n. quinqꝫ fratres, ut testificetur illis, ne et ipsi ueniãt ĩ hũc

locũ tormẽtorũ. Et ait illi Abrahã: Habẽt Mosen et prophetas, audiãt illos. At ille dixit: Nõ pater Abrahã, sed si qs ex mortuis ierit ad eos pœnitẽtiã agẽt. Ait aũt illi: Si Mosen et Prophetas nõ audiũt, neq; si qs ex mortuis resurrexerit, credẽt.

HOMILIA PRIMA, HABITA ANNO 1537.

IN Euãgelio quod recitauimus, proponitur parabola de diuite, qui miserũ Lazarũ tãto contemptu fastidiebat, ut nec micas mensæ suæ daret ei. Nunquàm autem existimabo hunc hominem tam diuitem opũ fuisse, quàm dives bonæ et piæ doctrinæ est hæc Euangelij pericope. Ac multum temporis insumeretur, si omnia in eo comprehensa singulatim ac tantum breuiter perstringerem. Cùm igitur non nisi paucum dicendi tempus nobis relinquatur, percurram præcipua dũtaxat capita, & quæ maximè omniũ ad pietatis institutionem facere uidentur. In hoc ergo Euãgelio docemur, primùm, quæ sit conditio humanæ fortunæ in hoc seculo. Deinde, quis sit hominũ qui è uita excesserũt status in futuro seculo. Postremò, quos debeamus nos uentes

uentes pro præceptoribus ad consequendam fœlicitatem agnoscere. Breue apparet Euangelion, sed cõplectitur ferè totam summam fidei nostræ, et propemodum omnia quæ nobis ad salutem cognitu necessaria sunt. Ac principio hæc est humanarũ rerũ fortuna in hoc seculo, q̃ generaliter bonis malè, malis autem benè eueniat. Dixi generaliter: fieri enim solet, quòd etiam bonis bona, & malis mala accidant, hoc autem rarò admodum cõtingit, & inter centum bonos uix unus aut alter fœliciter in hoc seculo uiuit: Stat igitur adhuc firma generalis sententia, q̃ bonis mala, & malis bona accidant, iuxta Prouerbium: Quo peior, eo fortunatior. Demõstrat autem Christus hanc humanarum rerum fortunam exẽplo diuitis & Lazari. Homo enim ille dives erat uir impius tam erga Deum quàm erga proximum. Ex uerbis eius, quibus apud Abrahamum pro fratribus suis intercedit, facilè intelligetur, q̃ in hoc seculo nullam adhibuerit fidem concionibus de futuro supplicio: Non credidit ignem inferni tam calidum quàm fingitur, nec Satanam tam horribilem quàm pingitur. Posuit spem suam in bona huius seculi, & libenter reliquisset Deo suũ cœlũ, modo ipse retinuisset suas uoluptates corporales. Nec habuit charitatem proximi: Lazaro homini miserrimo nec micas quæ de mẽsa sua cadebant, concessit, maluit eas perire, aut à canibus colligi, q̃ ut homo calamitosissimus ijs frueretur.

Conditio humanæ fortunæ in hoc seculo.

tur. Proinde etiamsi apparuerit coram mundo honestus, fuit tamen coram Deo impiissimus. In tanta aũt impietate omnem habet fœlicitatem huius seculi, magnas possidet diuitias, perpetuã habet sanitatem corporis: induitur quotidie purpura & byssо: habetur ab omnibus honestissimus, epulatur quotidie splẽdidè, adeoq; nihil ei deerat ad tranquillitatem & fœlicitatem huius seculi. Ex altera autẽ parte Lazarus est pius, id quod animaduertitur ex patientia, non execratur in miseria sua nec Deum nec diuitem, non deuouet sese diris, et postremò consequitur fœlicitatem æternam, quam nemo potest consequi sine fide & pietate. Relinquitur ergo Lazarum fuisse piissimum uirum, attamen habuit omnia genera infœlicitatis in hoc seculo: primum fuit ulcerosus, quod est ipsum per se graue: deinde fuit tam pauper, ut nec domum nec lectum habuerit, sed iacuerit in plateis ante ædes diuitis: adhæc tam indigus & esuriens, ut nec micas de mensa cadentes consequi potuerit. Postremò tam contemptus ab hominibus, ut canes tantum modo cõiunxerint sese ei, et ulcera linxerint. Quid hoc homine miserius dici potest? Non potuisset, nec miserior, nec pauperior, ne cogitari quidẽ. Hi sunt mirabiles rerũ humanarum cursus. Ac homines ualde offenduntur hac rerum iniquitate, ita ut dubitẽt num sit Deus, aut si sit, nũ curet res humanas: et fortunati quidem blandiuntur sibi in iniustitia sua, quia

cum

cùm habeant prosperam fortunam in iniusticia, putant eam esse iusticiã ac Deo placere. Infortunati autem desperant in sua iusticia quam sectantur: existimant enim se iniquè agere, ac Deo displicere suũ uitæ genus, q; afficiantur aduersis, & hoc offendiculũ tam ingens est, ut nonnunquã etiã pij hoc iniquo rerum cursu turbẽtur. Psal. 72. Mei penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum uidens. Hierem. 12. Iustus es Domine, Verũtamẽ iusta loquar ad te: quare uia impiorum prosperatur? bene est omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt. Et Abacuc. 1. Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se? Quid ergo ad hæc dicemus? quid aliud dicere mus, quàm si iuxta externam rerum faciem iudicemus hanc fortunam & cursum esse iniquißimum: ac deberet planè inuersus esse, uidelicet q; bonis benè, & malis malè omnia euenirent in hoc seculo. Deus enim omnia benè et rectè creauit. Adhæc promulgauit & instituit per Mosen, seu uerbum suũ, optimã & iustißimã ordinationem: Deut. 28 Si audieris uocem Domini Dei tui, benedictus eris in ciuitate etc. Si non audieris, maledictus eris in ciuitate, in agro, &c. Et hæc ordinatio Dei sæpenumero in scriptura repetita est. Psal. 36. Iniusti punientur & semen impiorum peribit, Iusti autem hæreditabunt terrã, et inhabitabũt in seculum seculi in ea. Atq; hæc quidem

est ordinatio diuinitus instituta & confirmata, sed postquàm homo peccauit, factus est satã princeps, ac ut Paulus ait, Deus huius seculi propter peccatũ. Is ergo prorsus inuertit bonam Dei ordinationem in hoc seculo, & efficit ut bonis malè, et malis benè oĩa eueniãt, quo illos infortunio ad impietatẽ impellat, hos autẽ fælici fortuna in impietate detineat. Cur autẽ (inquis) Deus tolerat, q; Satan tantã turbam excitet in mundo, & inuertat bonam eius ordinationẽ? Nonne est omnipotens, & posset uno nutu satanam non solum opprimere, uerumetiam penitus delere? Fateor, omnipotens est, et potest oĩa in satanam, sed quare hac in parte cõniueat ad licentiam satanæ, & permittat eum turbare optimas suas ordinationes, multas habet easq; iustissimas causas. Nam q; permittat ut impijs bene sit, nõ fit q; approbet impietatem. Prĩcipio fit ob hãc causam, ut declaret se habere uirtutẽ patientiæ et longanimitatis. Est enim patientia & longanimitas magna uirtus. In Deo aũt oĩs uirtutes summæ & maximæ sunt, quare oportet in ipso etiam uirtutem patientiæ & longanimitatis esse. Deinde etiam ut impij habeant spacium pœnitẽtiæ: nam si cõtinuò post peccatum puniret eos extremo supplicio, nullum relinqueretur eis spaciũ resipiscẽdi. Rom. 2. Patientia Dei inuitat te ad pœnitentiam. Postremò permittit impijs fælicitatẽ in hoc seculo, ut si nõ resipiscant, habeat iustiorẽ causam grauissimã

Patientiæ diuinæ ratio.

mè puniendi eos. Psal. 72. Deiecisti eos dũ alleuarentur. Et Hiere. 12. Congregas eos quasi gregem ad uictimam, & sanctificas eos ad occisionem. Quòd aũt permittit ut pij habeant infœlicitatẽ in hoc seculo, non fit q, odio habeat pios, et improbet pietatem eorum, sed primùm ideo fit, ut fides piorũ exerceatur de promißionibus Dei, & probentur, num uerè credant Euãgelio. Exemplum habes in Hiob. Deinde ut pij per afflictiones cõtineantur in officio, ne peccẽt arrogantia. 2. Corint. 12. Ne excellentia reuelationũ supra modum efferrer, datus mihi fuit stimulus per carnem, nuncius satanæ. Postremò ut manifesto argumento ostẽderet alium esse mundum, in quo pijs oĩa fœliciter euentura sint. Cùm enim sint in hoc seculo infœlices, et tamen uerbum Dei uerax est, quod promisit fœlicitatẽ pijs, necessariò sequitur aliud esse seculum, in quo uerbũ Dei reipsa impleatur. Hæ sunt iustißimæ causæ, propter quas Deus cõniuet ad licẽtiam satanæ, qua turbatur æquißima ordinatio Dei. Et hæc est fortuna rerum humanarum in hoc seculo.

Secundò, docet Christus quis sit status hominũ in futuro seculo, ac primum docet, q, etsi corpus sepelia tur & putrescat, anima tamẽ hominis uiuat interea in alio seculo coram Deo, nec intereat unà cũ corpore usq; ad resurrectionem, ut quidã imaginantur. Vnde aũt hoc sciemus? Certè è scriptura discendum est. Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, Hominum status in futuro seculo.

animam aũt non possunt occidere. Et Christus ad latronem ait: Hodie mecum eris in Paradiso: corpus erat in sepulcro, attamẽ dicitur esse in Paradiso. Ergo secundum animã est in paradiso. Item: Stephanus iã moriturus ait: Domine Iesu, suscipe spiritum meum: sensit igitur, spiritum etiam separatum à corpore ad huc uiuere. Et Paulus Philip. 1. Cupio dissolui & esse cum Christo. Ergo anima post mortem uiuit, Non uiuit quidem corporali modo, sed spirituali modo, qui est Deo nostro cognitus. Deinde in altero seculo cursus huius seculi inuertitur, & pij tãtum fœlices sunt, impij aũt tantum infœlices sunt: pij non tantum separabuntur ab impijs in futura resurrectione, sed etiã separantur interea temporis, dum resurrectio nondum aduenit. Pij quidem in sinum Abrahæ, qui certè non est corporalis locus: Alterum enim seculum nõ distinctum est locis sicut hoc externum seculum, sed est Paradisus, sicut dicitur ad latronem, adeoq; ipse Christus, qui descendit de semine Abrahæ, sicut Stephanus ait: Domine Iesu suscipe spiritum meum. Et Paulus: Cupio dissolui & esse cum Christo. Impij aũt in infernum. Et hi usq; adeo separantur, ut alteri ad alteros nõ possint peruenire. hoc est, in futuro seculo nec pij possunt amplius dãnari, nec impij possunt amplius saluari. In hoc ergo seculo prouidendũ est, ut resipiscamus & salutem consequamur. Postremò cùm Christus facit diuitem colloquentem cum Abrahamo,

hamo, significat impios in altero seculo non tantum sibi, sed etiã alijs optare liberationem: sed nihil quã tum ad ipsorum optionem attinet, consequuntur: ne cesse habent & ipsi in perpetua damnatione manere, & alios superstites non possunt iuuare. Tertiò et ad extremum docet, quid nobis superstitibus faciendum sit, ut effugiamus æternam dãnationem. Quid ergo faciendum est? num uiuendum pro libidine? Sed si ita uixerimus eandem pœnã cum diuite consequemur. Nũ expectabimus donec quisquam è morte resuscitetur, & adnũciet nobis quid facere debeamus? De hac re audiamus Abrahamum. Dicit enim diues, mitte Lazarum ad fratres, Abraham autẽ remittit fratres ad Mosen et Prophetas: si hos non audierint, nec mortuum audient. Esaiæ 8. Ad legem magis et ad testimonium. Nam scriptura in tantũ cõfirmata est, ut non indigeamus mortuorum concione, nec etiam angelorum. Si enim mortuus resurgeret, uel angelus appareret, aut prædicaret scripturam, & nihil noui afferret: aut prædicaret contra scripturam, & tunc non esset audiendus. Galat. 1. Et tamen Deus remisit nobis unum ex mortuis, filium suum, sed is nihil noui docuit post resurrectionem, docuit tantum scripturas. Scriptura autẽ iubet nos agnoscere peccata, & credere in Christũ, et ex fide obedire Deo, ac promittit fœlicitatem. Hæc in summa faciendæ sunt per Christum Dominum nostrum, Amen.

Aeterna damnatio quomodo effugienda.

ALIA HOMILIA, HABITA anno 1542.



Ptimè meretur hodiernum Euangelium, ut ad cognoscendũ ipsum dili gens studiũ ponamus, Nã cùm proponat nobis parabolã de diuite epulone et paupere Lazaro, admonet nos, quid uerè sentiẽdũ sit de diuitijs & paupertate, de prospera et aduersa ualetudine, deq; gloria et ignominia in hoc seculo. Hæc. n. sunt, quibus homines in hoc mundo occupati sunt, & de quibus uariæ adeoq; diuersissimæ hominum sentẽtiæ existũt. Cùm igitur hodiernũ Euangeliõ haud obscurè significet, quid de his uerè sentiendum sit, dignum est q, studio se pertractetur. Homo quidã erat (inquit) diues, qui induebatur purpura etc. Primùm omniũ describitur hic homo, quòd fuerit diues, sanus & honestus. Hæc sunt iucũdissima et exoptatissima huius seculi bona. Et tamen additur quòd sit mortuus, id quod uulgare adeoq; tolerabile est: sed hoc est horribile, q, coniectus sit in tartarum, in quo ita excruciatur, ut saltẽ aquæ guttulam petat, nec possit consequi, ac necesse habeat perpetuas sustinere flammas. Videamus ergo quid cõmiserit diues, sanus, et honestus homo, quòd ad tantam eamq; sempiternam pœnam peruenerit: nunquid nõ potuerũt ipsum seruare diuitiæ ab interitu: Et num diuitiæ tantum malum sunt, ut coniecerint

rint eũ in perditionem? Hìc nobis uera diuitiarũ ratio explicanda erit, idq; breuibus, quantũ ad hoc nostrũ propositũ satis est. Etenim ut in alijs rebus, ita nec in cognoscenda ratione diuitiarũ regia uia incedere solemus. Alij enim putant, diuitias huius mundi esse solam & summã felicitatẽ, itaq; ad diuitias cõsequendas contendunt per tela, per ignes, per iusticiã & iniusticiam, quoquomodo possunt. Hi malunt paucas diuitias, quàm magnum cœlum Domini Dei nostri, adeoq; habẽt diuitias pro Deo suo, cui nocte dieq; seruiunt: hoc certè est nimiũ tribuere diuitijs. At hæc sententia de diuitijs uanissima est. Prouer. 11. Diuitiæ non proderũt in die ultionis. Exemplum est hodiernus diues, quem non potuerunt diuitiæ seruare à perpetuo interitu. Et Lu. 12. Diuitiæ non potuerunt diuitem à morte uindicare &c. Alij sentiunt de diuitijs, q; sint omnino damnandæ, & q; nemo possit uel paucas diuitias retinere, ac salutẽ consequi, unde docuerunt esse perfectionẽ Christianã relinquere diuitias, & abusi sunt illo dicto Christi: Si uis perfectus esse, uade & uende omnia &c. Extat & fabula de Eremitis, q; cum inuenissent centum solidos apud eũ fratrem, quem sepulturæ traditurí erant, exeçrati sint ipsum, & defoderint cum ipso numos: pecunia, inquientes, tua sit tecum in perditionem. Quo significarunt, nemmem posse diuitias uel minimas habere & salutem consequi. Sed hoc est minus de diuitijs sentire quàm conueniat. Sicut enim sanitas & Diuitiarum ratio.

proceritas corporis, ita & diuitiæ sunt dona Dei, & bona eius creatura, et quod Christus ad adolescentẽ dicit: Vade & uende omnia, personale est nõ generale. Nam de diuitijs ita sentiendum est, q, nec debeant haberi pro summa fœlicitate, nec pro damnatione, sed q, iuxta uoluntatẽ Dei & habendæ & relinquendæ sint. Si Deus eas dederit, ambulandum est in ipsis iustè: si abstulerit, aut iusserit eas relinquere, obsequendum est uocationi Dei. Tunc autem iubet eas relinquere, cùm non potes retinere eas nisi cum iniustitia & impietate. Si autem hæc est diuitiarum ratio, quid est (inquies) quòd hodiernus diues conijcitur in tartarum, et perpetuò damnatur? Non certè furatus est, non latrocinatus est, tamẽ torquetur æterno supplicio. Quid ergo fecit? In fine parabolæ prodit suã impietatem: non enim damnatur propter diuitias, sed propter contemptum Dei & proximi. Nam cùm rogat Abrahamum, ut mittat Lazarum in domũ patris sui, & testetur fratribus quanta sint impiorum supplicia in futuro seculo, manifestè significat, se cũ adhuc uiueret fuisse contemptorem uerbi Dei: sic uixit ut nullam habuerit rationẽ futuri seculi: quæ ex uerbo Dei prædicata fuerunt, ea iudicauit esse commenta sacrificulorum. Non pater Abraham (inquit) sed si quis ex mortuis ierit ad eos resipiscẽt. Hoc est: qui uiuentes concionantur Mosen & Prophetas, nõ sunt angeli, sed miseri sacrificuli. Et uix tantum habent

bent facultatum, ut possint canem è fornace euocare, quemadmodũ uulgo dici solet. Cùm igitur sint homines tam contemptibiles & uiles, contemnunt & fastidiunt eos fratres mei præ diuitijs suis, sicut & ego contempsi eos, nec iudicaui eos dignos quibus fidem adhiberem: resipiscerent aũt si quendã ex mortuis audirent. Vides nunc quid defuerit huic diuitiũ fuit epicureus, fuit contemptor uerbi Dei, audiuit quidem publicas conciones, ut non iudicaretur prorsus ἀθεος, sed risit eas, et contempsit tam concionatores quàm conciones in corde suo. Hæc est maxima omnium impietas & prævaricatio in totam priorẽ tabulam Decalogi. Deus enim dedit nobis sacrã scripturam, & confirmauit eam maximis miraculis, ac instituit ut explicetur in Ecclesia & prædicetur, nõ excitat autem mortuos, qui nobis pro publica concione explicent scripturam, non excitat angelos qui nobis concionentur, sed homines nostri similes, nobis coëtaneos, aliquoties abiectiores, & contemptiores quàm nos simus. Quare si his prædicantibus uerbum Dei nõ adhibemus fidem, certè nec mortuis nec angelis crederemus. Deinde fuit contemptor proximi, nec affectus est aliena calamitate, id quod patet in Lazaro, quẽ ob oculos positũ ita neglexit, ut nec micas curauerit ei dari. Nec sentiẽdum est, quòd nullas dederit eleemosynas: hoc enim hominũ genus solet publicè eleemosynas suas exponere, ut uideãtur

t

pijßimi, sed q̃ nullam habuerit ueram rationem alienæ calamitatis: quod dedit, nõ dedit ex charitate, sed ex ambitione, itaq; quia nõ dilexit proximum ex animo, peccauit aduersus totam posteriorẽ tabulam decalogi, quare merito damnatus est. Habes diuitem coniectum in tartarum propter impietatem, ubi et perpetuò cruciatur. Ac tolerabile esset, si solus ipse sic perijsset, nunc autem hoc dolendum est, q̃ reliquerit multos hæredes suæ impietatis, & qui ut impietate, ita et supplicio eũ assectantur. Dicamus aũt nunc etiam de paupere Lazaro. Hic enim proponitur nobis pauper, ulcerosus & abiectus seu inglorius: hæ sunt extremæ infœlicitates in hoc seculo, et tamẽ additur, q̃ sit deportatus ab angelis in sinum Abrahæ, & q̃ tanta perfruatur fœlicitate, ut diues saltem guttulam aquæ ab ipso petat &c. Quid ergo fecit Lazarus quòd consecutus sit tantam fœlicitatẽ? Num consecutus est eam propter paupertatem & propter ulcera sua? Num paupertas tantum bonum est ut saluet homines? Vt suprà de diuitijs, ita nũc de paupertate dicendum est. Homines enim solent falsò de paupertate sentire. Alij sentiunt paupertatem tãtam esse sanctitatem, ut mereatur cœlestem hæreditatem. Vnde hypocritæ susceperunt etiam uotis suis paupertatem, & huc detorserunt illud dictũ Christi: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hoc est nimium de paupertate sentire,

Paupertatis ratio,

tire, & hæc opinio est impia, quia sola sanctitas nostra est Iesus Christus, qui ideo dicit pauperũ et afflictorum esse regnum cælorum, q. afflicti poßint petere consolationem ex Euãgelio, quod uocatur regnũ cælorum. Alij sentiunt paupertatem tantam esse miseriam, ut qui ea sit in hoc seculo grauatus, is etiã necesse habeat in futuro seculo perire. Hoc est minus sentire de paupertate quàm cõueniat. Nã paupertas à Deo est. Eccle. 11. Vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Et Prouer. 17. Qui despicit pauperẽ, exprobrat factori eius. Quare paupertas nõ est perditio, sed est à Deo proposita, ut quicquid in ea egeris siue benè siue malè recipias. Quid igitur dicemus de Lazaro? Si non est consecutus fœlicitatẽ propter paupertatem, quid egit? Hoc Christus ipse significat, cùm ait deportatum eum ab angelis in sinum Abrahæ. Hoc enim uerbo significat, q. Lazarus fuerit pius in paupertate: non fuit contemptor religionis sicut diues, sed credidit uerbo Dei de semine Abrahæ. Hæc fuit iusticia & sanctitas Lazari. Deinde habuit charitatem proximi: & si diues contemnebat eum, tamen non execrabatur ipsum. Discamus igitur ex hac parabola, primùm eijcere contemptũ uerbi Dei ex animo nostro in rerum fœlicitate, quia futurum est iudicium Dei. Deinde discamus in afflictione constare in fide et pietate, quia futura est liberatio Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum, &c.



HOmo quidam fecit cœnã magnã, & uocauit multos, & misit seruũ suum hora cœnæ, ut diceret inuitatis: Venite, qa iã parata sunt oĩa. Et cœperũt simul oẽs excusare se. Primus dixit ei, Villã emi, & necesse mihi est exire & uidere illã, Rogo te, habe me excusatũ. Et alter dixit: iuga boũ emi quĩque

que,& eo ad ꝓbandū illa.Rogo te habe me excusatū.Et alius dixit,V xorē duxi,& ideo uenire non possum. Et reuersus seruus nunciauit hęc dño suo. Tunc iratus paterfamilias,dixit seruo,Exi cito in plateas et uicos ciuitatis et paupes ac debiles,& claudos & cęcos introduc huc.Et ait seruus,Dñe factū est,ut imperasti,& adhuc locus est.Et ait Dñs seruo: Exi in uias & sepes,& compelle intrare,ut impleatur domus mea.Dico autem uobis,ꝙ nemo uirorū illorū qui uocati sunt, gustabit cœnam meam.

HOMILIA PRIMA HABITA anno 1537.

Vangelion quod recitauimus,si recte intelligitur, continet maximas utilitates:humiliat. n. superbos, incutit timorem securis & cessatoribus,humiles aũt ꝙ abiectos consolatur & uiuificat.Quid aũt his operibus utilius ac

etiã diuinius? Si uerò perperã intelligatur, maxima affert offendicula. In hoc.n. Euãgelio docetur, bonestos & iustos non admitti in cœnã regni cælorũ, peccatores aũt & sceleratos nõ tantũ uocari & admitti, uerumetiã cogi ad regnũ cælorum. Et huic multa similia in Euãgelio habẽtur. Dicit.n. Christus Mat. 9 Non ueni uocare iustos sed pctõres &c. Et ad Phariseos, qui certè erant uiri honestißimi dixit Mat. 21. Publicani et meretrices præcedũt uos in regnũ Dei. & 1. Timot. 1, Certus sermo q, Iesus Christus uenit in hunc mundum ut pctõres saluos faceret. Quod si malè intelligatur, nihil aliud efficit quàm impudẽtißimã et sceleratißimã uitã. Dicũt.n. si pctõres uocãtur ad cœlũ, et excludũtur honestißimi et iusti dabo operã potius peccatis, quàm honestati. Et si Christus expiauit pctã nostra, qd nocuerit etiãsi multũ peccauero, sunt.n. omnia pctã mea iamdudum expiata. Hæc & alia multa ab his audiuntur, qui nullam adhibẽt diligentiam, ut Euangelion rectè intelligant. Quare summa danda est opera, ut quod Christus in hoc Euangelio, & in alijs similibus locis docet, probè perciamus & rectè intelligamus. Summa aũt huius Euãgelij sic se habet: Christus fuit inuitatus à quodam Phariseo unà cũ alijs Phariseis, in quo cõuiuio cõcionabatur primùm de modestia, hospitalitate uidelicet, ut inuitentur pauperes & abiecti, & cùm hæc concionaretur in conuiuio, optauit quidam è conui-

uis,

uis, ut potius in cælo quàm in hac mẽsa panẽ ederet. Sic enim fieri solet, ut cùm contingit nobis aliqua uoluptas huius seculi, cõferamus eam cum uoluptate futuræ fælicitatis, & optemus ut ea nobis etiam contingat. Beatus, inquit ille, qui comedit panem in regno Dei. Ex hoc igitur dicto sumit Christus occasionem docẽdi, quòd hi qui maximè uidentur ad cælum & fælicitatem perpetuam pertinere, non assequantur illam: Qui uero abiecti & damnati reputentur, consequantur eam. Et dicit, in negocio regni cælorũ perinde accidere ut patrisfamilias, qui multos honestos uiros ad cœnã suã inuitauit: cùm uenisset aũt hora cœnæ uocauit inuitatos p seruũ, sed illi excusauerunt se: alius dicit se emisse uillã, alius iuga boũ, alius duxisse se uxorẽ. Quod cũ dominus cõperisset, iussit uocari in plateis pauperes, debiles, claudos. Et cùm adhuc locus uacuus esset, iussit etiã uocari eos qui iacent post sepes, ut sunt peregrini, milites et id genus alij. Itaq; factum est ut qui erant inuitati nõ percepe rint cœnã, qui autẽ non erant inuitati, & quibus nõ erat parata cœna, hi fruantur cœna. Sic etiã solet fieri in negocio regni cælorũ. Nam Dominus Deus est Paterfamilias, qui parauit magnam cœnam, hoc est, omnem fælicitatem in Christo Iesu per fidem, ac inuitauit primùm per promissiones in lege Iudæos sub lege uiuẽtes, ac honestam uitam degentes. Cùm autẽ uenisset hora prandij, cũ aduenisset Christus, tũc qui

uidebantur honestißimi, contemnebant Christũ, alij timebant suis facultatibus, alij timebãt suæ iusticiæ. Quare uocantur miseri, pauperes, & abiecti homines, qui existimantur nec Deo nec hominibus utiles, & hi agnoscunt Christum, & fruũtur cœna. Deinde uocantur peregrini, hoc est, gentes & manifesti peccatores, publicani, & meretrices, hi compelluntur, quia traduntur satanæ, & grauiter increpãtur propter manifesta scelera: quare si uolunt habere salutem, necesse habẽt, ut quodãmodo cõpellantur Christum agnoscere. Sic & inter gẽtes qui uidẽtur honesti, priuantur cœna: qui sunt abiectũ & inhonesti fruuntur cœna Euangelij. Hæc est parabolæ Christi applicatio. Nũc igitur manifestè uidemus, q, si quis hãc parabolã nõ rectè intelligat, magis propè offendatur quàm erudiatur. Quid. n. faciat? Si honesti et iusti priuantur cœna Euangelij, & inhonesti & peccatores fruũtur ea, quid reliquum erit, nisi ipse quoq; honestatem posthabeat, & des operã peccatis? Sed absit, ut hoc sentiamus. Primũ. n. honesti, & iusti excluduntur à cœna Euangelij seu regno cœlorũ, non propter honestatem uitæ et iusticiã, quia Deus instituit honesta uitæ genera, & ciuilem uitam. Emere & uẽdere sunt ordinationes legitimæ, ac per hoc diuinæ, & qui est Paterfamilias necesse habet his ordinationibus uti, quo & laboret & familiã conseruet. Prouer. 24. Præpara foris opus tuũ, & diligenter exer-

ce

ce agrum tuum. Et Prouer. 6. Vade ad formicã piger & cõsidera uias eius, & discę sapientiã, quæ cùm nõ habeat ducem nec præceptorem etc. Vides his dictis exigi diligentiam in Patrefamilias. Quòd igitur hi quorum fit mentio in Euangelio diligenter inuisant uillas & boues suos, ex officio facere uidentur: simi liter uxorẽ ducere honestum est, nam cõiugium est institutũ à Deo, & à Christo confirmatũ. Et dicit Mus, Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, & adhærebit uxori suæ: quare nec is reĳcitur à regno cœlorum, propterea quòd uxorẽ duxerit. Quid igitur causæ est quòd non gustabunt cœnam paratã?

De Honesti & iusti cur excludantur à Dei.

Hoc nimirũ fit propter appendices, quas honestis uitæ generibus, & iusticiæ suæ addunt. Alĳ. n. cùm peruenerint in honestum genus uitæ, & habent possessiones, & familiam, tunc apponunt cor suum, & existimant in eo uitæ genere fœlicitatem sitam esse, & quãquã uocẽtur ad obedientiã Dei, tamen recusant. Exemplum est adolescens in Matt. 19. ad quem dicebatur: Vade & uende omnia quæ habes: Hic erat honestissimus, & seruauerat extrinsecus mãdata Dei, sed immersus diuitĳs nolebat obsequi uocationi Dei. Sic illi qui cõmemorantur hoc loco, sunt uiri honesti, nec peccauerunt emptione & diligẽtia in suis negociationibus, sed peccauerunt inobedientia, q, cùm apposuissent cor facultatibus suis, nõ obedierunt uocationi Dei. Nam qui habent possessiones, sic debent

habere quasi non habeant, hoc est, debēt uti & in ijs Deo obsequi. Si aūt Deus aut mādatum Dei aliò uocauerit, tum obsequendum est diuino mandato. Psal. Diuitiæ si affluant nolite cor apponere. & 1. Cor. 7. Qui emunt sint tanquā nō ementes. Et ad Tim. Diuitibus huius seculi præcipe ne elato sint animo. Et qui ita se gerunt, hi etiā in medijs diuitijs et honestis generibus uitæ salutē cōsequuntur. Alij cùm habeāt iusta corā hoībus opera, reputant ea pro iusticia corā Deo, & pro expiatione peccatorum ac merito uitæ æternæ. Hæc opinio est impia, & propter hāc impietatē excluduntur illi à fructu cœnæ Euāgelicæ. Nā fatēda quidē sunt opera iusta, Primùm, quia Lex Dei exigit, et legi obediēdum est: deinde quia fides nō potest esse sine bonis operibus. Postremò, quia bonis operibus deo pro beneficijs gratiæ agēdæ sunt. Sed his bonis operibus nō addēdæ sunt impiæ opiniones, uidelicet q, expiēt peccata & mereantur uitā æternā, quia sunt imperfecta, habent multa in se uitia, et nō possunt constare in iudicio Dei, quantum attinet ad expiationem peccatorum: cōstant quidem, quòd sint aliqua ex parte bona, & q, sint fructus fidei, sed nō constant q, sint expiatio peccatorum. Quare qui bene agunt, et non reputant opera sua esse merita peccatorum remißionis, sed habēt Iesum Christum tantum pro expiatione suorum peccatorum, hi tantum abest ut excludātur à cœna, ut præ omnibus alijs admittantur.

mittantur. Deinde peregrini nõ inuitati, hoc est, gẽtes et publici peccatores admittuntur ad cœnam, et cõsequuntur regnũ cælorum nõ propter peccata et scelera, nã peccata aduersantur præceptis Dei: Et q uiolãt præcepta Dei, hi maledicuntur. Maledictus, inquit scriptura, omnis qui nõ permanet in uerbis legis huius. Et Deus odio habet peccata. Psal. 5. Non uolens Deus iniquitatẽ tu es. Ac punit peccatum in hoc seculo, ut declarauit diluuio, incendio Sodomæ et aliis, & in futuro seculo igni perpetuo. Quare peccatores non saluantur propter peccata, sed saluantur per resipiscẽtiam. Qui autem resipiscere uoluerint, debent primò agnoscere peccata, deinde credere in Christum, quòd is peccata expiauerit, Postremò ex fide iustè agere & Deo obsequi. Ergo cum peccatores saluantur, non saluantur quia peccauerunt, sed saluantur quia agnoscunt peccata, & credunt in Christum, & obsequuntur uocationi fidei. Vnde Christus ait: Non ueni uocare iustos, sed peccatores, ad quid? num ad manendum in peccatis, aut ad amplius peccandum? Nequaquàm, sed ad pœnitentiam. Et Christus passus est pro peccatis, ac satisfecit pro eis, non ut maneamus in peccatis, sed ut per fidem peccata in corpore nostro mortificẽtur. Romanorũ 6. Vetus noster homo cum Christo crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati, ut posthac nõ seruiamus peccato. Et Rom. 8. Debitores sumus non carni, ut

Peregrini qui sint.

Peccatores cur saluẽtur

secundum carnem uiuamus: nam si secundum carnẽ uixeritis moriemini. Sic Dauid peccator est, & peruenit ad regnũ cœlorum, nõ quia peccauit, sed quia à peccatis resipuit. Magdalena, Petrus, Paulus, peccatores fuerunt, & salui facti sunt, non quia peccauerunt: propter peccata enim damnamur, sed quia resipuerunt. Quare in hoc Euangelio rectè intellecto habent superbi ut humilientur, ut discant timorem Dei, uidelicet, non ut discedant ab honestate uitæ, sed ne confidant suis bonis operibus. Habent & peccatores ac pauperes ut confidant, non ut maneant in peccatis, sed ut resipiscant ac salutem consequãtur per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre et spiritu sancto Deus laudandus in secula seculorum, Amen.

ALIA HOMILIA.

PAulus de Christo scribens, Cũ esset, inquit, in forma Dei, *non rapinã arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinaniuit forma serui accepta. Similiter & Christus ipse cõfert se cũ uite, quod uirgulti genus extrinsecus uidetur cõtemnendũ et nulli rei, præterquam igni, aptum, sed profert optimũ liquorem. Talis. n. est Christus Dominus noster, qui cũ appareat abiectissimus hominum, tamen filius Dei est, & habet summã maiestatem*

maiestatẽ. Qualis aũt est Christus persona sua, talis etiam est doctrina sua. Videtur. n. abiectissima & maximè uulgaria docere, attamen ea docet, quæ nobis summã afferũt salutẽ. Potuisset quidẽ nobiscum angelica lingua loqui, & non nisi Seraphica & Cherubica sonare, sed maluit rustica et uulgaria in mediũ afferre, ut per ea doceret nos uerè cœlestia. Ex horum numero est etiã hodierna parabola, quæ sonat de Patrefamilias, qui multos hospites inuitárat. Quid hac re uulgarius? Et cùm hospites inuitati uenire noluerunt, uocati sunt debiles, claudi & malis affecti. Quid hac re humilius & abiectius? Sed quod in hac humili oratione cõclusum est, præstantissimũ est. Debet igitur hæc parabola nobis esse commẽdatissima. Refutat. n. talem errorem, quo à uera salutis uia abduci solemus, & docet rectum compẽdium ad salutem. Etenim ingens est & pernicios us hominum error, q. existiment regnum Dei pertinere tantum ad honestos, probos, & glorios os in hoc seculo, & non propriè pertinere ad inhonestos, peccatores, et abiectos. Malè habet Principes uiros cùm audiunt abiectos hoïes cœlum altius occupaturos quàm ipsi. Existimant. n. q. quia in hoc seculo sint Principes, debeatur etiam ipsis principatus in alio seculo. Diuites succensent q. æquantur ipsis pauperes in regno cœlorum. Et omnino, qui excellunt aliqua dignitate in hoc mundo, uolunt etiam in regno Dei propter

hanc dignitatem præferri indignis. Econtrà qui sunt abiecti, inglorij & miseri in hoc seculo, semper timere solent, quòd cùm non possint in hoc mundo consequi fœlicitatem, abijciantur etiam è regno cœlorũ.

Regnum dei pertinere ad peccatores.

Quare Christus suscipit in hac parabola hunc pernicio sum errorẽ refellendum, & docet prorsus contrarium, uidelicet, q, regnum Dei pertineat magis ad inhonestos, ad peccatores, ad inglorios, quàm ad honestos, probos et glorioſos. Paterfamilias, inquit, inuitauerat multos honestos ad cœnã suã, sed aduenìete hora cœnæ, nullus honestus uenire uolebat. Omnes se excusabant. Alius dicebat: uillã emi, hoc est honestum. Alius, iugæ boum quinq; emi, est & hoc honestum. Alius, uxorẽ duxi. Hoc similiter honestum est. Vides honestißimos uiros & diuites: sed in fine parabolæ dicitur, Nemo uirorũ illorum qui uocati sunt, gustabit cœnam meã. Hoc certè est è regno Dei pellere. In horum autem locum uocantur pauperes, debiles, claudi & cæci, item iacentes in uijs & post sepes, hoc est, aduenæ, mendici. Hi sunt umbra peccatorum & abiectißimorum hominũ in hac terra, uidelicet, meretricum, & publicanorum inter Iudæos, ac impiarum gentium, quæ idolatrijs deditæ erant. Hæ enim uocatæ sunt ad Euãgelium regni Dei abiectis honestis Phariſæis. Sed hæc doctrina uidetur prudentibus ualde pernicioſa, præsertim cùm sæpius commemoretur: nam hæc doctrina non excidit

Chri-

Christo temerè, nec nascitur ipsi in bucca, nec in hac solum parabola recitatur, sed fit mentio ipsius sæpe numero in Euãgelio. Ait enim Christus: Non ueni ad uocãdos iustos, sed peccatores. Et iterum: Meretrices et Publicani præcedunt uos in regnum Dei. Itẽ: Quod hominibus excelsum est, abominandum est coram Deo. Item: Nouissimi erunt primi &c. Similiter Paulus inquit: Non multi sapientes secundum carnẽ, non multi potentes, non multi claro genere nati. Quid ergo uult sibi talis doctrina Christi, & Apostolorum? Apparet enim esse ualde periculosa, & scandalis plena. Nam qui honesti sunt sollicitari solent hac doctrina ad inhonestatem: Cogitant enim, si inhonesti tantum habent prærogatiuæ, cur tu duceres honestam uitam? Qui autem sunt inhonesti, ei uiuunt in peccatis, hi blandiuntur sibi in sceleribus suis, & confirmantur in sua inhonesta uita. Quid ergo dicendum? Negari profecto non potest, quin non nulli ex tali doctrina scandalizentur, sed non propterea debet omitti. Quid enim, obsecro, boni est, quo non abutuntur mali? Vini & frumenti abundantia res est optima, qua tamen mali pessimè abutuntur. Alius abutitur ad agendam uitam suillam. Alius ad auaritiam. Ergo ne dicemus Deum nõ debere dare abundantiam uini & frumenti: Nunquid quia homines mali sunt, Deus nõ debet esse bonus? Absit. Sanitas corporis res optima est, sed quã multi sunt qui

abutuntur sanitate, ergo ne Deus nullam debet sanũ hoĩem facere? Sic et hæc doctrina optima est, et quã quam mali abũtantur ea, tamen non idcirco omitti, aut peruerti, aut negari debet. Deus enim proposuit nobis eam in necessarium usum, non in impium abusum. Nam cùm prædicatur honestos repelli à regno Dei, & inhonestos, & peccatores assumi, primùm non uult spiritus sanctus hac doctrina honestos deterrere ab ingressu regni Dei, nec uult eos in uitare ad inhonestã uitam: omnino enim exigit Christus honestam uitam ab omnibus hominibus: Non Deus uolens iniquitatem tu es, sed uult ut honesti nõ cõfidant sua honestate, & uult eos adigere ut quærant ueram honestatem in Christo: tametsi enim exigitur à nobis honestas & probitas uitæ, quæ & præstãda est, tamen ea nunquàm satisfacit legi Dei, nec est perfecta iusticia, ideo Christus aliam requirit, nempe suam ipsius, qua per fidem in ipsum donamur. Sũt autem homines eo ferè ingenio præditi, quòd existiment ad regnum Dei sufficere externam probitatẽ, & habẽt planè eundem animũ cum his, quorũ fit mẽtio in hodierna parabola. Qui emit uillã sentit, se nõ indigere cœna Patris familias, sed habere suum panẽ quotidianũ è uilla. Qui emit quinq; iuga boũ, similiter sentit se sufficientẽ habiturũ uictũ è labore boũ, nec ĩdigere cœna patris familias. Qui adolescẽs duxit uxorẽ, putat se iã nec hoĩm nec Dei ope indigere. Sic etiam

etiam faciunt hoïes honesti ac probi: sentiunt.n. se satis habere fœlicitatis ex sua honestate et probitate, nec requirunt ueram & perfectã iusticiã in Euangelio Christi. Hanc impiã & pernicioſam opinionẽ reprehendit Christus, dum excludit honestos è regno Dei. Deïde cũ uocat inhoneſtos et pctõres ad regnũ Dei, nõ approbat pctã, ſed uult ut non deſperẽt propter pctã, uult ut reſipiſcãt à pctis, et ſentiant ſe tanto magis Deo curæ eſſe, quanto miſeriores ſibi uidẽtur. Quare ſentiẽdũ eſt, q̃ tota doctrina Chriſti poſita nobis ſit, nõ ut occaſionẽ ſumamus peccãdi et pereundi, ſed tantũ ut habeamus occaſionem à pctis ceſſandi, & ſalutẽ cõſequendi. Poſtremò in hac parabola habetur etiã illud: Cõpelle intrare. Quid hoc? debent ne hoïes ad fidẽ uiolẽter cogi? Manifeſtũ eſt, q̃ Chriſtus non inſtituerit in regno ſuo externã dominationem. Regnum meum non eſt de hoc mundo, nec Apoſtoli uſurparunt ſibi gladium cogendi hoïes ad religionẽ Chriſti: nec poteſt fides in cor uiolẽter ingeri. Intereſt quidẽ magiſtratus, ut pro ſua uocatione abroget in ſua ditione publicas impietates, et inſtituat ueram doctrinã pietatis, hoc aũt nõ eſt cogere ad fidem, ſed eſt ſuæ uocationi ſeruire, et publicã honeſtatem tueri. Similiter Paterfamilias nõ poteſt familiã ſuam cogere, ut uerè credant, attamẽ ſuæ uocationis eſt, ut familia erudiatur, & pietatem ſectetur. Quid ergo eſt, Compelle intrare? Eccleſia habet

Ecclesiastica cogendi potestas.

suam uiolentiam: nam nec honesti nec inhonesti libẽ ter intrãt in regnũ Dei, Ideo cogẽdi sunt ecclesiasti ca uiolẽtia. Honesti putant sibi suam sufficere hone= statẽ, ideo nõ requirunt iusticiam Christi, sed cogen di sunt ecclesiastica potestate. Quæ est illa potestas? Nõ est potestas gladij externi, sed potestas prædican dæ legis Dei: Nam ostendendum est honesto, q̃ hone stas eius sit imperfecta iusticia, & q̃ adhuc habeat peccatũ, quo damnatus sit nisi requirat Christũ. Hoc est Ecclesiasticè cogere, hoc est, spiritualiter in car= cerem conijcere, in carcerẽ uidelicet inferni, qui et= si nunc uideatur frigidus, suo tamen tempore satis feruens apparebit. Sic & inhonestus non sua sponte ingreditur in Euangelium regni Dei. Existimat. n. nõ magni referre, etiamsi peccet ac in peccatis per seueret: sed & is cogẽdus est ecclesiastica potestate. Ostendendum. n. est ipsi, q̃ peccata eius tam grauia sint, ut mereantur perpetuum ignem. Hoc certè est conijcere in carcerem, & cogere ad fidem. Si quis. n. uult ex inferno liberari, certè necesse habet ad Chri stũ festinare per fidem. Sic coẽgit Christus ad fidem, dũ in Matthæo explicuit legẽ. Sic Petrus coẽgit mul tos ad fidẽ in die Pentecostes, dũ ostenderet ipsis pec cata, et doceret eos esse homicidas. Sic sentiẽdũ est, q̃ cũ audiamus explicationem decalogi, modò nos con ijci in carcerem inferni, ut cogamur ad fidem. Deus enim reuelat nobis peccata, non ut maneamus in cõ

demnatione

demnatione, sed ut per agnitionem pctorum inuitemur ad agnitionē Christi, in quo solo habeamus remissionem peccatorum & uitam æteruam, Amen.

DOMINICA III. POST TRInitatis, Euangelium Lucæ 15.



ERant aũt appropinquantes ei publicani & peccatores, ut audirent illum. Et murmurabãt Scribę & Pharisęi, dicẽtes: Hic pec

catores recipit,& mãducat cũ illis.

Et ait ad illos parabolã iſtam,dicens:Quis eſt ex uobis homo,qꝫ habet centũ oues,& ſi perdiderit unã ex illis, nonne dimittit nonaginta nouẽ ī deſerto,& uadit ad illã,quę perierat,donec inueniat eã? Et cũ inuenerit eã,imponit in humeros ſuos gaudẽs.Et ueniẽs domũ, conuocat amicos et uicinos, dicẽs illis: Cõgratulamini mihi,qꝫ inueni ouem meã,quæ perierat. Dico uobis, qꝓ ita gaudiũ erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiã agente, magis qꝫ ſuper nonaginta nouem iuſtis,qui nõ indigent pœnitẽtia.

Aut quæ mulier habens drachmas decem,ſi perdiderit drachmã unam,nõne accendit lucernam,& uerrit domum,& quærit diligenter,donec inueniat? Et cũ inuenerit,

rit, conuocat amicas & uicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram. Ita dico uobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

HOMILIA I. DE CALVMNIIS PHARISÆORUM & officio Christi, habita anno 1537.

IN Euangelio de oue perdita, & drachma inuenta, partim eruditur externa & ciuilis nostra uita corã hominibus, partim spiritualis uita corã Deo et omnibus Angelis eius: sunt aũt utraq; necessaria ad præstanda officia Domino Deo nostro accepta. Quare attẽtis auribus & animis percipiamus, quæ hic nobis traduntur. Nã cũ accedebãt ad Christũ oẽs publicani & pctõres, ut audirent illum, murmurabant Scribæ & Pharisæi, dicẽtes: hic pctõres recipit, ac cibum capit cum illis. Principio Pharisæi habent quandam experientiæ speciẽ, & in hoc rectè iudicãt, q. de cuiusq; moribus cõiectura ex societate eius sumi posßit. Quẽ. n. uideris familiaritatem habere cũ sceleratis, de eo nihil opus est prolixius ingrere, propterea q. talis ferè sit, quales

ij sunt, quorũ societate delectatur: Vulgò dicitur, simile gaudet simili. Et natura ita cõparatũ est, ut ad ea quæ uidemus et audimus mores uostros formemus. Quid aũt in cõtubernio malorũ aliud uideas & audias, quàm pnicioſiſſima peſſimorũ exempla? Non põt igitur fieri, quin imbecillis hoĩm animus nõdum probè cõfirmatus malorũ familiaritate cõfirmetur. ut. n. q ambulat in ſole, etſi nõ ingreſſus ſit ſolẽ ut denigretur, nihilomĩus tamẽ denigratur uel nolẽs, ita qui cũ ſceleratis uitã agit, etſi nõ uelit malus fieri, tamẽ uel neſciens cõtrahit maliciã. Proinde ſi iuxta claudũ habitaueris, ſubclaudicare diſces. Et Prouer. 13. Qui cũ ſapientibus graditur, ſapiens et ipſe erit, amicus ſtultorũ ſimilis efficietur. Quare qui corrũpi noluerit, malorũ cõſortia nõ aliter fugiat, quàm horribilẽ illã ſemitã, quæ rectà ad infernũ ducit. Et hactenus quidẽ Phariſæi nõ malè iudicârũt, ſed hæc mera eſt malicia & Satanica impietas, q. quæ aliâs in loco benè dicantur, in Ieſum Chriſtũ torqueãt. Verũ quidẽ dicitur, q. de hoĩm moribus iudicari poſſit è cõſortio eorum, id aũt uerũ eſt de hoĩbus, qui mẽtes adhuc habent imbecilles, ut iuuẽtus, et de his qui nulla legitima uocatione adiungunt ſeſe ſocietati malorũ. De Chriſto alia erit ratio: nã q. coniungeret ſe cum pctõribus, officiũ erat. Et manifeſtiſſimum erat omnibus, q. nec ipſe peccata à malis diſceret, nec aliorũ peccata approbaret, ſed pctõres ad bonã frugẽ hortaretur. Nihilominus

mimus tamẽ calũniantur ipſum, et quod facit, in peſſimã partem ita interpretantur, ut etiã ex ipſo faciãt combibonem & epulonem. Calumniari aũt, hoc eſt, aliena, uel dicta uel facta in peiorẽ partem interpretari, uulgare quidẽ peccatum eſt, ſed quo uulgarius eo peius & horribilius eſt: multitudo peccantiũ non extenuat, ſed auget horrorem & atrocitatem peccati. Vide. n. mihi quantum peccetur calumnijs. Lex naturalis eſt, Dilige proximum tuum ſicut teipſum: et quod tibi non uis fieri alteri ne feceris, nouit autem unuſquiſq; calumnias eſſe acutiſſima tela. Pſal. 56. Filij hominum dentes eorũ arma, et ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Vnde nullus poteſt æquo animo calumnias ferre. Hortatur igitur ipſum natura, ut nec alterius dicta aut facta calumnietur. Qui uero id uiolarit, iam nõ homo eſt, ſed exuit hominem, et degenerauit in beſtiam, ſed quid in beſtiã? imo potius in Satanam. Satan enim ideo Diabolus dicitur, quòd ſit calumniator, & quòd propria eius natura ſit calumniari. Exemplum habes in Hiob, cuius etiã iuſticiam calumniabatur ſatan coram Deo. Nũquid (dicebat) Iob fruſtra timet Deum? nonne tu uallaſti eum ac domum eius, uniuerſamq; ſubſtantiam eius per circuitũ? Ergo qui calũniãtur alterius dicta aut facta, iam non ſunt homines, ſed uiui & incorporati Diaboli. Accedit huc, q̃ Chriſtus calumniam uocet peccatum in ſpiritum ſanctum, quod tam horribile

Calumnia quantum peccatum.

est ut uincat omnia alia peccata, & non possit remitti, hoc est, excusari, nec coram Deo, nec coram hominibus. Nã si Christiani hominis est proximi mala tegere, et pro ipsis orare, quantum est peccatum bona eius aut calumniari aut peruertere? Et si ratio reddenda est de uerbo ocioso, quantam rationem Deus exiget propter calumnias? Quare calumniam nõ aliter, quàm præsentaneũ uenenũ deuitemus. Quid aũt ad hanc calumniam Christus? Quanquam Pharisæi meriti erant grãdiores & fulmina, quod. n. erat summa uirtus Christi, hoc uertunt ipsi in summũ uitium: attamẽ modestißimè & placidißimè exponit ipsis rationem familiaritatis suæ cum peccatoribus. Ac primum excusat ab officio suo. Sicut enim pastoris officium est, perditam ouem quærere, & diligentis matrisfamilias est amissum numũ cõquirere, Et ut medici est infirmos inuisere, ita Christi officium est peccatores inquirere. Nam ob hanc causam descendit in terram, & dereliquit nonaginta nouem oues in cælo, hoc est, maiestatẽ suam, & angelos suos, ac adiunxit se hominibus, ut omnes ad pœnitentiam uocaret. Quare quod agit Christus, officiũ eius est, nõ temeritas aut libido. Deinde excusat à necessitate et utilitate. Necessarium est ut me peccatoribus adiungam, quia sicut ouis errans nõ potest sua sponte redire in ſ abulũ, sed necesse habet inquiri & reduci, aut etiã humeris reportari: & numus perditus non seipsum

Christus cur conuersetur cum peccatoribus.

ostendit

ostendit ut inueniatur, sed necesse est ut diligenter quæratur. Ita homo peccator subinde magis et magis peccat, nisi à Christo quæratur & reducatur. Est & utile, quia si unus peccator resipiscat, gaudiũ est in cœlo coram omnibus angelis Dei. Ex his primùm ob serua, quod sit proprium Christi officium, uidelicet peccatores quærere & reducere in stabulum. Deinde quanta sit maiestas ministerij Euangelij. Christus enim quærit pctores ad pœnitentiã per prædicationem Euangelij. Accedebant enim (inquit Euangelista) peccatores, ut audirent illum. Ergo prædicatio Euangelij ducit homines ad pœnitentiam, aut etiam ad salutẽ. Adhæc significatur his parabolis, quàm penitus sit hominũ natura: In peccatis. n. suffocati sunt, ut non resipiscant, nisi uocati & attracti per gratiã Euangelij: sicut ouis errans, nisi compellatur à Pastore, non redit in stabulum. Postremò, docemur quare possimus gaudium excitare in toto cœlo coram Deo, angelis, adeoq; tota cœlesti curia, quæ item res possimus maioribus nostris læticiam cõficere in altero seculo. Gaudium (inquit) erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiã agente. Pœnitẽtia igitur est, qua fit, ut tam gratum Deo officium præstemus, ut etiam omniũ cœlestium uultus exhilaremus. Quid ergo est pœnitentia? aut quid faciendum est ad agendam pœnitentiã? Sæpenumero incidit mentio de pœnitẽtia. Ioannes Baptista in prima sua cõcione adhortatur

Pœnitentiæ agẽdæ ratio.

ad pœnitentiam. Pœnitentiã (inquiens) agite, appropinquauit regnum cœlorũ. Similiter Christus, item & Petrus Act. 2. Quare dicamus nunc quædã de pœnitentia, non quidem copiosè, quia hæc tractatio aliud & lõgius tẽpus requirit, sed breuiter prout sufficit in præsentia. Quid ergo faciã in agenda pœnitentia? Hæc est præcipua controuersia nostri temporis de religione. Non controuertitur de uescendis carnibus in feria sexta, sed de his rebus, quibus paratur iusticia coram Deo, & quomodo agenda sit pœnitẽtia, ut cõsequamur salutẽ. Ac superiori quidẽ seculo ita didicimus, q; ad agendã pœnitentiam primum requiratur cõtritio. Hoc quidem non malè dictum est, sed est malè intellectum, quia senserunt contritionẽ mereri remissionem peccatorum è dignitate operis. At hoc falsum est. Deinde cõfessio. Et hæc quidem habuit suos abusus & impietates, uidelicet, q; omnia peccata enumeranda fuerunt, quod est impossibile, & q; operi operato attributa fuit remissio peccatorum. Attamen in ecclesia habet suũ usum si rectè ordinetur, tum propter absolutionem, tum propter inuentutem. Tertiò, Satisfactio, uidelicet, opus Missæ aut peregrinationis, aut eleemosynæ, aut id genus aliud, Et unumquodq; horum habet suũ usum, si rectè intelligatur. Sed hæc est impietas, q; dignitati & merito horum operum attributa fuit maiestas remissionis peccatorum. Quid igitur faciendum, si nõ ita pœnitendum

nitendum est? Quem audiam rectè de facienda pœnitentia differentem? Maiores enim fuerunt docti uiri, & nunc etiam sunt docti uiri, qui tamen diuersa inter se docent. Audiamus ergo illos concionatores, quos Deus maximis miraculis cõfirmauit. Sunt enim in toto orbe terrarum duo tantum concionatores præcipui, quos Deus humano generi & toti orbi de cælo in concionatores constituit. Alter est Moses, Alter est Christus. Sunt quidem & alij, ut Prophetæ & Apostoli, sed hi omnes ex illis duobus concionesuas texuerunt. Hi enim duo præcipui sunt. Mose constitutus est in concionatorem, Exo. 19. ubi Deus collocutus est cum Mose de monte, & dictauit ei Decalogum audientibus plusquàm sexcẽtis millibus hominum. Christus autem manifesto signo spiritus sancti apud Iordanem, & uoce cælesti institutus & confirmatus est in publicum concionatorem, cùm pater dixit: Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite. Quid ergo docuerunt? Mose docuit quidem politiam Iudaicã, quæ nunc nihil ad nos pertinet, sed præcipuè docuit Decalogum, is pertinet ad nos. In Decalogo præcipiuntur nobis omnia bona opera, quæ excogitari & fieri possunt. Sed postquàm uoluerimus ea facere, tunc uidemus nos imbecilliores, et natura corruptiores, quàm ut possimus ea obseruare. Mose autem damnat eum qui non obseruat Legem suam ad unguem. Primùm ergo discimus ex Mose primo

Moses & Christus pœnitentiæ prædicatores præcipui.

cõcionatore agnitionem peccatorum nostrorũ. Sed hoc non est satis. Iudas enim agnouit peccata, non tamen salutem cõsecutus est. Quare ultra pergendum erit ad Christum. Christus secundus est cõcionator. Is etiã nonnunquã legem docuit, tamẽ præcipua eius doctrina fuit Euangelion, hoc est, q. missus sit in terram, ut expiaret peccata, & reconciliaret homines Deo. Ergo ex hoc cõcionatore discimus, ad agendam pœnitẽtiam necessariam esse fidem, q. propter Christum habeamus remissionẽ peccatorum. Deinde ambo concionatores docent, q. etsi non perfectè implea mus legem, & fides habenda sit in Christũ, tamen bona opera à Deo præcepta facienda sunt, quæ Deus exigit propter obediẽtiam & gratiarum actionem. Idem & reliqui cõcionatores Prophetæ & Apostoli exigunt. Quare ad agẽdam pœnitentiam necessarium est, ut agnoscamus peccata, ut habeamus fidem in Christũ, & ut Deo obediamus: hac excitamus cœlestem curiam et læticiã, hac etiam afficimus gaudio nostros maiores, qui in Christo obdormierunt, &c.

HOMILIA SECVNDA.

EVangelium quod audiuimus, etsi in una tantũ Dominica die singulis annis publicè recitari solet, semper tamẽ debet in cordibus nostris sonare, & à nobis cogitatione nostra diligentissimè

ligentißimè tractari. In hoc.n. Euangelio Christus nõ solum refutat calũnias impiorum Phariſæorum, qui calumniabantur q; reciperet peccatores, ſed etiam excitat omnes homines ad capeſcendam pœnitẽtiã, & in ea perdurandum toto uitæ noſtræ tempore. Gaudium (inquit) eſt in cœlis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Videamus igitur, quomodo agenda ſit pœnitentia, & audiamus pœnitentiæ utilitatem ac neceſſitatem, ut ad eam ſectandam excitemur. Nam qui hactenus meminerunt peccatorũ ſuorum, ac uoluerũt pœnitentiã agere, bi ſi uiri fuerũt, abierunt relicta uocatiõe ſua in monaſterium quoddam Carthuſianum aut Franciſcanum, & putauerunt ſe agere pœnitentiam obſeruatiõe ordinis Monaſtici: ſi mulieres fuerunt, intrauerunt in monaſteria, quæ alicubi habentur, & uocantur monaſteria pœnitentium: ſed res longè aliter ſe habet. Neq; n. ad hunc modum uera agitur pœnitentia: nam in agẽda pœnitentia nemo cogitur derelinquere uitæ ſuæ genus, quod per ſe honeſtum fuit, ſed exigitur ut te manente in ordinaria & legitima tua uocatione agnoſcas peccata, ac ſentias te meritũ eſſe perpetuã damnationem: deinde credas, peccata tibi propter Chriſtum remiſſa, & Chriſtum eſſe propiciatorem tuum apud Deum patrẽ, atq; ex hac fide ſecteris bona opera in tua uocatione, uitesq; peccata, ne caro dominetur ſpiritui. Hæc eſt uera pœnitentia. Et quod de uni

Pœnitentia uera.

uersa uita mutãda dicitur, hoc etiam intelligendum est de mutando uno & altero peccati genere, quo quis priuatim et præ alijs obnoxius est. Exempli gratia. Est quispiam obnoxius frequenti execratiõi aut detractioni, is ad agendam pœnitentiã agnoscat grauitatẽ peccati sui, credat Christum expiasse, & deinceps caueat ne peccet, sed loquatur ea quæ sunt ad ædificationem proximi. In hac agẽda pœnitentia nõ debemus tãtum uno tempore anni, sed toto uitæ nostræ tempore uersari. Etsi enim quispiam fuerit, qui nullum externum capitale peccatum fecerit, tamen unusquisq; semper gestat secum peccatũ originale, quod nunquàm non profert suos fructus. Caro enim semper concupiscit aduersus spiritum, semper igitur agenda est pœnitẽtia, hoc est, semper agnoscenda est impietas carnis, & credendum est q, propter Christum nõ imputetur, ac resistendum carni, ut oppressis affectibus eius bona faciamus. Nam q, ad agendam pœnitentiam, tanquàm ad commune omnibus & singulis officium, & ut ita dicum opificium uocati sumus, testatur prima concio Ioannis Baptistæ, Christi & Apostolorum eius. Hi enim omnes uno ore uocãt nos ad pœnitentiam, dicentes: Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. In externis officijs alius aliam habet uocationem, hic est magistratus, hic est subditus, hic est mercator, hic opifix, in his est discrimen quoddam externũ: sed in uocatiõe

Christianismi,

Christianissimi, omnibus et singulis unum est officium diuinitus propositum, uidelicet agere pœnitentiam. Ad hoc uocatur non minus rex, quàm pastor ouium. Vnde & Christus ipse ait: Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiã. Vt hanc uocationem nobis manifestaret Christus, descẽdit de cœlo, & tradidit se in mortẽ crucis. Similiter et Paulus ait: Certus sermo, & dignus quem modis omnibus amplectamur, q̃ Iesus Christus uenit in hunc mundum, ut peccatores saluos faceret, hoc est, ad pœnitentiam, quæ est uia salutis, uocaret. Quare cùm hæc sit generalis nostra uocatio, nihil prius nobis agẽdũ est, quàm ut hanc uocationem sectemur, et semper pœnitentiam agamus. Neq; est q̃ tergiuersemur, dicentes, exigi à nobis aliquid quod uiribus nostris sit impossibile. Etsi enim quod ad nostras uires attinet toti immersi sumus in peccatum, nec à nobis ipsis excitamur ad agẽdam & perficiendam pœnitentiã, tamen quod apud hoĩes est impossibile, hoc Deus fecit nobis non solum possibile, sed & facile. Ioan. in 1. Epist. cap. 4. ait: In hoc est charitas, nõ quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Proponit nobis Christus in hodierno Euangelio duas huius rei pulcherrimas imagines. Altera est de homine, qui perdidit è centum ouibus unam. Ouis nõ reuertitur sua sponte ad stabulum, si errauerit, nec currit post Pastorem, gº.

Pœnitentiæ agendæ imago.

ſed paſtor currit poſt ouem, & inuētam ponit in humeros ſuos, & reportat ad ſtabulum. Sic nos ſumus oues perditæ, & non reuertimur noſtris uiribus ad cœlum. Deus autem tam clemens eſt, et recurrit poſt nos miſſo unigenito Filio ſuo, qui recipit nos in humeros ſuos, ſuſcipit in ſe pcta noſtra, tradit ſe propter nos cruci & morti, diuulgat Euangeliū ſuum in totum orbem, & per Euangeliū donat ſe totum nobis, ac in ipſo etiam ſpiritū ſanctum, cuius uirtute repoſiti in humeros Chriſti, reportamur ad ſtabulum: Per Euangelium.n. accipiētes ſpūm ſanctum, excitamur uirtute eius, ut credētes in Chriſtū etiā agamus pœnitentiā. Quare quàm facilè fuit quondam in peccatis uiuere, tam facilè poſtea fit per ſpiritum ſanctū in nobis, ut agamus pœnitentiam: quia credentes repoſiti ſunt in humeros Chriſti. Altera eſt de drachma perdita, hæc amiſſa nō reuertitur ad marſupium ſua ſponte, ſed quæritur accenſa lucerna: domus uerritur, & tandem inuenta reportatur, non ipſa incedit: ſic et nos ſumus moneta nō ſolum perdita, ſed etiam in ſcoriā mutata. Eramus quondam aurei, nūc ſumus cuprei. Nunc igitur Chriſtus nos quærit per Euangelium, & inuentos mutat iterum in aureos, hoc eſt, reformat nos aliquo modo in imaginē Dei p peccatum amiſſam, ac reſtituit nos ad purū aurum. Itaq; quod nobis erat impoßibile, fit nobis facilè per Euāgelion Chriſti, quo donamur ſpiritu ſancto ut reſi-

piſcamur.

piscamus. Vide.n.mihi, obsecro te, quanta commoda quantã fœlicitatẽ afferat pœnitẽtia. Nam cũ per peccatũ facti simus imago Satanæ, per pœnitentiã efficimur rursus imago filij Dei. In pœnitẽtia.n. credimus in Christũ, q̃ per ipsum seruati simus: per fidẽ aũt donatur nobis Christus, ut reformemur in imaginẽ ipsius. Quare per pœnitentiã efficimur similes filio Dei. Ad hæc per pœnitentiã efficimur ipsi quoq; filij Dei. Quotquot (inq̃t Ioãnes, crediderũt in eũ, dedit ipsis potestatẽ filios Dei fieri. Credere aũt in Christũ est pars pœnitentiæ. Breuiter pœnitẽtia restituit nos iusticiæ et perpetuæ saluti: nã cũ per pœnitẽtiã accipimus Christũ, & fit Christus noster, tunc etiã iusticia eius imputatur nobis diuinitus, & propter illã Christi iusticiã datur nobis uita æterna. Quid plura? Etiam hoc cõmodũ pœnitẽtiã sequitur, quod Christus in hodierno Euangelio enumerat: gaudiũ (inquit) erit coram angelis super uno pctõre resipiscente. Quid aũt pulchrius, quid iucundius, q̃ posse totũ cœlestem chorum, omnes sanctos Patriarchas & angelos lætitia afficere? non afficis eos lætitia, si dereliqueris tuam uocationem, & fugias ad eremũ, sed si manens in tua honesta uocatione resipiscas: neq; enim alia reliqua est salutis uia, nisi resipiscentia seu pœnitentia: non potes ad regnum cœlorum peruenire, nisi per pœnitentiam, necesse est ut pœnitentiam agas, idq; toto uitæ tuæ tẽpore. Sic Patriarchæ, sic Prophetæ,

Pœnitentiæ commoda.

sic apostoli, sic oēs pij, qui fuerunt peccatores, peruenerunt ad regnū cælorum. Debemus igitur agere pœnitētiam, quia sumus ad eam uocati: possumus autem eam agere, quia Christus ponit nos in humeros suos. Consideranda sunt cōmoda pœnitentiæ, necesse habemus pœnitentiam agere, si modo uolumus consequi salutem. Itaq; danda est opera, ut salutem sectemur per pœnitentiam in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

DOMINICA IIII. POST TRInitatis, *Euangelium Lucæ 6.*

ESTote misericordes, sicut & Pater uester misericors est. Nolite iudicare, & nō iudicabimini. Nolite cōdēnare, & nō condemnabimini. Dimittite, & dimittetur uobis. Date, & dabitur uobis, Mēsuram bonam & cōfertam, & coagitatā, & supereffluentem dabunt in sinū uestrū. Eadem quippe mēsura qua mensi fueritis, remetietur uobis. Dicebat aūt illis similitudinē: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam ca-

dunt



dunt? Nõ est discipulus super magistrum. Perfectus aũt omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autẽ uides festucam in oculo fratris tui, trabem autẽ, quæ in oculo tuo est, non cõsideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater, sine, eiiciam festucã de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non uides? Hy-

pocrita, eíce primùm trabem de oculo tuo, & tũc perſpicies, ut educas feſtucam de oculo fratris tui.

HOMILIA I. DE OBTRECTATIONE & Impoſtura.

IN hac Euãgelij pericopa Chriſtus ſuſcipit officiũ Pædagogi, et reprehẽdit duo uicia, quæ inter hoĩes ſunt cõmuniſſima et frequentiſſima: alterũ eſt obtrectatio alienæ famæ: alterum iniuſticia et impoſtura in cõtractibus ciuilibus. Hæc ſunt uicia inter hoĩes uulgariſſima. In familiaribus colloquijs nihil propemodum audias quàm obtrectationes: in cõtractibus aũt ciuilib. nihil propemodũ uideas, præter impoſturas, deceptiões et nugas: quæ uicia non idcirco leuiora ſunt, q̃ ſunt uulgaria & coĩa, ſed tãto ſunt grauiora, quãto cõmuniora. Quanis modi uarijs. re Chriſtus oſtendit nobis in hac concione grauitatẽ eorum, ut agnita magnitudine uicij reſipiſcamus. Dicamus igitur principiò de obtrectatione. Fit autem obtrectatio uarijs modis. aut. n. uerbum uel factum alicuius indifferens rapitur et peruertitur interpretando in peßimam partem, hæc eſt calumnia: aut uulgatur de quodam crimen cuius non eſt conſcius, & quod probare non poßis ſi exigeretur: aut etiã uulgatur crimen quod bene noſti, & quod is de quo uulgatur

Obtrectatio

gatur certò ppetrauit: hæc oĩa uno obtrectatiõis no mine cõprehẽdimus. Obtrectatio nõ est, cum uel ma gistratus deliberat de manifesto alicuius scelere ut corrigatur, uel parens deliberat cum amicis de delicto filij, ut reducat ipsum in rectã uiam. Hæ non sunt obtrectatiões si legitimè fiãt, sed sunt officia. Obtrectatiões sunt hoĩm priuatorũ, qui illegitimè uel male uolẽtia et inuidia, uel temeritate et libidine aliena uicia sparguntur, aut etiã uirtutes pro uicijs interpretantur. Exẽpli gratia. Iob erat inter diuitias timens Dei, & tamen satan interpretatur hanc uirtutẽ pro hypocrisi corã Deo, Sicut Iob primo scriptũ est. Itẽ Dauid fugiens Saulis furorẽ, diuertit ad sacerdotem Achimelech: Doeg aũt calumniatur sacerdotẽ Achimelecum apud Saulem, q, cõiurauerit cũ Dauide aduersus Saulem. Nec illa solum pertinent sub genus obtrectationis, sed etiã si ea quæ uerè sunt crimina, & certò designata illegitimè ab hoĩe sparguntur, obtrectationis peccatum est. Audiamus igitur quanta sit magnitudo huius peccati, ut timeamus & cauemus. Nam cum Deus adoptauerit nos in filios suos, debemus etiam Deo similes fieri in uirtutibus. Estote (inquit) perfecti, sicut & Pater uester cœlestis perfectus est. Deus autem habet hanc uirtutem, ut primum quidem bona nostra opera, quæ tamen sunt imperfecta & impura, boni consulat, et commendet ea, ac præmijs etiam honoret, mala autem tegat mis

sione filij sui. Misit enim Deus unigenitum filium suum Christũ in hunc mundũ, ut per crucẽ et mortem eius tegeret atq; expiaret mala hoĩm. Quare si uel aliena bona in peßimã partem interpretamur, uel si aliena mala illegitimè uulgamus, tunc abijcimus similitudinè dei, et excludimur ab adoptiõe in filios dei. Adhæc satanæ proprietas est bona siniſtrè interpretari, et mala uulgare, atq; exaggerare, ac etiã mẽdacia immiſcere. Qui aũt ĩ hoc ſectatur ſatanã, is efficitur ſatanæ ſimilis. Obtrectator igitur etſi geſtet humanã effigiẽ corã hoĩbus, tamẽ uerè ſimilis eſt ſatanæ corã Deo. Quãta obſecro hæc eſt turpitudo, quãta fœditas? Præterea lex eſt in Decalogo: Nõ occidas, Et: Nõ feras falſum teſtimoniũ. Occidere aũt non eſt tantũ manu aut gladio hoĩem extinguere, & falſum teſtimoniũ dicere, nõ eſt tantũ corã iudicio publico mentiri, ſed eſt etiãaliena bona falſo interpretari, & mala ſpargere. Vnde Chriſtus Matt. 5. ait: Qui dixerit fratri ſuo Racha, obnoxius erit cõcilio. Et q̃ dixerit, fatue etc. Plus aũt eſt obtrectare q̃ Fatuũ dicere. Et Dauid ait Pſal. 56. Filij hoĩm dentes eorũ arma et ſagittæ, et lingua eorũ gladius acutus. Ac Ioannes dicit: Qui odit fratrem ſuũ, homicida eſt. Qui aũt obtrectator eſt, is ad odiũ cordis addit etiã malum linguæ. Nõ eſt excuſatio: Quod facio, non facio ex odio aut inuidia. Sic poſſet unuſquiſq; homicida & prædator ſe defendere. Non feci ex inuidia. Nã ipſum factũ

obtrectationis

obtrectationis est argumẽtum innatæ illius inuidiæ, qua ex peccato originali alter alterũ odio prosequitur, et præfert se alteri. Quare osor, obtrectator, calũniator, homicida & falsus testis cõprehenduntur simul uno noĩe homicidij et falsi testimonij in istis legibus, Nõ occidas, et, Nõ dicas falsum testimoniũ. At dices. quid? an non licet ueritatẽ de proximo dicere? quod dico de proximo ueritas est, et uidi ipse his oculis factũ: an ueritatẽ dicere est occidere, et falsum testimoniũ dicere? Veritas certè cõmẽdãda et laudãda est: Sed an nõ et iusticia cõmendanda est? Iusticiæ aũt pars est punire et occidere latronẽ, aut suspẽdere furẽ. Finge igitur in medio fõro cõprehensum esse latronẽ aut furem, num liceret mihi sine uocatiõe accurrere, et sceleratum gladio perfõdere? Item, sceleratus astat ad curiã Senatoriam uinctus, & audit sententiam cõdemnationis, num, obsecro, licet mihi priuatim occidere sceleratũ, & præuenire officium carnificis? Et tamen iustum est, ut sceleratus occidatur. Sed hæc iusticiæ pars non est illegitimè facienda aut exequenda. Sic dicendũ est de obtrectatiõe: Etsi enim proximus certò designauit crimen, de quo loqueris, obtrectationis, tamen quia ueritas ista illegitimè dicitur, non est ueritas, sed crudelitas & impietas in proximum. Veritatem enim illegitimè dicere, à mẽdacio et peiurio coram Deo nihil differt, quod quidem ad hoc institutũ attinet. Et rectè facit magi-

ſtratus, qui pur- aliquoties obtrectatores et cõuici atores. Sed quid faciũt obtrectatores? quid aliud face rẽt, quàm q, ſeipſos cõĩciant in præſens piculũ. Chri ſtus. n. ait: Nolite iudicare ſeu condemnare, ne condẽ nemini. nã q alteri ſua bona malè interpretatur, aut mala diuulgat et amplificat, hic efficit ut ſimiliter de ipſo fiat, & ut ipſe ſimiliter ab omnibus iudicetur et condemnetur. Audiamus qualẽ orationem Dominicã precentur obtrectatores. Dicunt, remitte nobis debi ta noſtra, ſicut et nos remittimus debitorib. noſtris. In obtrectatore habet hæc oratio iſtam ſententiam: O Domine Deus noſter, ego nulli hoĩm parco, et aut bona eorũ malè interpretor, aut mala eorum diuul go & amplifico: igitur precor, ut idẽ mihi fiat, & tã dem ſatanæ tradar. Quid hac oratiõe horribilius? & tamen ſic orat obtrectator. Chriſtus nõ mentitur, cũ dicit: Et non condẽnabimini. Ergo obtrectator con dẽnabitur. Quid ergo faciendũ? Hoc et Chriſtus ipſe docet. Quid uides (inquit) feſtucam in oculo fratris & c. Nã unuſquiſq; habet tot mala domeſtica, ut ſi ea excutiat, nũquam habeat tranquillitatẽ, ſed ſemper occupatus eſt in expurgãdis ipſis. Quare obtrectã tor deſcendat in ſe, & curet ſua mala, ut coram Deo inueniat remiſſionẽ & liberationem. Hæc de obtre ctatione. Nũc audiamus etiam pauca de impoſturis.

Impoſtura. Sicut. n. in colloquĩs uulgata eſt obtrectatio, ita in cõ tractibus ciuilibus frequens eſt impoſtura: oĩa plena

ſunt

sunt nugis et imposturis. In ponderibus & mensuris suæ sunt deceptiones. De his Christus ait: Date & dabitur uobis, mensurã bonam etc. Qua mẽsura mensi fueritis etc. In Decalogo extat Lex, Non fureris. Homines aũt putant hoc tantum furtum esse, si quis noctu ingrediatur in alienã domum, et surripiat res eius. At Christus docet hoc loco, q etiam furtum sit, dare iniquam mensuram aut pondus. Res. n. furto accepta ita maledicta est à Domino, ut etiã reliquas opes maledicat. Iã, non solum illæ res, quæ noctu clam surreptæ sunt, maledicunt reliquas opes furis, sed etiam hæ quæ imposturis & iniquis ponderibus acquiruntur. Quare iurè censentur furti nomĩe. Rarò suspẽduntur impostores, sed seueriſsima est sententia spiritus sancti: fures non hæreditabunt regnum Dei. Si non deterrentur impostores hac seueritate, audiant saltem sententiam Christi in hoc loco: Qua mensura inquit Christus, mẽsi fueritis etc. Tu cupis ut multas diuitias acquiras, quid igitur facis? Cur non imis uerã rationem? nã cum decipis proximũ, teipsum decipis. Quare abundans mensura danda est, ut & abundantem recipias. In Amos ca. 8. Imminuamus, dicunt, mẽsuram et augeamus siclum. sed uiciſsim audiunt. Nunquid super isto non commouebitur terra, et lugebit oĩs habitator eius. Vera autem ratio congregandi diuitias est ea, quam Christus hoc loco docet, Mensurã bonam etc. Quia iusti benedicentur, iuxta promiſsio

nes Dei. Dices, decipiam homines donec diues factus fuero, postea resipiscam, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris. Sed audi: Christus mortuus est pro peccatis nostris, et recipit semper pœnitentem, sed uide num tempus resipiscendi tibi concedatur. Item ad pœnitentiam exigitur, ut etiam restituas ablata. Quid igitur prosunt opes impostoris partæ, quæ & maledictæ sunt, & restitui debent? Caue igitur ab impostoris, & obsequere diuinæ uocationi in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

ALIA HOMILIA HABITA anno 1553.

HOdiernum Euangelium est particula eius concionis, quam Christus instituit de interpretatione Decalogi, ac præsertim secundæ tabulæ, cuius epitome est: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Nam uarij erãt errores de sensu huius legis. Alij dicebant, nomine proximi intelligendum esse tantum amicum & benefactorẽ, cui esset benefaciendum, non autem inimicum et aduersarium, quem liceret odisse & ei malefacere. Alij sentiunt ea quæ dicuntur de benefaciendo inimicis & hostibus, esse tantum consilium, non præceptum. Itaq; multipliciter erratum est in expositione huius legis. Christus igitur, & si uenerit ad adnunciandum

Euangelium,

Euangelium, non ad ferendam legem, tamen suscipit ueterem legem interpretandam, ut ostensione peccati, quod per legem reuelatur, excitet homines ad audiendum eam, & credendum ei. Suscipiemus autem partes huius pericopes, quam recitauimus. Prima. Estote misericordes &c. Hæc est una pars interpretationis huius dicti, Diliges proximum sicut teipsum. Diligere enim proximum, est non tantum ei fauere corde, sed etiam misericordiam ei exhibere, hoc est, benefacere ei operibus. Cui autem proximo? num amico tantum? Non huic tantum, sed etiam inimico, Hoc enim docet appendix, sicut Pater (inquit) uester misericors est. Quomodo autem Pater cœlestis sit misericors, hoc & apud Matthæum & Lucam hoc loco exponitur. Pater enim cœlestis non tantum finit solem suum oriri super bonos, sed etiam super malos: nec mittit pluuiam tantum super agrum iusti, sed etiam super agrum iniusti. Sic exponitur hæc Lex (uidelicet quòd per nomen proximi intelligatur non tantum amicus, sed etiam inimicus) Lucæ decimo, de Samaritano beneficiente Iudæo, &c. Et Paulus Romanorum duodecimo, & Prouerbiorum capite uigesimoquinto: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, pota illum, &c. Noli uinci à malo, sed uince malum bono. Nec est noua interpretatio, sed uetus. Exod. 23. Et Deuteronomij uigesimo secundo, Si occurreris oui aut boui erranti, aut sub

Diligere proximum quid sit.

onere iacenti &c. Itaq; nihil certius est, quàm quod in hac lege, Diliges proximum sicut teipsum, intelligendum sit, q. debeamus benefacere tã amico quàm inimico. Et addit etiã Christus rationem huius explicationis: nam si beneferitis (inquit) tantum amico, quæ gratia? Hoc enim & publicani et gentes faciũt. Populus aũt Dei debet maiorẽ habere iusticiã, quàm gentes, quare debent etiam inimico benefacere. Grauis, inquis, Lex, quis potest ei obedire & satisfacere? Vnde & nonnulli dixerunt esse magis consilium, quàm præceptum. Sed hic est horribilis error. Est. n. manifestum præceptum Domini, & seueriſsima lex, quam nisi præstiterimus, salui esse nõ poterimus. Sic enim dcit Christus apud Mat. 5. Nisi iusticia uestra abundauerit etc, non intrabitis in regnũ cœlorum. Item: Donec transeat cœlum & terra, iota aut unus apex non præteribit & c. Et: omnis qui audit uerba hæc, & nõ facit ea, similis est uiro stulto etc. Quare hæc Lex de diligendo et benefaciendo inimico est seueriſsimum præceptum, et ab omnibus exigitur sub pœna perpetuæ damnationis. Ergo (inquies) oẽs homines sunt damnati, nullus. n. hominum potest hanc legem seruare? Ac siquidem naturã humanam respicis, non est poſsibile carni, ut hanc legem faciat, et diligat inimicum ex animo. Vix à carne impetrari potest, ut diligat amicũ & benefaciat benefactori. Nõ inter hoĩes inuenti sunt multi, qui nec amicis quidem

&

& benefactoribus benefaciunt, sed pro beneficijs rependunt malefacta. Ingēs est hominum ingratitudo, non tantum alienorum, sed etiā liberorum erga parentes, fratrum erga sorores. Si autem respicias gratiam seu donum spiritus sancti, & si sancti incipiunt huic legi obedire, tamen ne sic quidem perfectè eam implent. Moses petijt pro suis, qui ipsum aliquoties lapidare conabātur, deleri ex libro uitæ. Stephanus orauit pro inimicis. Paulus uoluit anathema esse pro capitalibus suis hostibus. Hæc quidem sunt cōmendatione digna, et dona spiritus sancti, sed ne sic quidem perfectè impleuerunt hanc legē, Necesse habuerunt dicere: Non intres in iudiciū cum seruo tuo, quia nō iustificabitur in cōspectu tuo omnis uiuens. Et: si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Ad quid igitur hæc Lex data est, si nec natura, nec dono spiritus sancti in hac uita perfectè operibus nostris impleri potest? Data est in hunc usum, ut ex ea discamus cognoscere peccatum, & damnationem nostram, ut excitemur ad quærēdum & inuestigandum Christū, qui nos sola gratia et nullo nostro merito saluet, & faciat ut uerè seruemus hanc legem. Quomodo hoc fiet? Sic scilicet fiet. Christus per fidem acceptus, Primùm impetrat nobis coram Deo remißionem peccati nostri, & efficit, ut etiamsi non impleuerimus hanc legem, non imputetur nobis ea præuaricatio corā tribunali Dei. Deinde donat no-

Legis de diligendo proximo usus & impletio.

bis suam iusticiam. Ipse.n. impleuit hanc legem perfectissimè, Mortuus est pro inimicis suis, in tantum dilexit eos. Hæc iusticia Christi est meritum nostrum, quo possumus coram Deo confidere, & gloriari aduersus iudicium condemnationis. Postremò dat nobis spiritum sanctum, ut habeamus uires inchoandæ obedientiæ huius Legis, & si non possimus perfectè obedire, tamen obedientia inchoanda, & in ea perseuerandum est. Nequaquam.n. licet nobis odisse inimicum. Et habemus exempla piorum, quæ suprà enumerata sunt, q. auxilio spiritus sancti possimus hanc legem incipere seruare. Quæ obedientia etsi non est perfecta in hac uita, tamen placet Deo propter Christum nobis donatum. Sicut enim parens delectatur infantis sui qualicunq; incessu. tantummodo non sit prorsus claudus & truncus: ita & Deus delectatur nostra obedientia, & si non sit perfecta, tantummodo ne omnino simus inobedientes. Quare ad obediẽdum huic legi suscipiamus Christum per fidem, ut inflammet corda nostra dilectione proximi etiam inimici. Habes ergo hîc præcipuũ cultum Dei, qui à nobis exigitur: nã alij cultus, qui à nobis excogitãtur, sunt admodum pueriles, uidelicet, sexta feria nõ abscindere ungues in honorem Paßionis Christi, uel à sexta feria usq; ad diem Paschæ nihil edere. Tales cultus possunt etiam impij præstare. A nobis aũt requiritur aliquid maius, & tale, quod impij nec præstãt

nec

nec præstare uolunt, Scilicet, ut benefaciamus etiã inimico. Secunda pars: Nolite iudicare (inquit) Nolite condemnare, Dimittite, &c. Sunt et hæ particulæ interpretationes huius legis, Diliges proximum tuum. Qui. n. ex animo diligit proximum, adeoq; inimicum, is non traducit eum, non malè de ipso loquitur, nõ damnat eum scelerũ, nec ulciscitur semetipsum, sed condonat ei omnia delicta. Charitas (inquit Paulus) non cogitat malum, oĩa credit, omnia sperat, patiens est, benigna est. Quid ergo, inquies? Si nõ licet proximum iudicare aut damnare, sed remittendum est peccatum, ubi manet magistratus officiũ? ubi parentum uocatio? ubi etiam Christianorum omnium, qui necesse habẽt fateri omnes alienos à fide Christi esse damnatos? Respondeo. Non dicitur hìc de singulari officio magistratus, parentum et aliorum. Magistratus. n. debet ex officio nocentes iudicare & condemnare, ac etiã occidere pro sua legitima uocatione. Paterfamilias non debet remittere filijs suas præuaricationes, sed corrigere. Christianus quiuis debet omnes doctrinas damnare, quæ pugnant cum ueritate Euangelij. Hæ sunt singulares & personales uocationes, Sed hæ particulæ loquũtur de generali uocatione omnium hominum priuatim, et extra personalem uocationem. Imperiti enim, quia uident publicè homines iudicari & condemnari, uel furti uel aliorum scelerum, existimant sibi priuatim licere proxi

Traductio & damnatio proximi.

mos suos aliquoties etiam innocentes talium scelerũ traducere, iudicare et cõdemnare. Item, quia uident publicas leges uindicare iniuriam alicui illatam, existimant sibi priuatim licere de illata iniuria quibuslibet cõqueri, et uniuersum forum furiosis clamoribus aduersus proximũ implere. Sed hæc sunt grauissima peccata contra charitatem proximi, & cõtra legem dilectionis. Non loquimur aũt tantum de ijs traductionibus, iudicijs & condemnationibus, quæ solent designari uirulenter, et iniquè aduersus innocentes, sed etiam de ijs, quæ designantur aduersus nocentes. Nõ. n. est excusatio, quòd proximus uerè designauerit tale scelus, quale de ipso prædicatur, & q. qui eũ traducit, sciat se de proximo ueritatem dicere. Nam dicere ueritatem illegitimè & iniquè, nõ minus peccatũ est, quàm dicere mẽdaciũ. Sicut. n. male faceret, si quis furem priuata sua temeritate suspẽdat ex arbore, etiamsi fur ille meritus sit suspendium, ita male facit, qui illegitimè priuata temeritate in proximi scelus declamitat, sed charitas exigit, ut pro eo intercedat, et conferat operam suam, ut emendetur. Quomodo ergo obsequemur huic legi? Primùm si cognoscamus peccatum nostrum: deinde si crediderimus in Christum expiatorem peccati. Tunc enim Christus nobis donat suam iusticiam & spiritum sanctum, ut possimus proximi peccata tegere. Cogitandum est de Christo, q. ipse tegit peccata nostra coram Deo.

Cogitandum

Cogitandum est de Diabolo, q̃ qui proximum tradu
cit, socius est Diaboli. Cogitandum quod Iesus Sirach
dicit cap. 19. Si audisti uerbum aduersus proximum
tuum, commoriatur in te. Tertia pars: Date & dabi
tur uobis &c. Pertinet & hoc ad explicationem hu Impostura
ius dicti: Diliges proximum sicut teipsum, et est præ in contracti
cipuè intelligendũ de contractibus, qui constant mo bus nõ ditat.
dijs, mensuris, & ponderibus. Debet autem hæc sen
tentia nobis esse commendatissima. Omnes. n. homi
nes eo sunt ingenio, ut cupiãt ditescere: nam etiamsi
sunt diuites, cupiunt tamen diuitias suas augere, sed
interea eã eligunt uiam parandarum & augendarũ
diuitiarum, qua potius ad paupertatem, quàm ad di
uitias perueniunt. Student. n. diuitias comparare do
lis, nugis, imposturis, iniquis mensuris, ponderibus,
& alijs malis artibus. Hæc est compendiaria uia ad
paupertatem, non tantum spiritualem, sed etiã cor
poralem & mundanam. Quicquid. n. acquiritur ini
quitate contra uerbum & legem Dei, nõ potest esse
benedictum, sed est maledictũ, iuxta legem Deu. 28.
Si nõ audieris uerbum Domini Dei tui, maledictum
erit horreum tuum, maledictus ager tuus. Et Exod.
16. iubet Mose filios Israel cõgregare Manna, & ni
hil relinquere usq; ad mane, sed Israelitæ reseruabãt
aliquid contra uerbum Dei. Quare quod reseruatũ
erat, computrescebat & scatebat uermibus. Hæc con
cio pertinet ad omnes impostores. Prouerb. 11. State

ra dolosa abominatio Domino. Idē 20. Pōdus et pon dus, utrūq; abominatio Domino. Ibidē: Dulcis est pa nis furāti. Mich. 6. An nō deberē trasci propter opes iniquè partas in domo impij? etc. Ideo incipiā te affli gere. Comedes et non saturaberis etc. Significat Pro pheta, q̄ qui in domū suā infert opes iniquè partas, perinde faciat ac si inferat ignē in domum suam, quo cōsumantur oīa in domo etc. An non insanū & furio sum esset ignem suæ propriæ domui inferre? Quare hæc uia nō est recta uia ad parandas diuitias, sed illa uia rectà ducit ad diuitias, quam præscribit Christus in hodierno Euangelio. Docet. n. dandam esse iustā, abundantem & confertam mensuram. Et addit pro missionem: Dabitur uobis etc. Et: Qua mensura &c. Multæ sunt aliæ similes promissiones, sed istæ nunc sufficiant, q̄a os Domini locutū est. Videtur quidē cō tra humanam rationē, sed non est contra diuinam ra tionē: nam si quis dederit iustā mēsuram, obsequitur Domino, et consequitur benedictionem eius. Benedi ctio autem Domini diuites facit. Deut. 24. Si reliquer is manipulum in agro, in olea, in uinea, &c. Vt be nedicat tibi Dominus in omnibus operibus manuum tuarum. Quare qui uoluerit fieri dives, necesse ha bet eam uiam ambulare, quā Christus hoc loco ostem dit. Reliqua sunt et alia explicanda in hodierno tex tu, sed differemus in aliud tempus, nunc rogabimus Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut Spiritu

sancto

sancto suo nos donet, cuius uirtute et auxilio ea quæ nũc nobis proposita sunt præstare possimus. Amen.

DOMINICA V. POST TRINITATIS, *Euangelium Lucæ 5.*



FActum est autẽ cum turba irrueret ad eũ, ut audiret uerbũ dei. Et ipse stabat secus stagnũ Genesareth. Et uidit duas naues stãtes secus stagnũ. Piscatores aũt

descenderant,& lauabant retia. Ascendens autem in unam nauim, quę erat Simonis, rogauit eũ ut à terra reduceret pusillum. Et sedẽs docebat de nauicula turbas.

Vt cessauit autẽ loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. Et respõdens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborãtes, nihil cepimus: in uerbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, cõclusserunt piscium multitudinem copiosam. Rũpebatur enim rete eorum. Et innuerunt socijs, qui erant in alia naui, ut uenirent & adiuuarent se. Et uenerunt, & impleuerũt ambas nauiculas, ita ut mergerentur. Quod cum uideret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicẽs: Exi à me Domine, quia homo peccator

cator sum: Stupor. n. circumdederat eum, & oēs qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperāt. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erāt socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, posthac homines capies. Et subductis ad terram nauibus, relictis oibus, secuti sunt eū.

HOMILIA PRIMA, DE PISCATURA, habita anno 1537.

IN hoc Euangelio cōtinentur præcipuè duo illustria miracula. Alterū est, q. ad uerbum Christi Petrus tantam piscium multitudinē concludit ut rumpatur rete. Alterū, q. ad uerbū Christi, Petrus, Ioannes & Iacobus, relictis omnibus, sequantur ipsum. Interea sparguntur etiam non nulla alia in pericopa huius Euāgelij, quæ ad formandam fidem, & uitam nostram plurimū momenti habēt. Explicationem igitur harū rerum diligenter obseruemus. Factum est, ut turba immineret Christo ut audiret uerbum Dei, Ipse uero stabat iuxta stagnū Genezareth, ubi cū uidisset duas naues, ingressus in

Suggestipræ dicatorij fortuna.

unam quæ erat Simõis Petri, cõcionabatur è naui ad uulgũ in littore stantẽ. Primum oĩm admiratiõe dignus est concionis locus, quẽ suggestũ uocant. Christus è naui cõcionatur, uidelicet, ut pspicuè abũbraret fortunã suggesti, seu ministerij prædicatiõis Euãgelicæ in hoc seculo. Vt n. nauis in mari uarijs fluctibus cõcutitur, et hinc inde iactatur, ita ministerium Euangelij uarijs aduersis ĩ hoc seculo affligitur. Nũc n. persecutionẽ patitur ab Hæreticis, nũc à Tyrannis, nũc à Pseudochristianis, breuiter ab amicis et inimicis, adeoq; illud uerè ministris Euãgelij accidit, quod Christus ad apostolos dixit: Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporũ. Deinde, quid Christus è naui cõcionatus sit, paucis indicat Euãgelista, cũ addit de uulgo, ut audiret uerbũ Dei. Verbum aũt Dei est aut lex aut Euangeliũ. Quare significat, Christũ admonuisse auditores ad respiscẽtiã, hoc est, agnitionẽ pctõrum, fidẽ, et opera charitatis. Hoc. n. Christus nunquã nõ inculcauit. Sed festinat Lucas ad narrationẽ miraculi editi in captura piscium. Nã cũ Christus finisset concionẽ, monuit Petrũ, ut nauim in altũ duceret. Et ex uerbo Christi Petrus ingentẽ cõcludit multitudinẽ piscium etc. Hoc miraculũ diligentißimè obseruãdum est: habet n. maximas utilitates. Principio n. sicut oĩa miracula Christi, ita et hoc miraculũ cõfirmat ueritatẽ cõcionum Christi. Nõ confirmat quidẽ immediatè Iesum esse Christum, quia etiã prophe

tæ ediderũt miracula, ac ſuſcitârunt quoq; mortuos, Miraculorũ
nõ tamẽ fuerunt ipſi Chriſtus. Cõfirmat aũt hoc Chri ratio.
ſti miraculũ, q; concio eius uera ſit. Etenim quẽadmo
dum in ciuilibus legationibus, quo excellẽtius eſt ne
gocium, eo certioribus egẽt legati literis fidei, quas
uocant Credentiæ, quibus cõparent ſibi autoritatem
et fidem: ita & in cœleſtibus legationibus, ſolẽne eſt
Deo addere legatis ſuis literas fidei, quibus uerba le
gatiõis cõfirmẽtur. Literæ autẽ fidei, quas Deus dat
Legatis ſuis, nõ ſunt cõfictæ è papyro, atramento, et
rubea cera, ſed ſunt miracula quæ eduntur uirtute
ſpũs ſancti. Sic Moſe miſſus ad liberandos Iſraelitas
ex Aegypto, & inſtituendã remp. in Iſrael, pro lite
ris credentiæ attulit miracula, quẽadmodum in Exo
do ſcribitur. Sic prophetæ Elias et Eliza miſi diuini
tus ad reformãdum ſtatum imperij Iſraelitici, attule
rũt pro literis fidei miracula, quæ deſcripta ſunt in
3. et. 4. Reg. Nõ fuit autẽ maior legatio è cœlis in ter
ram, quàm ea qua miſſus eſt unigenitus filius Dei, ut
eſſet Meßias & ſeruator ac liberator humani gene
ris. Attulit igitur et ipſe ſecum donum edẽdorum mi
raculorum, ut haberet literas credentiæ, et cõfirma
ret ſuas conciones, quibus prædicabat ſe eſſe uerum
Chriſtum filium Dei. Ioan. 14. Credite mihi, q. ego in
patre, & pater in me eſt: alioqui propter ipſa facta
credite mihi. Et Ioã. 5. Opera quæ dedit mihi pater,
ut perficiam ea, ipſa (inq;) opera teſtificãtur de me,

q; Pater miserit me. Et hæc est prima huius miraculi utilitas, quam habet cõmunem cũ oĩbus alĳs miraculis à Christo editis. Altera utilitas est priuata. Admonet.n.nos, ut oĩa negocia nostra faciamus noĩe Dei, hoc est, ex mandato, uoluntate & præscripto uerbi Dei, et cõfirmat, q; oĩa quæ ita faciamus, fausta, fœlicia, et benè sint. Hic.n. est præcipuè scopus noster in oĩbus actiõibus nostris: hoc opus, hic labor est, ut quæ agimus, prosperè eueniãt, & habeãt benedictionem Dei. Qui discit artificiũ, spe benedictiõis discit: Qui discit literas, spe diuinæ benedictionis discit. Qui colit agrum aut uineam, spe fœlicis, ut uocant, fortunæ colit. Qui exercet mercaturam, facit id spe boni incrementi: adeoq; in oĩbus tã publicis quàm priuatis negocĳs hoc unũ spectatur, ut benè cedat et fortunetur. Hoc ergo miraculum docet, quomodo nos gerere, & quomodo negocia nostra incipere debeamus, ut habeamus fœlicem eorum fortunam. Vide.n. mihi Petrum: is unà cum sociĳs laborauit totã noctem, sed nihil cepit: cùm autẽ laxasset retia ex mandato Christi, tantam concludit multitudinem piscium, ut penè rumperetur rete. Ingens fuisse miraculum testãtur circũstantiæ, frustraneus labor totius noctis, ruptio retis, conuocatio sociorum ex alia naui, stupor Petri & aliorum, & repentina derelictio omnium bonorum, & obedientia qua uerbo Christi obediunt. Hæc oĩa testantur miraculi grãditatem. Docemur igitur

hoc

hoc miraculo, q̃ absq; Christo, hoc est, uerbo Dei laborare infœlix sit. In uerbo autem, hoc est, ex præcepto, mandato, et uoluntate Dei laborare, longe oĩm fortunatißimũ sit. Exẽpli gratia, Si artifex cogitet, Deus ordinauit & præcepit mihi, ut exerceam artificiũ, in mandato igitur eius laborabo. si studiosus cogitet, Deus præcepit mihi ut dem operã literis, faciã igitur quod Deus iubet. Non solet publico more angelũ mittere, sed ordinauit parentes & magistratus et præceptores, per hos iubet quid agere debeamus, et si ex illorũ præscripto genus uitæ honestũ capeßimus, tũc certi esse debemus, nos ad illud diuina ordinatione uocatos: quare si hoc aĩo capeßimus, q̃ sit diuina ordinatione nobis demandatum, certißima est benedictio Dei, et incrementũ eius, etiãsi non statim uideatur benedictio, sicut Petrus per totam noctem nullum incrementum laboris uidet. Nã in tali negocio, quod ex mãdato Dei suscipitur, Deus præsto ipse adest, non. n. derelinquit Deus uerbũ suum. In principio (inquit) erat uerbũ, et uerbũ erat apud Deum, et Deus erat uerbũ. Quod etsi dictum sit de æterno uerbo, quod est filius Dei, tamẽ quia externũ uerbũ Dei exprimit uoluntatẽ diuinã, certũ est, q̃ & illud uerbũ sit apud Deũ, et nunquam à Deo derelinquatur. Vbi autem Deus fauore suo præsto adest, quæ ibi posset esse maledictio? quid ibi benedictionis non cõsequeretur? Si Deus pro nobis (inquit Paulus) quis cã

Absq; uerbo Dei laborãs infœlix est.

tra nos? Et psal. 22. Si ambulauero in medio umbræ mortis, nõ timebo mala, quoniã tu mecũ es. Si in ipsa morte est benedictio præsente Deo, qũo nõ esset etiã benedictio ĩ negocijs autore Deo susceptis? Accedũt huc promissiones. Deut. 28. Si audieris uerbũ Dei, et obedieris, benedictus eris in ciuitate, benedictus in agro etc. Et psal. 111. Beatus uir, q̃ timet Dominum, in mandatis eius uolet nimis. Potẽs in terra erit semen eius, generatio rectorũ benedicetur. Sed et miracula obseruanda sunt, quæ sunt ueluti cœlestia sigilla, q̃ quæ suscipiuntur autore Deo, & mãdato uerbo eius benedicta sunt. Exo. 14. iubet Deus Israelitas proficisci p̃ mediũ mare rubrũ: proficiscuntur et seruãtur. Ios. 6. iubet Deus Israelitas septies circũire Iericho, circũierunt, et oĩa fœlicissimè procedũt. Idẽ habes de Gideõ Iud. 7. Sed quid multa? præsens hoc miraculũ in captura Petri gestũ idẽ perspicuè et diserte cõfirmat. Quare demus operã, ut oĩa ex præscripto uerbi Dei agamus. Quĩ ergo fit q̃ conatus et opa piorũ sæpenumero sunt infœlicissima, impiorum aũt fœlicissima? De hac re nuper disseruimus. Instituit quidẽ Deus hãc ordinationẽ, q̃ pijs debeãt oĩa fœlicia succedere, impijs aũt infœlicia, sed satã turbat hãc ordinationem, attamẽ Deus aduersus satanã alio astu utitur, et efficit, ut quod uideatur maledictio sit benedictio, et quod uideatur benedictio sit maledictio. Vt Ioseph obsequebatur patri, et proficiscebatur ad fratres. Illi autem

Piorum conatus cur in fœlices sæpe.

aũt uendebant eum, instinctu satanæ, sed Deus uertit in benedictionem. Sic de Dauide, sic de apostolis etc. quorũ maledictiões uersæ sunt in benedictiões. Sẽper igitur laborãdũ est ex præscripto uerbi Dei, ut habeamus benedictiones et incremẽta Dei, nec debemus auerti afflictionibus. Habemus miraculũ capturæ piscium. Quid ad hæc Petrus? Obstupescit et ait: Discede à me Domine, qa homo peccator sum. Quid hoc est? Petrus potius debuisset dicere: Veni ad me Domine, quia peccator sum, sed hanc uocem extorquet agnitio peccati & ignis inferni. Nam Petrus (iuxta canticum Annæ matris Samuelis) deductus est in hac nau ad infernum, & iterũ reductus est in cælũ. Ex magnitudine maiestatis Christi cõiectus est in ignẽ inferni, quia cognouit peccata sua, sed promissione Christi iterum reductus est in cælum Posthac (inquit) homines capies. Habemus igitur in Petro exemplum solennis Dei cõsuetudinis in saluandis hominibus. Primum n. Simon conijcitur in conscientia in ignes inferni, foris autẽ in uarias afflictiones, & in mortem: postea aũt reducitur per Euãgelium in cæleste gaudium, & liberatur ex omnibus afflictionibus. Discamus & prudentiam, ex imprudẽtia Petri. Aliena fruamur insania: In peccatorum enim agnitione cõprehensi non dicamus cum Petro: Exi Domine, quia peccator sum, sed dicamus: ueni Domine. Imitemur prudentiam mulieris Chananææ Mat. decimoquinto.

Nam Christus propter peccatores missus est in hanc terram. 1. Timot. cap. 1. Secundum miraculũ est, q̃ ad uocem Christi, statim Petrus, Andreas, Ioannes et Iacobus, relictis omnibus, secuti sunt eum. Exemplũ est ingentis fidei & obedientiæ. Ex uno miraculo, & uno uerbo cõmoti, omnia relinquunt: nos tot obruti miraculis & uerbis, ne in minimo quidem obsequimur. Quid ergo? Relinquemus et nos omnia, & præsertim piscatores? Necesse ne fuerit, ut ad exemplũ Petri relinquant retia sua? Hoc quidem exemplum Petri non exigit, sed exigit tantam obedientiã in sua cuiusq; uocatione, quantam præstitit Petrus in sua. Nam ut in corpore humano diuersa sunt mẽbra, & uniuscuiusq; membri officia singularia: ita in corpore Christi, aliæ sunt aliorum uocationes. Ioannes Baptista habuit hanc uocationem, ut uiueret in deserto: alius habet uocationem ut uiuat in urbe. Petrus habuit uocationem, ut derelinquat rete, alius habet uocationem, ut reti laboret, & res familiares curet. Et ante Christum, Abraham habuit uocationem occidendi seu offerendi filium, alij habent uocationẽ ut educent filios: unusquisq; igitur maneat in sua uocatione, & sumat exemplum à Petro, & alijs Apostolis. Sicut enim illi obedierũt Deo in piscatura, ita obedierunt ei postea in relinquenda piscatura, & prædicando Euangelio. Quòd si hoc fecerimus, iam nihil reliquum erit, quàm ut unà cum Petro etiam

Vocationum diuersitas.

fruamur

fruamur æterna fœlicitate, per Iesum Christum Dominũ nostrum, q̃ est Deus laudãdus in secula, Amen.

HOMILIA II. DE CAPTVRA PIscium à Petro facta, habita anno 1542.



Vlta nos docet hodiernum Euangelion, quod est de captura piscium à petro facta, nos præcipua tantum nunc perstringemus, inter quæ hoc diligenter considerandum est, quid sibi uelit hoc miraculum, q̃ cùm Petrus & socij eius per totam noctem frustra laborassent, nec quicquã piscium cepissent, ad uerbum tamẽ Christi capiunt ingentem multitudinem piscium, ita ut rete rumpere tur. Hoc. n. miraculum non est tantum editum propter Petrum & collegas eius, nec propter ipsos tantum mandatum est literis, sed maximè omnium propter uniuersam ecclesiã. Videamus igitur quid utilitatis afferat Ecclesiæ. Nam præter generalem illam utilitatem, quòd sit confirmatio ueritatis doctrinæ Euangelicæ, sicut omnia alia miracula Christi, promittit hoc miraculũ unicuiq; in uocatione, et labore suo diuinam benedictionem, si ex fide susceperit laborẽ: & hortatur unumquemq;, ut in uocatione sua usq; ad finẽ diligenter perseueret. Hæc doctrina nobis omnibus ualde necessaria est: unusquisq; enim habet suam uocationẽ & laborem (loquor aũt de legitima uocatione) sed cùm sentit se nullã consequi bene

Vocatio legitima benedicta est.

dictionem, nec ullum percipere commodum, ibi tum cogitat de abijcienda sua uocatione, & alio uitæ genere sectãdo. Ac planè idem facere solemus, quod uidemus Petrum & socios eius in hodierno Euãgelio facere. Nam cùm per totam noctem laborassent, nec quicquam cepissent, desperant de captura pisciũ, descendunt in terram, lauãt retia, nihil amplius eo die laboraturi, propterea q; uidebant euentum non respondere labori. Idem etiam alij homines facere solent. Exempli gratia. Est quispiã qui fungitur magistratu, is quia uidet non posse tranquillitatem constituí, subducit naues suas ad littus, & lauat retia, hoc est, abdicat se magistratu. Alius quispiam exercet opificium, et cùm sentit se uix posse consequi ex eo uictum quotidianum, subducit & ipse naues ad littus, & lauat retia, hoc est, abijcit opificium, & quærit aliam rationem qua se nutriat, siue iustè siue iniustè. Alius est maritus, & non habet in coniugio aliquam fœlicitatem, optat igitur mortem aut cœlibatum. Adeoq; nemo sua sorte contentus est, præsertim cùm per totam noctẽ laborauerit, & nihil commodi assequatur. Sed miraculum hodierni Euangelij longè alia consilia nos capere docet: nam cùm nullum sentimus commodum in nostra uocatione & labore, non debemus cõsilia suscipere de abijcienda et relinquenda uocatione, sed primum omnium cogitãdum & discẽdum est, quale sit genus uitæ quod sectamur, num

sit

sit honestū & à Deo ordinatum? Sunt enim multa uitæ genera, quæ Deus non approbat, & quæ merito nullam debent habere fœlicitatem, quale est, imposturis operam dare, scortationem sectari, prædonē & epulonem agere. Tale igitur uitæ genus omnimo derelinquēdum est. Deinde si genus uitæ quod sectamur honestum & à Deo ordinatum fuerit, non est cogitandum de eo relinquendo, si nulla affulgeat fortuna, sed diligenter est pergendum in eo, & cum Petro dicendum: Etsi laborauimus frustra per totā noctē, tamen tuo iussu laxabo rete. hoc est, etsi nullam hactenus consecutus sum benedictionem ex labore meo, tamen quia intelligo hoc genus uitæ, quod diuina ordinatione suscepi, placere Deo, pergam in uocatione mea. Certissimum. n. est, q. Deus promiserit legitimo labori & uocationi suam benedictionem. Primùm (inquit Christus) quærite Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur uobis. Ante omnia seruite legitimæ uestræ uocationi diligenter, & nihil benedictiōis uobis deerit. Et Paulus ad Galatas: Quicquid homo seminauerit, hoc et metet. hoc est, unaquæq; legitima uocatio habet etiā suam benedictionē. Cùm autem loquimur de benedictione, non semper intelligendū est de externa, sed de uera & spirituali benedictione. Quicquid enim est diuinarum promissionum in Euangelio Christi, hoc intelligēdum est pro ratione Regni Christi, quod non est de hoc mundo,

Benedictio duplex.

Etsi enim euentus non semper respondet labori in hoc seculo, aliud tamen seculum est, in quo omnia respondebunt suis laboribus. Nam iustè & piè agere semper habet suam benedictionem repositam, ea si non reuelatur in hoc seculo, certè in futuro reuelabitur. Mose diligenter functus est suo officio, & cùm nõ fœliciter succederet, sæpe cogitauit de relinquenda sua uocatione, sed detentus à Domino perrexit, cùm autem non consequeretur externam benedictionem laboris sui in hoc seculo, quia mortuus est in deserto, priusquàm perueniret ad terram Canaan, consecutus est eã in futuro seculo, quia rectè agere semper habet suam benedictionem. Idem exemplum habes in Paulo, qui cùm diligentißimè concionaretur Euangelium, alij auditores deficiebant ad Iudaismũ, alij ad gentilitatem. Nunquid ergo dereliquit uocationem suam? minimè, sed perrexit donec & ipse occisus fuit: consecutus igitur est benedictionẽ suam in futuro seculo. Vide & Lazarum, is patientißimè sustinebat sua aduersa (hæc enim erat uocatio eius) & tamẽ consequebatur benedictionem suam nõ nisi in futuro seculo. Videtur quidẽ perinde ac si aliquando frustra laboraremus, ac inuanum rectè ageremus, at tamen certißimum est, quòd honestum factum nõ careat sua benedictione. Agricola nisi aliquando frustra laboraret, nõ consequeretur fructum. Frustraneus autem labor uidetur aratio, seminatio & occatio,

lio, quia nondum apparet fructus, sed postea sequitur fructus: sic et in reliquis uocationibus fieri solet. Vide exēplum Petri. Nisi Petrus et socij eius per totam noctem laborassent, non cepissent tantam multitudinem piscium: non igitur frustra laborarunt, etiamsi uidebatur frustraneus labor. Quare perduremus in nostris legitimis uocationibus, & consequemur certissimam benedictionem, si non in hoc seculo, certe in futuro longè omnium maximam. Deinde est & hoc præcipuè in hodierno Euangelio considerandū, quid sibi uelit Petrus, quòd cùm tot pisces caperet, iusserit Christum à se exire. Accidit enim ad genua Iesu, et dicit: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Debuisset potius dixisse, Veni ad me, quia homo peccator sum. Et cùm nunc reijciat à se Christum, mox sequitur eum, relictis omnibus suis facultatibus. Quid sibi uult hæc uarietas? De hac re sic sentiēdum est. Quòd cū Petrus ait: Discede à me, quia homo peccator sum, loquitur, ut agnoscens magnitudinem peccatorum suorum. Cùm autem sequitur Christum, sequitur eum, ut agnoscens magnitudinem clementiæ & bonitatis Christi: & ut significantius, dicam, Petrus, ut nequam loquitur, agit autè ut decet pium, & obsequentem hominem. Nos solemus hoc aliquoties inuertere. Loquimur ut pij & boni, agimus autem ut impij & homines nihili. Contrà, Petrus loquitur ut nebulo, hoc est, ut agnoscens graui

Petrus reijciens Christum sequitur eum.

tatem peccatorum suorum et meritum damnationis suæ: qui enim sic affecti sunt, non possunt non fugere Deum aut abijcere eum: quia formidant seuerum iudicium eius. Sicut enim fur non libenter uidet iudicem, ita nec peccator Deum. Exemplum habes in Adamo, qui postquàm peccasset & uocaretur à Deo, fugit Deum. Hoc nobis agnatum est ab Adamo, ut agnoscentes peccata fugiamus Deum iudicẽ: non possumus autem effugere. Si ascẽdero (inquit Dauid) in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades. Quare agnoscentes peccatum, non fugiamus Deum, sed accedamus ad eum. Sed quomodo accedere possimus, discendum est exemplo Petri. Hic enim cùm reiecisset à se Christum, audit à Christo Euangeliũ: Ne metuas, posthac homines capies: ita et nos si uoluerimus accedere Deum, audiẽdum est Euangelion Christi, in quo promittitur nobis remissio peccatorum, hoc si fide acceperimus, possumus Deum accedere, & ueram salutem consequi. Summa hodierni Euangelij in hoc consistit, docet nos sectari uocationem nostram legitimam, & in agnitione peccatorum ad Deum accedere &c.

DOMI-



NIſi abūdauerit iuſtitia ueſtra pluſq̄ Scribarū et Phariſęorū, nō ītrabitis ī regnū cœlorū. Audiſtis, quia dictū eſt antiquis: Nō occides, qui aūt occiderit, reus erit iudicio. Ego aūt dico uobis, qa oīs qiraſcitur fratriſuo, reus erit iudicio. Qui aūt dixerit fratriſuo, Ra

cha, reus erit cõcilio. Qui aũt dixe rit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

Si ergo offers munus tuũ ad alta re, et ibi recordatus fueris, q̃ frater tuus habet aliq̃d aduersum te, reli q̃ ibi munus tuũ ante altare, et ua de prius recõciliare fratri tuo, et tũc ueniẽs offeras munus tuũ. Esto cõsentiẽs aduersario tuo citò, dũ es in uia cũ eo, ne forte tradat te aduer sarius tuus iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerẽ mittaris. Amen dico tibi, nõ exibis inde, do nec reddas nouissimũ quadrantẽ.

HOMILIA PRIMA, DE EX-

positione quinti præcepti Decalogi, habita anno 1537.

Vangelion quod recitauimus, sum ptum est è longa illa, sed pulcherri ma concione, quam Christus apud Matthæũ habuit in monte ad disci pulos suos, in qua cõcione Christus usurpat sibi officium Mosi & interpretatur Legẽ. Etsi

Etsi enim Lex perspicuè tradita erat à Mose, & à Prophetis clarissimè exposita, Pharisæi tamen traditionibus suis legem ita obscurauerant, ut nemo intelligere posset, quis esset uerus & legitimus usus atq; sensus legis. Christus autem elegit discipulos suos, ac præsertim apostolos, ut essent doctores totius orbis terrarum. Vnde uocat eos in hac concione salem terræ, & lucẽ mundi. Quare instituit ipsos in uero sensu Legis, ut prius rectè discant, quod alios doceant. Cùm igitur Christus explicaturus esset legem iuxta uerum & legitimũ eius intellectũ, reprehẽdit primum omnium falsam interpretationẽ Pharisæorum, & ficticiã eorum iusticiam, dicens: Dico uobis, Nisi abundauerit uestra iusticia plusquã Pharisæorum et Scribarum, non potestis ingredi in regnum cælorũ. Hoc uerbo reprehendit Christus tum doctrinã, tum uitam Pharisæorum. Docebant enim Legi satisfieri externis operibus. Exempli gratia. Cùm Lex diceret: Nõ occidas, sentiebant huic legi satisfactũ, si manu nõ occideris. Quòd si uero inuidia, uel uerbo aliquid mali intuleris proximo, iudicabant nõ esse uiolationẽ huius legis: Non occidas. Sic non furaberis, intelligebant tantum de manuũ furto, non de auaritia & impostura. Sic: Diliges proximum interpretabantur tantũ de amico & benefactore, nõ de inimico & malefactore, etmulta id genus. Quæ uero scripta fuerũt de sacrificijs, de decimis, ea scuerissimè urgebãt.

Viuebant etiam impiè. Nam dabant quidem operam ut externam haberent honestatem in cibis, in uestitu, in cærimonijs, sed interea scatebant maxima impietate erga Deum, et laborabant auaricia, inuidia, & pessimis quibusq; affectibus. Dicit ergo Christus: Nisi abundauerit iusticia uestra plusquàm Scribarũ, non potestis ingredi in regnum cœlorum. Regnũ cœlorum dicitur hoc loco officiũ prædicandi Euãgelij. Non potestis igitur boni concionatores fieri, nisi efficiamini & doctiores & iustiores Scribis & Pharisæis. Et ut doctiores reddantur, ac melius ad percipiendam ueram iusticiam præparentur, explicat eis aliquot capita legis, ut secundum ea etiam alia intelligant. Accipit autem primùm præmanibus legẽm Decalogo, de non occidendo. Audiuistis (inquiens) q. dictũ sit ueteribus: Non occidas, hoc est, Pharisæi exposuerunt hactenus legem ad hũc modũ, q. sit satisfactum ipsi, si quis manu non occiderit. At ego legẽ melius interpretabor uobis, & dico q. in hac lege non prohibeatur tantũ homicidiũ manus, sed etiã homicidium cordis, quod est inuida et maleuolens ira. Itẽ homicidium oris, quod est maledicẽtia & conuiciũ, adeoq; in hac lege præcipuè oĩm requiritur charitas quæ in tantũ exigitur, ut præ ea etiã omittẽda sit oblatio, & intermittendum sacrificiũ etc. Obseruandũ igitur est, q. sicut Pharisæi uehementer errarunt in exponenda lege, ita Sophistæ multo uehementius errarunt

Christi doctrina non consilium sed mandatum est.

rarunt in intelligenda hac concione, qua Christus legem interpretatur. Primùm enim sunt qui dixerũt, Christũ docere in hac cõcione non præcepta nos obligantia, sed tantũ consilia, quæ impunè liceat intermittere. Hic magnus est error. Christus enim non docet hìc cõsilia, sed seuerißima præcepta, quia quæ docet sunt expositio legis. De lege aũt paulò ante dicit: Amen dico uobis, donec prætereat cælũ & terra, iota unũ aut unus apex non præterierit ex lege, quoad oĩa facta fuerint. Ergo quæ Christus docet in hac concione, seuerißima sunt præcepta, ut testantur alia: nam Christus mox ait: Quicũq; soluerit unum ex mandatis hisce minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cælorũ. Hìc uides Christũ ipsum uocare doctrinã suam mandata. Et dicit eum minimum, hoc est, malum & non uerum concionatorem esse in ministerio regni cælorum, qui aliter de his mandatis sentiat & doceat. Præterea alijs quoq; uerbis muniuit, q. non sint consilia, sed præcepta, addit enim de ira, Obnoxius erit iudicio, quo explicatur externum genus mortis, quo homicidæ, aut adulteri affici solent. De maledicẽtia, Obnoxius erit cõcilio, quo explicatur pœna hæreticorũ, q. supant simpliciter sceleratos. De cõuicio additur, Obnoxius erit gehennæ incẽdio, quo explicatur horribilißima oĩm pœna, qua affici solent quos mundus iudicat cathar mata, uel significatur perpetua pœna ignis inferni.

Vbi autem decernitur pœna capitalis, et æternũ supplicium, ibi certè nõ est consilium, sed seuerissimum mandatum Dei. Quare quæ Christus hoc loco & in tota concione docet, sunt seuerissima Dei mandata. Alij sentiunt, Christum in hac concione docere nouã legem. Vnde dicunt, nouam legem multo grauiorem esse ueteri, quia in ueteri prohibitum tantum fit manus homicidium, in noua autem prohibetur etiã affectus & alia. Sed & hic est error longè omnium pernicioſissimus. Christus enim non uenit de cœlo ut nouam legem doceret, sed ut afferret Euangelion. Lex enim domini antea inscripta fuit humanæ rationi, et perfectissimè lata atq; conscripta est per Mosen, ac diligentissimè explicata per prophetas. Dicit enim Mose Deut. 30. de Lege sua: Considera q̃ proposuerim hodie in conspectu tuo uitam & bonum, mortẽ & malũ. Si autem non esset perfecta, non posset proponere uitam & mortem. Leuit. 18. Custodite leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo uiuet in eis. Ergo Lex per Mosen lata, est perfecta. Psalm. 18. Lex Domini immaculata cõuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiã præstans paruulis: Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, præceptũ Domini lucidum, illuminans oculos. Non aũt illuminaret oculos nisi esset perfectum. Quin & ipsas leges et earũ saltem capita considera, & uidebis legem esse perfectissimam. Dicitur. n. Diliges Dominũ Deum tuum ex

ex toto corde, ex tota anima &c. & proximũ sicut teipsum. Quid potest perfectius præcipi? Quare lex Domini perfectissima est. Et Christus nõ tulit in hac cõcione nouam legem, sed ea docuit, quæ antè in lege mandata & præcepta fuerunt. De ira. Gen. 4. Iratus est Cain in Abel, & statim arguitur & reprehenditur. Et Leui. 19. Non oderis fratrem tuum in corde tuo. De maledicentia. Psal. 36. Benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicẽtes aũt ei disperibunt. De uerbo ludibrij et deristõis, Iob. 12. Qui deridetur ab amico suo, inuocabit Deũ et exaudiet eum. 4. Reg. 2 Pueri ridẽt calui ciẽ Elizæ in Bethel, et habent eum pro stulto. Duo ergo ursi egrediuntur de sylua, et dilacerant magnam partem puerorum. Vide & legẽ, Dilige proximũ sicut teipsum. Quod tibi non uis fieri etc. Christus ergo non tulit nouam legem, sed ueterẽ tantũ explicuit. Postremò sunt alij, qui cùm audiant Christũ exigere opera legis, existimãt ea esse expiationem pro peccatis. Vnde orant, ieiunant, & dant eleemosynam (nam & hæc opera in hac cõcione explicantur) ut expient peccata sua meritis horũ operum. Sed & hic error perniciosissimus est, quia Christus solus est expiator peccatorum nostrorum. Quid ergo sibi uult hac conçione, si nec docet constlia, nec docet nouã legẽ, nec docet opera quibus pro peccatis satisfiat? Certè nihil aliud uult, quàm ut ueterem legem interpretetur, et ostendat nobis cõtra

sententiã Phariſæorum, quid lex à nobis exigat, exigit autem ut nõ tantum manu, ſed nec corde nec ore occidamus, Et ſi id fecerimus, obnoxij ſimus æternæ maledictioni. Hoc uult Chriſtus. Ergo omnes damnati ſumus, ſi ita ſeſe res habeat: quis enim tam purus eſt qui non commoueatur ira, aut interdum conuicijs aduerſus proximum? Hîc aduerte primum, hanc legem & eius expoſitionẽ eſſe generalem: inueniuntur tamen qui habeant perſonales prærogatiuas, ut liceat eis impunè occidere, ut magiſtratus: iraſci, ut parentes aduerſus peccãtes liberos, & dicere fatue, ut magiſter corrigẽs diſcipulum. Sic Chriſtus, ſic Paulus Galatas uocat ſtultos, ſed impunè. Hæ ſunt prærogatiuæ perſonales. Generaliter aũt prohibitum eſt. Deinde exponit Chriſtus hanc legem, ut reuelet nobis peccata ad damnationẽ noſtrã. Nullus enim eſt, etiamſi habeat prærogatiuam, qui non aduerſus hãc legem peccauerit. Ergo exponitur, ut in ea ueluti in tabula agnoſcamus peccata noſtra, & cogamur quærere remedium aduerſus peccata, ibi tum neminem inuenimus niſi Chriſtum. Inuento autem Chriſto per fidem donamur ſpiritu ſancto. Porro ſpiritus ſanctus affert ſecum iuſticiam, et operatur in nobis cor mundum, quantum fieri poteſt in carne, ut non ſolum manu non occidamus, ſed etiam candorem habeamus erga inimicum, & ambulemus in uocatione Dei. Hæc eſt expoſitio legis de homicidio, quæ proponitur

ponitur nobis, ut per eam ad Christum urgeamur, & in Christo consequamur remissionem peccatorũ, ut à peccatis cessemus, et uitam æternam habeamus, Amen.

HOMILIA SECVNDA, HABITA ANNO 1554.

TSi Filius Dei Dominus noster Iesus Christus nõ descendit præcipuè ob hanc causam de cœlo, ut in explicando Decalogo occuparetur. Erat enim Decalogus iam olim multis miraculis in monte Sinai promulgatus, & sententia eius clarè & perspicuè à Mose & Prophetis tradita, Ac principale officium Christi erat, Euangelion de remissione peccatorum adnunciare, tamen quia Decalogus erat iam multis annis per Pharisaicam doctrinam obscuratus, & per scribas legis interpretes deprauatè expositus, iudicauit Christus operæ precium esse, & ad explicationem Euangelij sui plurimum conducere, ut & ipse susciperet explicandum Decalogum iuxta sententiam spiritus sancti. Nam Scribæ & Pharisæi eius temporis, non admodum solliciti erant de uera sententia Decalogi, sed iudicabant ei satisfactum, si quis externo ritu non adoraret idolum manifestum, & non occideret hominem externo facto, nec furaretur ei pecuniã è cista:

Non requirebant idolatriam cordis, nec inuidiam et acerbam iram, nec auariciam aut impoſturam. Interea aũt magno ſupercilio docebant de decimatione anethi, cymini, de lotione manuum, & de alijs nugis & ineptijs. Quare filius Dei, qui uenerat ad docendam ueritatem, ſuſcepit ueram tradẽdam ſententiã Decalogi. Ob quam rem inſtituit celebrem illam cõcionem, quam habuit in monte, & quæ Matt. 5. 6. et 7. & Luc. 6. audiente ingenti hominum multitudine deſcripta eſt. Ex hac concione ſumpta eſt pericope, quæ hodierna Dominica publicè recitari ſolet, et cõtinet ueram interpretationem huius præcepti: Non occidas. Quare arrigendæ ſunt aures noſtræ, & diſcenda uera ſententia huius legis. Nam qui docet, nõ eſt ſimplex homo, ſed filius Dei: & quæ docet, non ſunt humana figmẽta, ſed cœleſtia oracula, et reſpõſa ſpiritus ſancti: & quæ docentur, obſeruatu neceſſaria ſunt. Dicit ergo: Niſi abundauerit iuſticia ueſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, nõ poteſtis ingredi in regnum cœlorum. hoc eſt, ſi uultis ingredi in regnũ cœlorũ, neceſſariũ eſt ut ſitis multo iuſtiores, quàm Scribæ & Phariſæi uos docẽt. Sed qa non omnia ſimul poſſunt explicari, ſumamus in præſentia unum tantum exẽplum, & unum præceptum Decalogi, et conferamus inter ſe explicationẽ Phariſaicam, & ueram ſententiam ſpiritus ſancti, ut cognoſcamus, quid in eo præcepto à nobis diuinitus exigatur

tur. Audiuistis q, dictum sit ueteribus: Non occidas, etc. Hoc præceptum Decalogi: Non occidas, ueteres Scribæ & Pharisæi sic interpretati sunt, perinde ac si in eo prohiberetur tãtum externum homicidium, & hoc tantum homicidium esset dignum publico iudicio, in quo de causis crimmalibus cognoscitur. Ego uero (inquit Christus) dico uobis, hoc est, lõgè aliter interpretor, quàm Scribæ interpretati sunt, nec affero nouã interpretationẽ, sed tantum ueterẽ Mosi & Prophetarum, quam scribæ obscurârunt. Audiamus igitur quomodo Christus hoc præceptum interpretetur, & quem ordinem seruet. Primò ait: Quisquis irascitur fratri suo etc. Nõ solum externum homicidium prohibetur, sed etiam ira aduersus proximum. Est. n. ira etiam genus homicidij dignum quod puniatur tali supplicio, quali puniri solet externum homicidium. Non fit autem hoc loco sermo de quauis ira: duplex enim est genus iræ. Alia est ira iusta et legitima, quæ accenditur diuino zelo aduersus scelera: sic Deus ipse irascitur aduersus peccata, sic parẽtes irascuntur cùm liberi peccãt, sic magistratus iratur aduersus sontes. Talis ira legitima in tantum non est peccatum coram Deo, ut si nõ fuerit satis uehemens, puniatur diuinitus. Eli non fuit uehemẽter iratus aduersus scelera filiorum suorũ, sed obiurgauit eos tantum leuiter, propterea necesse habuit subitanea morte perire, & è summo pontificatu cum

Præcepti quĩ ti explicatio.

Ira duplex.

uniuersa familia deijci. Saul non satis acriter iratus est Amalecitis, quia reseruauit regē & gregem, idcirco iudicatus fuit indignus regia dominatione, & audit: quia abiecisti sermonem Dei, abiecit te Deus ne sis rex. Sic ferè immittuntur nobis publica supplicia pestis, famis & belli, quibus indiscriminatim homines inuolui solent. Quam ob rem? quia etsi non omnes sunt ebriosi, impostores, adulteri, & huiusce modi scelerati, tamen non satis acriter & uehementer irascuntur his sceleribus. Si ebrius occurrerit, ridetur: si de scortatione sermo fuerit, cachinnatur: si de impostoris, animus exhilaratur: nec irasci solemus nisi detur nobis damnum. De damno non de scelere irascimur: necesse igitur habemus unà cum sceleratis obijci supplicio. De hac iusta et legitima ira, quæ sua etiā præmia habet, ut uides in Mose et Phinees, si fuerit ex diuino zelo, sua autem habet supplicia, si ex ignauia & neglectione pietatis nō fuerit satis uehemēs, nullus hìc fit sermo, sed fit sermo de ira crudeli, amarulenta, uenenata, inuida, et maleuola, quæ concipi solet non præcipuè erga scelera, sed erga hominē, quem iratus existimat sibi uel iniurium, uel detrimentosum esse, Qualis fuit ira Cain erga Abelem, Esau erga Iacob, Saulis erga Dauidem, Iudæ erga Christum, ac breuiter, qualis ferè solet esse oīm hominum carnalium ira. Et talis ira non est simplex peccatum, sed est genus homicidij cōprehensum

in

in hoc præcepto: Non occidas, & dignũ coram Deo tali supplicio, quale solet inferri externis homicidis. Leui. 18. Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Etsi aũt nõ sic punitur ofor in ciuili iudicio, sicut homicida, tamen coram Deo meretur ofor seu irascens fratri, eandem maledictionẽ. Dicitur enim: Qui nõ mãserit in oĩbus sermonibus legis huius, maledictus est: Et Cain arguitur ut homicida, etiamsi nõdum perpetrauerat homicidium. Gen. 4. Vnde & 1. Ioan. 3. dicitur: Oĩs qui odit fratrem suum, homicida est, et scitis q̃ nullus homicida habet uitam in se manentẽ. Habes primum genus homicidij. Deinde dicit: Quisquis dixerit fratri suo רקא &c. His uerbis comprehendit Christus secundum gnnus homicidij, quod est maledicentia, uidelicet si quis alteri imprecetur malũ, quale est, Pestilentia pereas, Passio Christi sit tua perditio, Subitanea morte intereas &c. quod genus maledicẽtiæ frequẽtissimum est inter homines. Etsi aũt uidetur peccatum leue, tamen dicitur hoc loco q̃ sit genus homicidij grauius quàm externũ homicidiũ: obnoxium: n. est συνεδρίῳ, hoc est, nõ simplici morti, sed horribili, qualis solet inferri blasphemis in Deum & hæreticis. Hic iterum obserua, q̃ non fiat sermo de maledicentia per spiritum sanctum excitata, sicut est ea maledicentia quæ scribitur Leuit. 26. & Deut. 28. Qualis etiam est maledicentia Noha erga Cham, et Elizei erga pueros derisores, et Petri erga

Maledicentia.

Ananiam et Sapphiram: Hæ enim maledicētiæ sunt opera spiritus sancti, Sed sit sermo de inuida & carnali maledicentia, qualis est inter homines usitata: hæc maledicentia est coram Deo non minus graue peccatum quàm externum homicidium. Vnde psal. 54. dicitur: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utiq;. Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo &c. Tu uero homo unanimis dux meus, & notus meus, qui simul dulces mecum capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Ibi apertè significat maledicentiã esse genus homicidij, quia additur, Veniat mors super illos, et descendãt in infernum uiuentes. hoc est, quia maledicunt, maledicentur & ipsi, & subitò interibunt. Et Psal. 56. Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. iterum significatur maledicentiam esse genus homicidij, quia linguã filiorum hominum gladios uocat. Quare in hoc præcepto: Non occidas, nõ tantum prohibetur externum homicidium, sed etiã maledicentia, uidelicet, ne alter alteri mali aliquid imprecetur. Præterea ait Christus: Quisquis dixerit fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Tertium genus homicidij est conuicium, seu uerbum contumeliosum, quale est, stultus, phãtasta, asinus, bubalus, spurius, & id genus alia. Est & hoc genus homicidij frequentissimũ inter homines, ac putatur leuissimũ, sed quo frequentius

Conuicium seu contumelia

frequentius eo grauius. Iudicatur enim dignum gehennæ ignis. Iam iterum considerandum est, q. non fiat sermo de licitis cõuicijs, quæ fiunt uel publica autoritate, uel singulari uocatione Dei, quale genus est, si parens uocet filium suum stultum aut asinum: nam & Christus uocauit discipulos suos stultos, O stulti & tardi corde ad credendum. Et Paulus: stulti Galatæ, Hæc conuicia pertinent ad amicas & iustas reprehensiones: sed fit sermo de amarulentis & odiosis conuicijs, qualia homines priuati priuata temeritate inter se usurpant. Hæc etsi uidentur tenuissima, tamen digna sunt æterno supplicio. 4. Regum 2. pueri parui illudunt Elizæo caluo. Ascende (inquiunt) calue &c. sed statim ueniunt duo ursi, et dilacerant. 42. pueros &c. 2. Regũ 16. Simei uocat Dauidem iam exulem, uirum sanguinum. Etsi autem Dauid ignoscit ei, tamen Deus tandẽ uindicat hanc ignominiam, & conijcit eum sub Salomone in mortem, sicut scriptum est. 3. Regum 2. Quare in hoc præcepto, Non occidas, prohibetur etiam conuicium, seu contumeliosum et ignominiosum uerbum. Quid plura? Si quis omnia homicidiorum genera, quæ in hoc præcepto sunt prohibita, enumerare & explicare uellet, dies eum deficeret. Confert igitur Christus ea in pauca, & dicit, hoc præcepto synceram dilectionem & charitatem erga amicos et inimicos tanta ueritate requiri, ut Deus malit carere suis sacrifi-

eijs, quàm conniuere ad odia & diſsidia. Cùm offers (inquit) munus tuum ad altare, et illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque illic munus tuũ corã altari, et abi ut prius reconcilieris fratri tuo: hoc est, Etsi sacrificia suo tempore fuerũt cultus Deo gratißimus, tamẽ Deus præfert ijs charitatem & dilectionem proximi. Oſe. 6. Misericordiam uolo & non sacrificium. Et Mich. 6. Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum? indicabo tibi ò homo quid sit bonum: Vtiq; diligere iudicium & misericordiam. Et sicut Deus maiult cedere de suis sacrificijs, quàm ferre odia et diſsidia: ita instituit etiam magistratum ciuilem, qui cogat homines, ut seruent inter se pacem, & alteri debita reddat: Esto (inquiens) consentiens cum aduersario tuo. Hoc est, Deus ad tuendam concordiam & mutuam solutionẽ debitorum, instituit regna & magistratus. Quare omnino necessaria est mutua dilectio & charitas: quòd si non seruetur, tunc peccatur aduersus hanc legem: Non occides, ideoq; obnoxij fiunt homines maledictioni externæ & æternæ. Vide mihi nunc, quale nos hoïes præbeamus spectaculũ Domino Deo nostro de cœlis prospicienti. Cùm enim Dominus prospiciat de cœlo (sicut Psalmus loquitur) super homines, quid quæso aliud uidet, cùm uidet multorum populorum ciuitatẽ, quàm magnã multitudinem (ut ita dicam) homicidarum? Omnes enim,

enim peccamus aduersus hanc legem: Non occides, et semper inhæret carni agnatum & naturale homicidium. Lex (inquit Paulus) spiritualis est, ego aũt carnalis sum, uenditus sub peccatum. Quid ergo faciamus, ut exhibeamus Deo iucundius & amabilius spectaculum? Hic nobis cõsiderandum est, in quẽ usum & finem nobis hæc lex & aliæ datæ sint. Non enim in hoc datum est hoc mandatũ, ut significet uires nostras integras esse, & posse nos perfectè implere quod iubemur. Est enim lex sicut statua Mercurialis, indicat quidem rectam uiam, sed nõ tribuit lasso aut mutilato uires ambulãdi. Sic nos propter peccatum mutili ac prorsus mortui sumus, Lex autem nõ uiuificat nos, sed tantum ostendit nobis maculam nostram & mortem nostram, ideoq; significat, quòd debeamus inquirere alium qui nos uiuificet. Hic ergo demonstratur nobis Christus Filius Dei, & iubemur in hunc credere. Cùm autem credimus in eum, tunc assumit nos in membra sui corporis, & confert in nos tria præcipuè beneficia: Vnum est, quòd impetrat nobis ueniam nostri peccati coram Deo. Alterum, quòd donat nobis suam impletionem: ipse enim uerè impleuit hoc præceptum. Itaque si sumus tecti Christo, tunc sumus coram Deo tecti, & non amplius reputamur homicidæ, sed iusti propter Christum. Hoc Deo est iucundißimum spectaculum, ubi uidelicet uiderit CHRISTVM Filium suum. Legis usus.

Tertium, quòd conferat in nos spiritum sanctum suum, cuius uirtute mortificemus cupiditatem seu cõplexionem homicidialem, et incipiamus proximo suo uere & benefacere, donec toti iusti reddamur in futura uita. In præsenti autem uita nõ debemus deesse operationi spiritus sancti. Paulus dicit Roma. 8. Nulla condemnatio est his, qui insiti sunt Christo, qui ambulant nõ secundum carnem, sed secundum spiritum. Ambulare autem secundum spiritum, est spiritui sancto obsequi, & exhibere ei arma, ut exerceat in nobis uires suas. Inter alia arma, quæ sunt innumera, & aliàs enumerãtur, hæc sunt præcipua, ut cogitemus, primùm, odium & inuidiam esse ipsissimũ opus Satanæ. Qui ergo retinet odium proximi, est satelles Satanæ. Hui, quanta hæc turpitudo? Deinde charitas est Deus ipse, debemus autem Deo similes fieri, nec admittimur in cœlũ nisi charitate comitati. Hæc et alia sunt instrumenta, quæ porrecta spiritui sancto, efficiunt ut excitetur in nobis charitas. Habes explicationem huius Legis, Non occidas: similiter modum quo ei obsequendum est. Deus largiatur nobis spiritum suũ sanctum per Christum, ut uoluntati eius obediamus. Iubeat Deus quod uult, & det quod iubet.

AMEN.

DOMI-



IN diebus illis, cum iterū turba multa esset, nec haberēt q̄d manducarent, conuocatis discipulis, ait illis: misereor super turbā, quia ecce iā triduo sustinent me, nec habent q̄d manducent, & si dimisero eos ieiunos in domū suā, deficient in uia, quidam enim ex eis de lōge

uenerũt. Et respõderunt ei discipuli sui. Vnde istos qs poterit hîc satiare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerũt: Septẽ. Et prȩcepit turbȩ discũbere sup terrã, et accipiens septẽ panes, gratias agens, fregit, & apposuerũt turbæ. Et habebãt piscículos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi. Et mãducauerunt, et saturati sunt, et sustulerũt q̃d supauerat de fragmẽtis septẽ sportas: Erãt aũt q mãducauerãt quasi quatuor millia, et dimisit eos.

HOMILIA PRIMA, DE PROMISSIONE uictus, & qui hac promissione à Christo ipso data uerè frui possint, habita anno 1541.

PRimè cõuenit, ut Euãgelium, quod de septẽ panibus cõmemorauimus, hoc messis tempore publicè in ecclesia recitetur, Adeóq; suo quodã iure uocandũ est Euangelion Messis: nam

nam quod miraculũ Christus edidit pascẽdo quatuor millia hominũ septem panibus, & colligendo de reli quijs septem sportas fragmentorũ, idem miraculum si rẽ probè cõsideraueris, Deus pater Domini nostri Iesu Christi, in quauis propemodũ messe edere solet. In seminatione enim spargũtur pauca quædã semina in agros, quæ pauciſsimis hominibus in uictũ uix sufficerent. Sed pauca illa semina, incremẽto & benedictione Dei usq; ad messem in tantũ augentur & multiplicantur, ut oĩa horrea impleant, & multis hominum millibus in cibũ sufficiant: quare miraculũ quod in Euãgelio de septem panibus recitatur, diligenter cognoscẽdum est, ut ex ipso etiam alia miracula Dei cognoscamus, & non tam uentrẽ nostrũ cibus, quàm fidem nostram uerbo Dei, et miraculis eius alamus. Miraculum igitur septem panum sic se habet. Multa turba sequitur Christũ concionantem. Et cùm turba non habet curam ciborum, sed tantũ uerborũ Christi, suscipit Christus ipse curã cibi, & desperãtibus discipulis accipit septẽ panes, et paucos pisciculos, quos ita benedicit, ut ex ipsis pascerentur quatuor millia hominum, & colligerentur septẽ sportæ fragmentorũ. Primùm igitur Christus hoc miraculũ edidit, ut hoc ueluti cœlesti sigillo confirmaret ueritatẽ septem panis et autoritatẽ doctrinæ suæ, quod est generale omnibus uisibus miraculis, & cùm docuit se esse uerum Messiã, consentaneum est, quòd etiã hoc miraculũ teste

Miraculi de panibus usus.

tur, Iesum esse uerum illum Messiam, quem Prophetæ prædixerunt uenturũ in hũc muudũ. Adhæc Christus edidit hoc miraculũ, ut cõfirmaret promissionẽ diuinã, quæ dicta est de quotidiano uictu apud Mat. cap. 6. Illic. n. ait Christus ad discipulos suos: Ne sitis solliciti quid edatis, & quid bibatis, sed primùm quærite regnum Dei & iusticiã eius, & hæc oĩa adiicientur uobis. Cũ hac promissione multæ sentẽtiæ in scriptura cõueniunt, quas non est opus nunc recensere. Quod igitur Christus antea discipulis promiserat paucis & simplicibus uerbis, hoc nunc magno et manifesto miraculo confirmat. In ciuilibus cõtractibus, cũ quispiã emit quotidianum uictum, dantur ei literæ pacti, quæ sunt sigillis honestorũ uirorũ cõfirmatæ, ut emptor de uictu suo certus sit. Sic & Christus init nobiscum pactum, q. et si regnũ eius nõ sit de hoc mundo, uelit tamẽ, si regnum eius quæramus, nobis sufficientẽ uictum dare. Hæc promissio sunt literæ pacti. Postea addit miraculum de septẽ panibus, et aliis miraculũ de quinq; panibus, quibus pascit quinq; millia hoĩm. Hæc miracula sunt cœlestia sigilla. Sic enim Christus ipse docet usum miraculorum in hoc loco. Cùm. n. paulo pòst discipuli nõ sumpsissent secũ panes, et magna sollicitudine afficerentur, reprehẽduntur à Christo et audiunt, nondũ animaduertitis, nec intelligitis quot cophinos plenos fragmẽtis sustulistis, cùm quinq; panes fregissem in hominũ quinq; millia?

lia? Quare cùm talia miracula nobis recitãtur, cõfir
mãda est fides nostra et eijciẽda incredulitas, ne pro
pter incredulitatẽ in uaria uicia et scelera ruamus.
Sunt aũt hæc miracula tãto diligẽtius nobis obseruã
da, quãto procliuiores sunt hoïes ad desperationem.
Siue.n. agri nõ pollicentur magnum prouentũ fru=
gum, siue grando fruges depopulatur, siue homines
multiplicãtur, solemus exclamare, impoßibile esse q;
fruges uili precio cõparari queãt, & fieri nõ posse,
quin alter alterum deuoraturus sit. Hæ et hïs simi les
sunt uoces desperatorum. At pij debent fidẽ suam ex
promißi omnibus Dei, quæ sunt multis et magnis mira
culis confirmatæ, alere et sustentare. Dixit Christus:
Nolite esse solliciti, Primùm quærite regnum Dei &
iusticiã eius, & hæc oïa adijcientur uobis. Ac postea
cibauit septem panibus quatuor millia hominum, si=
militer quinq; panibus quinq; millia. Quid igitur uel
de potentia, uel de uoluntate eius dubitas? Sed tanta
& tam clementi promißione abutuntur multi homi
nes impijßimè. Principio enim ocioßi & ignaui homi
nes cùm audiunt ista, ingrediuntur aliquoties in Ec=
cleßiam, postea autem ociantur et uißitant conuiuia:
sic putant se quærere regnum Dei et iusticiam eius,
gloriantes interea se bene sperare, Deum non dere
licturum ipßos. Hoc aũt nõ est quærere regnum Dei
et iusticiam eius, Deus enim odit ignauiam et turpe
ocium. Ecclesiasticus ait: Multam maliciam docuit

Promißionũ Dei de nimio abußu.

ocioſitas. Et apud Ezech. 16. Hæc eſt iniquitas Zodomæ & ocium ipſius & filiarum eius. Creauit enim Deus hominem ad laborem, ſicut aues ad uolatũ. Et imitio poſuit Deus hominem in Paradiſum non ut otiaretur, ſed ut operaretur illam. Ac poſt peccatum multo magis impoſuit nobis laborem. In ſudore (inquit) uultus tui ueſceris pane tuo. Quare, qui uoluerit capere fructum promiſionis Chriſti de quotidiano victu, neceſſe habet et Chriſtum agnoſcere per fidem, & ſuam uocationem diligenter ex fide ſectari: ſit ſollicitus de peragenda piè ſua uocatione, non ſit ſollicitus de victu. Deinde abutuntur hac promiſione impoſtores, & deceptores: hi enim aliquoties audiunt conciones, poſtea in contractibus & negociationibus ſuis imponunt quibuſuis. Itaq; putãt ſe quærere regnum Dei, & gloriantur ſe à Deo ali: Deus (inquiunt) dat mihi iſta. Deus ſuſtentat me. Hæc eſt uulgariſſima uia parandi victus. Nihil eſt communius inter homines, quàm decipere et impoſturis opes congregare. Nec iudicatur amplius eſſe peccatum, ſed ratio ſeſe nutriendi. Quare agnoſcenda eſt grauitas huius peccati, ut deterreamur ab eo. Primum enim impoſtor plus fidit ſatanæ quàm Deo ipſi, ac Chriſto filio Dei. Satan enim dixit ad Chriſtum de regnis mundi, Hæc omnia tradam tibi ſi adoraueris me, hoc eſt, ſi impiè & ueteratoriè agas, efficiam ut congreges opes. Chriſtus autem dixit: Quærite Regnum

gnum Dei et iustitiã eius, & hæc oĩa adĩcientur uo bis. Cui ergo impostor credit? Certè, quia obsequitur iussis satanæ, plus credit satanæ quàm Christo. Quantum aũt hoc peccatũ est, magis satanæ, qui est pater mẽdacij, quàm Christo, qui est ueritas, credere? Deinde impostura prohibita est in hoc præcepto: Nõ furaberis. Ergo est furtum. Quantum aũt peccatum est furtum? Homines puniunt furtum morte, Deus aũt punit perpetua damnatione: Neq; adulteri, neq; fures possidebunt regnum Dei. Præterea imponere proximo in contractibus ciuilibus est contra legem naturæ: quod tibi non uis fieri alteri ne feceris. Quare impostor non solum non sectatur iusticiam Ethnicorum, sed etiam exuit humanam naturã, ac conueniẽtius numeretur inter bestias, q̃ hoĩes. Adhæc, impostor quicquid acquirit abominatio est corã Deo, & non tantũ ipsum est maledictum, sed etiã oĩa reliqua maledicit. Exemplum habes in Achan, Iosue. 7. Hic clã surripuerat aliquid de anathemate Iericho. Sed quod ablatum erat, hoc non solũ nihil utilitatis attulit ipsi Achan, uerumetiã perdidit & Achan et oẽm familiã, adeoq; oẽs reliquas opes eius, idq; manifesto iudicio Dei: hoc est supplicium impostoræ. Deinde impostores nõ possunt orare orationẽ Dominicam, præsertim illã particulã: Panẽ nostrum quotidianũ da nobis hodie, quia Deus non fauet impostoris. Cùm igitur illi orant, ut Deus det illis per impostoras Pa

nem quotidianum, precantur ut Deus faueat impo-
sturis, hoc certè non est orare, sed Deum contumelia
afficere. Quid autē horribilius quàm in tali genere
uitæ uersari, in quo non possis inuocare nomen Do
mini? nullum est momentū in quo nō indigeamus au
xilio Dei, & in quo non inuocandus est Deus: at im-
postor adimit suo peccato sibi ipsi potestatē orandi:
itaq; nihil eo est miserius, nihil etiā infelicius ipsius
horribilius. Cæterùm nō solum Impostor qui alienas
opes per iniquitatem sibi congregat, nō fruitur pro
missione Christi de quotidiano uictu, uerumetiam
Auari, qui opes iustè quidem acquirūt, uidelicet hæ
reditate aut iusta negociatione, non seruiunt tamen
afflictis et miseris, hi similiter non capiunt fructum
promissionum Christi: etsi enim multum habent uic-
tum, tamen nō habent in eo clementem Deum. Nā
Auarus (inquit Paulus) est idolatra. Magis. n. obse-
quitur mandato pecuniæ quàm mandato Dei. Pecu-
nia dicit: custodi me, absconde me, ac ne terunciū qui
dem expende egenis. Deus autem dicit, subueni pecu
nia tua egenis quibus potes. Cui ergo obsequitur a-
uarus? non Deo sed pecuniæ: adorat igitur pecuniā.
Adhæc fit fur in suis ipsius bonis. Exempla hoc signi
ficant. Vide. n. Nabalis. 1. Reg. 25. & Ananiæ Act. 5.
Quare nō debemus nec ociosi, nec impostores, nec
auari esse, sed quærere regnum Dei & iusticiam e-
ius, ut promissione Christi fruamur &c.

Alia

ALIA HOMILIA, QVOD CHRISTVS pascendo turbam declararit, se præcipuè nobis in morte affuturum, atq; ex ea eripturum, habita anno 1542.



NTer multa & illustria miracula, quæ Christus in terris edidit, nõ est postremo loco ponendum, quod in hodierno Euangelio recitatur. Cùm enim Christus in montanis Galilææ sanasset multos claudos, cæcos, surdos, mutos et alios multos, & turba hominum præ inedia propemodũ contabesceret, pauit plusquam quatuor millia hominum paucis panibus, & piscipulis, nec pauit eos parciter, sed tanta largitate, ut de fragmentis superfuerint septem sportulæ plenæ. Et hoc miraculum tanti uisum est, ut tã Matthæus, quàm Marcus diligentißimè conscripserint: ac Christus ipse non solum edidit hoc miraculum, uerumetiam postea discipulis suis de cibo sollicitis repetit & inculcat, ut medeatur incredulitati ipsorum. Nõ tenetis (inquiens) memoria septem illos panes, cùm homines essent quatuor mille, & quot sportas acceperitis? Quare usus huius miraculi nobis magna cura considerandus est, præsertim cùm Christus ediderit illud, non tantum propter eam turbam, quæ tunc cum ipso in mõtanis Galilææ fuit, sed edidit propter uniuersam ecclesiam. Ac ini

tio obseruanda erit turbæ pietas. Sectãtur Christum ad montana, in quibus nec cibus, nec potus paratus erat, et tanto desiderio audiendi Euãgelij tenentur, ut triduo ibi maneant. Quanta morum dissimilitudo inter hanc turbam, & eam quæ est nostris temporibus? Nos enim uix possumus tria quartalia horæ patienter audiendo Euangelio Christi impendere, cùm illi triduum impenderint, & tamen nos nõ aliud Euangelium audimus, quàm illi audiuerunt. Ac mirũ est, quòd cùm pascendum est corpus, soleamus consuetudinem protrahere sine tædio usq; ad multas horas: cùm autem pascendus est animus, quod fit prædicatione Euangelij, ibi tum tædij plenum est, quicquid temporis in id absumitur. Hoc inde adeo accidit, quia minimam habemus curã animæ ac cœlestis salutis nostræ. At cognoscendum ac cogitandum nobis est, q. non simus à Deo creati, ut corpus tantum pascamus, sed ut reportemus finem fidei nostræ, salutẽ animarum, quemadmodum Petrus ait. Et hæc salus offertur nobis prædicatione & explicatione Euangelij de Iesu Christo. Quare maxima omnium cura adhibẽda est, ut audiamus et discamus Euangelion Christi. Deinde cum tanta turba secuta sit Christũ ad montana, quo modo potuit Christus ferre, ut propter ipsum fame periclitaretur? Christus administrat omnia, cur igitur non effecit occultè quidem, sed omnipotẽter, ut hæc turba nullam omnino inediam sentiret? Sic enim

Mos

Moſe quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuſtentatus eſt. Sic & Elias, Sic et Chriſtus ipſe Nunc autem ne triduo quidem defendit hanc turbam à fame: quid ad hæc dicemus? Etſi autem curioſum eſt, arcana Dei cõſilia ſcrutari, tamen ea perquirere, quæ Filius ipſe Dei nobis uult eſſe perſpicua, & cognitu utilia ſunt, non eſt curioſitas, ſed pietas & officium. Audiamus igitur quam ob cauſam Chriſtus nõ defenderit turbam ab inedia: ſed priuſquàm paſcat eam, permittit ut magna fame afficiantur. Non enim conniuit ad hanc famem, q̃ non potuerit ei occulte et omnipotenter mederi, quia ſuſtentauit Moſen et Eliam quadraginta diebus & noctibus ſine omni corporali cibo. Nec conniuit ad eam, q̃ uoluerit turbam inedia enecare, ſed cõniuit ad tantam famem, ut hac occaſione ederet illuſtre miraculum, & cõfirmaret hoc miraculo ueritatem & certitudinẽ doctrinæ Euangelij ſui. Non edidit hoc miraculũ, ut ſignificaret turbã hominum ſemper in hac terra extrinſecus in fame tam mirabiliter paſcendã, & ex ſeptẽ panibus ſeptem ſportas plenas fragmentorum in unoquouis conuiuio colligendas. Etſi multa millia hominũ quotidie maximis miraculis, (ſi quis obſeruare uoluerit) paſcit, Sed edidit, ut confirmaret ueritatẽ Euangelij ſui, quo adnunciatur nobis liberatio è maximo oĩm periculo. Sunt enim uaria genera periculorum et diſcriminum, quæ hominibus accidere ſolent. Alia

sunt quæ cõtingũt hominibus in hac terra ante mortem, ut sunt infirmitas corporis, paupertas, fames. Alia sunt quæ contingunt eis in morte, & post mortem. Ac ea quæ ante mortem accidunt, grauia quidẽ uidentur, si tamen non afferunt mortem, tolerabilia esse solent. Mors autem ipsa & dolor inferni sunt pericula lõge omnium grauissima, ac intolerabilia. Venit igitur Christus in hunc mundum, & adnunciauit Euangelium suum, quo promisit nobis ueram liberationem & salutem in morte ipsa, hoc est, in summo omnium periculo, ac cõsecutus est hoc epitheton, q̃ sit adiutor in necessitatibus, non quòd non debeamus necessitatibus illis corporalibus ante mortẽ affligi, sed quòd permittat quidem, ut obruamur uarijs aduersis, donec etiam in mortem ipsam conijciamur, seruat autem in morte, quæ est summum periculũ, ad perpetuam uitam. Et quia non uidemus externis oculis liberationem Christi in morte, idcirco edidit miracula, & seruauit aliquoties homines, etiam in afflictionibus illis externis et corporalibus ante mortem. Sed obsecro te, si illi homines nõ fuissent postea seruati in morte, quid profuisset eis in ægritudine corporis seruari? In hodierno Euangelio pascuntur quatuor milia hominũ paucis panibus, & seruantur in fame, quod fuit quidẽ magnum miraculũ. Sed quid est, si hi homines non fuissent postea seruati in morte? Decem Leprosi sanantur à Christo, Cæco restitui

tur

tur uisus. Sed quid profuissent illis hæc miracula, si non essent liberati per Christum in morte? In Ioanne quidã homo, qui tenebatur trigintaocto annis morbo, consequitur per Christum corporalem sanitatem: iucundissimum quidem fuit quòd sanatus est, sed parũ ei profuisset, nisi seruatus esset in morte. Quare etsi Christus liberauerit aliquoties afflictos è suis corporalibus aduersis ante mortem, non tamen uenit propter illam liberationem in hunc mundum, sed ut liberaret credentes è summo periculo, quod est Mors, & perpetua damnatio. Hoc certè non est nobis ocitanter considerandum, sed magna diligentia obseruãdum, ut cognoscamus in omnibus, quæ nobis accidunt, uoluntatem Dei. Nam si imminet afflictio corporalis ante mortem, & liberamur ex ea per clementiam Dei, tunc sentiendum est hanc non dum esse ueram liberationem, nec Christum propter hanc uenisse in terram, sed esse tantum confirmationem Euangelij Christi, de liberatione in extremo mortis periculo. Vnde Paulus 2. Corint. 1. ait: Eripuit nos ex tanta morte, & eripit, in quo spem fixã habemus, quòd & post hac erepturus sit. Hoc est, liberauit nos è præsenti afflictione, ut significet se in maxima nos liberaturum. Si autem non liberamur è præsenti afflictione, tunc sentiendum est, quòd in Christo nihil certius sit, quàm uera liberatio in morte. Dicendum. n. est, quod tres pueri Babylonij dixe

Liberatio à corporali afflictione, est confirmatio liberationis à morte.

runt: Ecce Deus noster, quem colimus, potest nos eripere de camino ignis ardentis, & de præsenti afflictione. Quòd si noluerit, seruabit tamen nos in ipsa morte, ne pereamus. Nam quemadmodum Dux quispiam aut Capitaneus, si certus fuerit se extremã victoriam consecuturum, non afficitur magno horrore, etiamsi victus fuerit præcedentibus uelitationibus, ac leuibus certaminibus. Christus ipse aliquoties euasit pericula ante mortẽ, aliquoties sustinuit ea. Captus enim est & cruci affixus, attamen reportauit extremam victoriã. Sic de Petro, sic de Paulo, sic de omnibus sanctis dicendum est. Habes unum ac præcipuum usum hodierni miraculi. Alius usus est, quòd hoc miraculum docet obedire huic præcepto, Non fureris. Homines parare solent opes impostu-ris, sed hodiernum miraculum docet Deum habere curam eorum, qui sectantur uocationem eius. Primum ergo quære regnum Dei, hoc est, iusticiæ & pietati operam da, & reliqua omnia ad uitæ sustentationem adijcientur.

DOMINICA VIII. POST TRINItatis, Euangelium Matth. 7.

Attendite



ATtendite à falsis Prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouiũ, intrinsecus aũt sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nũquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic oĩs arbor bona fructus bonos facit, mala aũt arbor malos fructus facit. Nõ potest aũt arbor

mala bonos fructus facere, neq; arbor bona malos fructus facere. Omnis arbor, quę non facit fructum bonum, excidetur, & in ignē mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatē Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

HOMILIA PRIMA, HABITA anno 1541.

POstquàm Christus in longa sua concione, quam habuit in monte, explicuit ueram sententiam diuinæ legis, admonet nunc in hac pericopa, quā recitauimus, ut caueamus à Pseudoprophetis, hoc est, ab ijs qui diuersa à doctrina sua docent, & legem aliter exponunt. Doctrina. n. religionis nō est mutabilis, sed est una, uera & sibi perpetuò constās doctrina. In alijs quidē locis, aliæ sunt politicæ leges, et unusquisq; debet se accommodare legibus

legibus eius reipub. in qua uitam agit: q, si ad aliam remp. uenerit, ibi tum relictis ordinationibus prioris reipub. uiuendum est secundum præsentis ordinationem. Non licet idem facere in doctrina de religione: una enim doctrina de religione uera est, quæ cõ seruanda est quocunq; ueneris. Nec circumferẽdi sumus quouis doctrinæ uento. Quare ut ueri doctores semper audiendi & doctrina eorum semper tenenda est, ita falsi Prophetæ seu doctores semper fugiendi & deuitandi sunt. Cùm autem Christus monet in hodierno Euangelio cauẽdos esse Pseudoprophetas, primùm reprehendit eos, qui non uolunt fide sua accipere Euangelium seu ueram doctrinam Religionis, nisi prius publica fiat cõcordia in religione. Sũt enim qui palàm dicunt se expectare publicam concordiã, et postea se recepturos Euangeliũ quod nũc prædicatur: at hi dignißimi sunt reprehensione tanquam suæ ipsorũ salutis neglectores. Nunquam. n. tã benè cum rebus humanis actum est, ut publica ueræ religionis concordia inter homines fuerit. Satan enim qui est osor omnis humanæ salutis, semper excitare solitus est aduersarios, et peruersores ueræ religionis non solum extraneos, sed etiam internos, in ipso populo Dei. Hoc significat etiam Christus in parabola zizaniorum Matt. 13. Paterfamilias seminat bonum semen, sed dormiẽtibus hominibus seminauit inimicus zizaniam inter triticum. Initio orbis terræ

excitauit ſatan Cainũ contra Abelem: propter religionem.n.Cain occidit Abelẽ.Contra Moſen excitauit ſatan Iamnes et Mambres.Quot aũt excitauerit aduerſarios & pſeudoprophetas cõtra ueros prophetas,et cõtra apoſtolos Chriſti, & poſtea hæreticos aduerſus Euangelicã ueritatem,manifeſtius eſt, quàm ut hoc loco pluribus recitari debeat. Nunquã igitur fuit publica cõcordia in uera religiõe,nec unquã erit.Quid ergo obſecro te cauſæ eſt,q; Deus cõniuet Satanæ,et permittit ut oriantur pſeudoprophetæ inter ueros?Deus quidem optimus eſt,Scãdalum aũt quod oritur ex diuerſa doctrina religionis apud incredulos & infirmos peßimũ eſt. Deus igitur optimus nõ pmitteret peßimũ,niſi ſciret et poſſet per illud efficere ingẽs bonũ. Quod ergo illud bonũ eſt quod Deus per hoc malum efficit?Hoc uidelicet,ut excitet torporẽ noſtrum,et aſſuefaciat nos attendere animum,duntaxat ad uerbum Dei,et nõ ad perſonas hominũ. Hoĩes.n.natura ſua magis curant corporalia,quàm religionem, & ſolent magis admirari perſonas,quàm ueritatẽ:at quemadmodũ Deus finit inter triticum creſcere ſpinas,tribulos & zizania,ut exerceat hominẽ ne torpeſcat, ita finit oriri pſeudoprophetas inter ueros,ut nos ad cognoſcenda uera religionis dogmata excitet:nec finit tantũ pſeudoprophetas errare,ſed etiam interdum ueros prophetas & apoſtolos labi. Vide Dauidẽ,qui erat ſum-

Pſeudoprophetas cur Deus oriri permittat.

mus

mus propheta: et tamen turpissimè labitur. Vide & Petrum apostolũ, qui & ante & post acceptũ spũm sanctum fœde labitur, ut habes Galat. 2. Deus autem permisit hos lapsus, ut disceremus oculos nostros nõ intendere in personas, sed in ipsum uerbum Dei reuelatum et confirmatũ. Quare unusquisq; necesse habet ueritatẽ uerbi Dei cognoscere, ut possit inter ueros & falsos doctores discernere, & non à personis hominum quantumuis sanctorum aut magnorum pẽdere. Deinde cùm Christus iubet nos cauere à pseudoprophetis, munit cõscientiam aduersus scandalũ. Cogitant enim imbecilles: quid? tu ne plus sapies tantis & tam doctis uiris? Sic & hoc tempore Euangelion Christi cogit nos deficere à Romanis Pontificibus, & Episcopis: hoc apparet nõ solum graue, sed etiã pernicioſum animæ. Hi enim uolunt esse Ecclesia, & dicunt, q; qui ab ipsis deficiunt, hi deficiant ab ecclesia, extra quã non est salus. Christus autem liberat nos ab hoc scandalo, & iubet nos diserte cauere à pseudoprophetis. Deus (inquit Paulus) personam hominis non respicit. Vult quidẽ Deus, ut suũ discrimen inter personas hoĩm habeatur, Sed nõ uult ut propter hoĩs personam deficiamus à ueritate uerbi Dei. Angelus dignissima est persona, ut ita dicã, At si angelus fuerit Pseudopropheta, uult Deus ut caueamus ab illo. Apostolus est magna persona, at si apostolus peruersa doceat, iubet Deus nos ab illo cã-

nere. Quales quondam fuerint (inquit Paulus) meq nihil refert: Deus personam hominis non accipit. Sic Pontifex, Episcopus, Cæsar, Rex, Princeps, maximæ sunt personæ in toto orbe terrarum, sed si præcipiũt impia, & iubent Euangelion Christi abnegare, cauendum est a ꝺ ipsis. Quid ergo faciã? inquis, quomodo discernã Pseudoprophetam à uero? quomodo cognoscã discrimen falsæ doctrinæ & ueræ? Christus proposuit notas quasdam suorum doctorum, & interea iubet diligenter cognoscere eam doctrinam, quæ ab ipso & apostolis suis per miracula confirmata est, sic enim facile discernetur Pseudopropheta à uero. Vnicuiq; falsæ doctrinæ sunt suæ notæ, & fructus. De nota igitur Pseudoprophetarum, qui legem falsò interpretantur Christus ita ait. Veniunt in uestimentis ouium, intus sunt lupi rapaces, & ex fructibus ipsorũ agnoscetis eos, sicut arbor è fructibus suis agnoscitur. Qui ergo sunt fructus Pseudoprophetarum? Christus non loquitur præcipuè de operibus Pseudoprophetarum, quia ducunt interdum meliorem uitam iuxta externam speciem, quàm ueri doctores: & inter Apostolos ipsos inuenies peccatores, Sed loquitur de fructibus doctrinæ Pseudoapostolorum, quos uidelicet fructus doctrina eorũ pariat, in his qui obsequũtur doctrinæ. Prima ergo nota, quam Christus indicat in hac sua concione, suprà posita est: Qui soluerit unum ex mandatis hisce minimis

Pseudoprophetarum notæ.

nimis etc. Nã qui docent, quòd homines satisfaciant Legi externis operibus, sicut pharisæi docebant, hi manifestam habent notam, q; sint Pseudoprophetæ. Hæc doctrina pessimos parit fructus, uidelicet, securitatem carnalem, confidentiam in merita, contemptum Christi, &c. Secunda nota est Lucæ decimoseptimo: Si dixerint uobis ecce hic, ecce illic etc. Hi. n. pseudoprophetæ, de quibus Christus concionatur, docebant regnum Christi carnale fore, & externam libertatem promittebant populo etc. Fructus huius doctrinæ erat seditio, homicidia, cædes etc. quia pseudoprophetæ, qui gloriabantur se esse Christos, mouebant seditiones aduersus legitimum magistratũ, hinc cædes & homicidia etc. Tertiam notam describit Paulus. 1. Timot. 4. Spiritus certò loquitur, &c. Notæ sunt, prohibitio matrimonij, & abstinentia à cibis seu carnibus. Qui sunt isti, qui hæc prohibuerunt? non illi ueteres Hæretici tantum, sed multo magis totus Papatus. Prohibuerunt enim coniugium sacerdotibus, & quantum ad ipsos attinet, totum coniugium damnârunt. De cibis manifestum est quid docuerint. Fructus huius doctrinæ sunt, adulteria, scortationes, mollicies, stupra, et alia horrenda scelera. Item ebrietates & crapulæ. Habent autem singuli Pseudoprophetæ suas notas, de quibus non est nunc locus dicendi. Sed contenti ijs notis, quas Christus et Paulus ostenderunt, atq; ijs moti, deuitemus Pseudo

prophetas. Postremò additur: Nõ omnis qui dicit mihi Domine &c. Hìc exigitur tota obedientia legis, quæ si non præstari potest, ad Christum confugiendum est, in quo habeamus legis impletionem.

ALIA HOMILIA DE PSEVDOprophetis, habita anno 1548.

HAEC particula sumpta est è longa illa cõcione, quam habuit Christus apud Matthæũ in monte, cap. 5. 6. & 7. & hortatur nos hac particula filius Dei, ne alienam doctrinam quàm eam, quæ ab ipso tradita est, agnoscamus et recipiamus. Videtur autẽ in uarias partes flexiloqua. aduersarij enim nostri utuntur ea ad refutandã nostram, hoc est, Euangelij doctrinam. Dicunt Papistæ, cauete à falsis prophetis. Nos uicißim utimur ea ad refutandas aduersariorum impietates, & dicimus, Cauete à pseudoprophetis. Quare summè nobis curæ sit, ut hanc pericopen rectè intelligamus, quod cùm factum fuerit, reipsa comperiemus, quòd sit cohortatio ad cauendam impiam doctrinam aduersariorum nostrorum. Ac initiò, cùm Christus iubet nos cauere à pseudoprophetis, reprehendit ignauiam & somnolentiam uulgi in cognoscenda uera doctrina Euangelij, & excitat nos omnes, non ministros tantum ecclesiæ, uerum etiã uniuersam Eccle-

siam,

fiam, ac omnes ecclesiæ auditores & membra, opifices, agricolas, summos & infimos, ut omne studiũ et curam suam in hanc rem conferant, ut discant et certò cognoscant ueram Euangelij doctrinam. Vulgus quidem hominum existimant se in hunc usum natos esse, ut tantum colant agros & exerceant opificia, quo consequantur uictũ, & pascant uentrẽ. Hæc est pecuina uita. Etsi enim unusquisq; debet suæ uocationi seruire in colendis agris, & exercendis opificijs, tamen præcipuè in hunc usum creati & renati sumus, ut discamus uerũ Deum cognoscere & colere, quod cùm non possit fieri, nisi cognoscamus Christũ filium Dei per doctrinã Euangelij eius, manifestum est, quòd præcipuè in hunc usum creati simus, ut Euangelium Christi discamus. Huc ergo uocat nos Christus in hodierno Euangelio, cùm ait: cauete uobis à pseudoprophetis. Generale præceptũ pertinens ad omnes homines, & exigens summè doctrinæ studiũ ab omnibus auditoribus Ecclesiæ. Quomodo. n. cauebis tibi à falsa doctrina, si nondum ueram cognoueris? Quomodo cognosces ueram doctrinam, si totus deditus Mãmonæ & terrenis negocijs rarissimè audias conciones ecclesiasticas? aut si audieris, peregrinante tamen animo audieris? Sic enim magna pars audit conciones, perinde ac si nihil ad se pertineret cognitio doctrinæ. Reijciunt hanc cognitionẽ in sacrificulos, & in doctos, dicunt se nolle fieri sacrificu

Doctrinæ ueræ studium ab omnibus exigitur.

los, dicunt se nolle ex hoc artificio victum quærere, ideoq; summo contemptu negligunt. At uero non ad Ecclesiæ ministros solum dictum est, Cauete à falsis Prophetis &c. sed ad omnes homines dictum est. Idē docet etiā Paulus ex spiritu Christi. 1. Thessa. 5. Prophetias nolite spernere, omnia probate, quod bonū est tenete. Quomodo autem ociosus, somnolētus, & aliud agens probabit prophetiam, seu doctrinam? quomodo tenebit bonum, cùm quod bonum est nondum cognouerit? Eodem modo Ioannes dicit. 1. Ioā. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spūs si ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum &c. Iubet & Ioannes probare spiritus, hoc est, doctrinam spiritualem, & iubet hoc oēs homines, qui ad ueram beatitudinem spirant, facere. Quomodo autem probabis spiritus, si non cognoueris uerum Lydium lapidem? Nam quemadmodum aurum probatur num purum sit, si affricetur ad Lydium lapidem. Ita doctrina Prophetica & Apostolica lapis Lydius est, quo probatur ueritas spirituum, seu doctrinarum. Quomodo autem probabis si nullam habueris cognitionem doctrinæ apostolicæ & propheticæ? Quare magna est opus diligētia ad huius doctrinæ cognitionē, ut probare queas spiritus. Et hic uides etiam aliqua ex parte Euangelij nostri, & Mahumeticæ & Papisticæ doctrinæ discrimen, quia Mahumetistæ prohibent de sua doctrina

ctrina disputare. Idem etiam senserunt Papistæ, q. uidelicet uulgus non debeat de Religione disputare. Qui enim male agit, fugit lucem: sic & Anabaptistæ proripiunt se in syluas, ac ferè noctu concionantur. Nostra autem doctrina petit lucem, cupit ab omnibus audiri, & probari, quia est uerè Apostolica & Prophetica illa doctrina, quam tradidit nobis in manus spiritus sanctus. Porrò ad diligentem huius nostræ doctrinæ cognitionem uocat etiam nos prima creatio nostra. Creati enim sumus ad imaginem & similitudinem, non agrorum, aut uinearum, ut in ijs tantum laboremus, non boum, equorum, aut uaccarum, ut de ijs tantum curemus: non opum, diuitiarũ, ut has tantum colligamus, sed creati sumus ad similitudinem Dei. Deus igitur nobis cognoscendus est, Deo seruiendum, Deo confidendum. Nemo autem potest uerum Deum cognoscere & ei confidere, nisi per filium eius Iesum Christum. Qui me uidet, uidet & Patrem meum. Nemo autem cognoscit Christum nisi per Euangelium eius, quod est nostra doctrina. Ergo creatio ipsa hortatur, imò exigit à nobis, ut in hoc solum studium incumbamus, quo Euangelium Christi rectè cognoscamus. Etsi enim non omnes admouemur ad ministeria Ecclesiastica, nec omnibus pugnãdum est cum hæreticis, externis disputationibus, tamen omnes admouemur ad ministeria Deo præstãda in quauis uocatiõe, siue politica, siue œco

nomica. Et pugnandum nobis omnibus est cum Satana in conscientia aduersus peccatum, mortem, & infernum. Hæc certè exigunt insignem eruditionem in doctrina uerbi Dei. Quare sentiamus q. cùm Christus dicit, Cauete à pseudoprophetis, exigat à nobis oĩbus tam maioribus quàm minoribus summũ studium ueræ doctrinæ Euangelij nostri. Secundo, cùm necessaria sit cognitio ueræ doctrinæ, uidendum nunc est quæ sit uera doctrina, et cœlestis, ut collatione eius possimus falsam doctrinã probare & cauere. Vera igitur & sola salutaris doctrina hæc est, q. omnes homines sint natura peccatores, & damnati, seruentur autem non propter ulla operum merita, sed tantum propter filium Dei Iesum Christum, si hunc fide accipiunt, & q. detur spiritus sanctus ex fide per Euangelium, ut renouentur, & faciant bona opera à Deo præcepta, non ad satisfaciendum pro peccatis, sed ad probandam fidem suam et gratitudinem erga Deum &c. Vera item doctrina Euangelij est, q. Sacramenta quæ Christus instituit, ualeant ad confirmandam, & inflammandam fidem nostram, & sint utenda iuxta institutionẽ Christi. Similiter uera doctrina est, q. cultus humana prudẽtia, sine certo uerbo Dei instituti sint uani, irriti, & frustranei. Falsa autem doctrina est, q. iustificemur coram Deo propter merita operum nostrorum. Item q. sacramenta iustificent etiam sine fide. Item q. sacramentis utendum

Doctrina uera quæ sit.

dum sit iuxta decreta hoïm. Item q̃ cultus ab hoïbus
instituti sint honor Dei, & sint necessariò conseruã
di. Eodẽ modo dici potest de alijs doctrinæ articulis.
Quomodo ergo discernemus has doctrinas? quomo-
do cognoscemus hanc esse falsam, illã autem superio
rem esse ueram? Hîc proponuntur nobis tria, quibus
uera doctrina à falsa discernitur. Vnũ est sacra scri-
ptura. Alterũ est ornatus seu uestitus doctrinarum. Vera doctri-
Tertium est fructus doctrinarum. Ac primo quidem na à falsa
genere probationis doctrinæ, uidelicet, de testimo quomodo di
nio sacræ scripturæ Christus nunc nihil dicit, quia scernatur.
aliás sæpe hortatur ad cognoscendas scripturas: Scru
tamini, inquit, scripturas. Et, Sic scriptum est. Et: sic
oportebat Christũ pati. Et, Vt scripturæ impleretur
&c. Sed Christus concionatur nunc de alijs duobus
generibus probandæ doctrinæ. Horũ alterum est or
natus seu uestitus doctrinæ. Dicit enim, Venient ad
uos in uestimentis ouiũ, intus aũt sunt lupi rapaces.
His uerbis docet Christus discernere doctrinas per
ornatum, seu uestitum suum, quia falsa doctrina in-
duit extrinsecus pellem ouinam, sed intrinsecus ge-
stat pellem lupinam. Econtrà, Vera doctrina extrin
secus uidetur ornata pelle lupina, intrinsecus autem
est uestita pelle ouina. Conferamus inter se doctri-
nam nostram, hoc est, ueri Euangelij, & doctrinam
Papisticam: nam doctrina Papistica cumulat sacra
sacris, cultus cultibus, & promittit horum meritis

iusticiam, & æternam salutem. Hæc est pellis ouina, sed intus latet lupus, quia hæc doctrina dilaniat homines & tradit eos omnibus Tyrannis dilaniandos, ut interea nihil dicam de corporali dilaniatione opum, facultatum et ditionum huius terræ. Nostra autem seu Euangelij doctrina uidetur extrinsecus esse lupus rapax, quia dãnat omnes homines peccati, & tradit eos satanæ propter peccatum: præterea obijcit pios omnibus Tyrannis dilaniandos, sed intus est uestita pelle ouina, quia donat nobis agnum Dei tollentem omnia peccata, seruantem nos non tantum in periculis persecutionum, uerumetiam in morte ipsa. Præterea efficit ex homimibus agnos seu oues Christi, ut fiant mansueti, & benefactores, sicut ouis cuius omnia sunt utilia: nam ne ungulæ quidem & fimus ouium carent suo usu. Alterum est fructus doctrinarum, Ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos. Et omnis arbor bona bonos fert fructus. Conferamus ergo inter se fructus ueri Euangelij, & doctrinæ Papisticæ. Primùm doctrina ueri Euangelij affert conscientiæ pacem & tranquillitatem. Iusticificati (inquit Paulus) fide, pacem habemus corã Deo. Doctrina autem monastica affert turbam, & perturbationẽ conscientiæ, & tandem desperationem. Quo enim plures peregrinationes peragunt hypocritæ, quo sæpius confitentur peccata sua, quo plures Missas legunt, eò fiunt incertiores de salute sua:

quo

quo frequentius suas iterant preculas, eò magis dubitant de remissione peccatorum, quia non ex fide (inquit Paulus) sed tanquàm ex operibus, hoc est: non credunt sibi dimitti peccata propter Christum gratis ex misericordia, sed sperant se consequi posse remissionem peccatorum propter merita suæ iusticiæ, quæ merita cùm uident esse imperfecta, insufficiētia & uitiata, coguntur non solum dubitare, sed etiā desperare. Secundo: Doctrina Euāgelij nostri renouat homines ut resipiscāt, ut ex ebrijs fiant sobrij, ex auaris liberales, ex incæstis casti, ex inuidis candidi, ex superbis humiles, ex impatientibus patiētes &c. Doctrina autem monastica facit tantum hypocritas, qui extrinsecus ducunt quidem honestam uitam, sed intus sunt pleni sceleribus. Matt. 23. Mundatis quod deforis est, cæterùm intus pleni estis rapina, & intēperantia. Et similes estis sepulchris dealbatis, quæ fōris quidem apparent speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorum, omniq; spurcicia. Sic & uos fōris quidem apparetis hominibus iusti, intus aūt pleni estis fictione, & iniquitate. Dices, Multi ex his, qui gloriantur se esse Euāgelicos, manent ijdem, qui erant antea, ebriosi, incæsti, auari, impostores, arrogantes, impatientes &c. cùm interea multi Anabaptistæ & Monachi ducant uitam honestissimam. Ergo dicemus horum doctrinam esse uerè piam, nostrū autem Euangelium esse impium? Absit: nā hi, & si ex

trinsecus sunt honesti, tamen non habent pacem conscientiæ, quia cùm confidunt meritis suorũ operum, semper dubitant de remissione peccatorum: itaque ex hoc fructu cognoscimus eos non sectari ueram doctrinam. Illi autem qui gloriantur de Euangelio, & non respiscunt, non sunt ueri Euangelici, sed abutũtur nomine Euangelij in prætextum suorum scelerum. Firmum enim & fixum est, quod Christus hîc dicit, non potest arbor bona malos fructus facere. Euãgelium Christi est optimum granum, aut semen, si ergo rectè fuerit seminatum, et bona terra exceptũ, fieri non potest quin bonum ferat fructum. Si autem non producitur bonus fructus, manifestum argumẽtum est, quòd Euangelion Christi uerum, non sit rectè exceptum, & semen illud ceciderit aut in uiam, aut inter spinas, aut super petram, quia ubicunq; rectè per fidem accipitur, certum est eos fructus producere, quos enumerat Paulus ad Galat. 5. Fructus spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Et Coloss. 3. Mortificate membra uestra terrestria, Fornicationem & immundiciam, molliciem, concupiscentiã malam, & auariciam deponite. Sitis igitur induti, sicut electi Dei, sancti & dilecti, uiscera miserationum, benignitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, sufferentes uos inuicem, & condonantes uobis mutuo, si quis aduersus aliquem habuerit que

relam,

relam, &c. Habes quomodo nostra seu Euangelij et Monachorum doctrinâ cognoscatur ex uestitu & fructibus suis. Reliquum nunc est, ut summo studio sectemur doctrinam ueri Euangelij, ut cõsequamur ex ea pacem conscientiæ, et certitudinem salutis nostræ, atq; accendamur ad ambulandum in uera nouitate uitæ. Postremò obseruabis etiam ex similitudine, quam proponit hoc Euangelium de arbore bonæ & malæ, manifestam refutationem impiæ doctrinæ Monachorũ. Docent Monachi q̃ homines mali, fiant boni, per bona opera, quæ fecerint. Christus autẽ dicit, Arbor mala non potest bonos fructus ferre. Cùm ergo Monachi docent, q̃ mali homines fiãt boni per opera, perinde est, ac si dicerent, mala arbor fit bona per fructus bonos, cũ mala arbor non possit facere bonos fructus, nisi antea facta fuerit bona. Sic etiã malus homo, nihil boni facere coram Deo potest, nẽ si antea factus fuerit bonus. Potest quidem coram hominibus aliquid boni facere, sed non corã Deo. Quo modo ergo homo fit bonus, seu bona arbor? Fit bonus seu iustus per fidem propter Christũ. Cùm.n. credit in Christum, quòd is solus sit seruator ipsius, tũc reputatur corã Deo iustus. Postquàm ergo sic reputatur iustus, donatur spiritu sancto, ut incipiat bona opera facere, non ut ex ijs bonus fiat & iustus, sed ut exerceat bonitatem & iusticiam, quam in Christo per fidem accepit, &c.

DOMINICA IX. POST *Trinitatis, Euang. Lucæ 16.*



HOmo quidam erat diues, qui habebat dispẽsatorem, & hic diffamatus est apud illũ, quasi dissipasset bona illius. Et uocauit illũ, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem dispensationis tuę; ultra.n. non poteris dispẽsare.

sare. Ait autē dispensator intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me dispensationem? Fodere non ualeo, mēdicare erubesco. Scio quid faciam, ut cum amotus fuero à dispensatione, recipiāt me in domos suas.

Conuocatis itaq; singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantū debes domino meo? At ille dixit: Centū batos olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam, & sede, cito scribe qnquaginta. Deinde alij dixit: Tu uero, quantū debes? Qui ait, Cētū coros tritici. Ait illi: accipe cautionē tuā & scribe octogīta. Et laudauit dominus dispensatorem iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatiōe sua sunt. Et ego dicō uobis:

Facite uobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiãt uos in ęterna tabernacula.

HOMILIA I. DE FVRTO ET IMposturis, in tractandis rebus alienis, dicta anno 1541.

ETsi hodiernum Euãgelium uidetur esse simplex narratio de iniquo uillico, tamen si probè rẽ perpendas, reprehẽduntur in eo tã boni quàm mali, tã honesti quàm inhonesti, tã pij quàm impij: nõ. n. soli mali et inhonesti peccãt sua malicia & iniquitate, sed etiã peccant boni sua oscitãtia et ignauia, ut nihil interea dicã de eo, q, ne boni quidem perfectè impleant legẽ Domini. Reprehẽdũtur igitur in hodierno Euãgelio tã boni quàm mali, nõ ut pereant, sed ut hi resipiscant, illi diligentius pietatẽ sectentur. Cõmemoratur aũt parabola de uillico iniquo, quæ parabola pertinet ad interpretationẽ huius legis in Decalogo, Non fureris. Necessariũ aũt est, ut rectũ & legitimũ sensum huius præcepti, Non fureris, probè teneamus. Etsi. n. omnia plena sunt furum, tamen illi solum haberi uidentur fures, qui noctu suppilant aliena scrinia, & suspenduntur ex cruce. Impostores autem, iniqui alienarum rerum dispensatores, habentur magis honesti quàm fures,

fures. Hodiernum autem Euangelion apprehendit officiales Principum, ac diuitum, & sub horum nomine intelligit omnes eos, quibus cura & dispensatio alienarum opum commendata est, ut sunt serui, ancillæ, tutores, quæstores, præfecti cellarij, ac significat hos plerunq; solere unguibus furum sese fricare, (ut uulgo loquuntur) hoc est, furta committere. Non facimus nunc uerba de omnibus officialibus, & præfectis alienarum opum indiscriminatim. Officium.n. tractandi alienas opes, ex iusta uocatione, est legitimum. Et sunt aliquot pij homines, qui in tali officio piè admodum uersati sunt, atq; adhuc uersantur. Ioseph fuit dispensator aulæ Pharaonis, & tractauit opes Domini sui iustissimè. Abdias fuit dispensator domus Ahab iustissimus, ac timuit Dominum Deum suum ualde, quemadmodum Scriptura ait 3. Regum 18. De his & similibus non fit nunc sermo, sed de illis qui sunt similes iniquo huic uillico, cuius fit mentio in Euãgelio. Natura enim humana ualde prona est ad rapiendas res alienas. Id quod significatur in Decalogo, cùm duæ leges de ea re instituuntur, Non fureris, Non concupisces aliena. Nisi enim spiritus sanctus sciuisset naturam nostram propensam esse ad aliena, nõ tam diligenter nos ab hac cupiditate deterruisset. Cùm autem accedit commẽdatio & tractatio alienarum rerum, ibi tum natura antè corrupta sumit occasionem ad exercendã suam

iniquitatẽ. Itaq; fieri solet, ut quemadmodũ Iudas honestus antè apostolus statim factus est fur, postquam accepit administrationẽ alienarum opũ, ita magna pars dispensatorũ non sunt contenti legitima & ordinaria sua mercede, sed fiunt fures bonorum domini sui. Etsi aũt iniquè tractant alienas res, tamen non uolunt uideri fures. Discendum igitur erit, q̃ non solũ ea dicãtur furta, quæ quis noctu ex alienis ædibus furripit, sed oĩa ea, quæ nugis, impostur is, deceptionibus acquirũtur, nomine furti cẽsenda sunt: Et hoc furtum non tantũ designari solet in administrationibus alienarum opum, sed etiã quotitide in fõro et publicis nundmis: nam tot fiunt impostur æ in nũdinis, ut meritò nomen earũ mutandum esset. Non.n. rectè uocãtur Marcktag, sed propriè uocari possent Dies furum. Hæ certe impostur æ, furta sunt. Nam furtũ rectè definitur esse alienæ rei contrectationem inuito domino, & quod lege naturali prohibitum est, committere. Qui aũt decipiunt proximum nugis, ut extorqueant pecuniam aut aliam rem eius, hi contrectant et corradunt alienam rem inuito, seu decepto domino. Furtum igitur designant. Præterea tales impostores faciunt cõtra legem naturalem: Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Nullus.n. uellet ut officialis suus rem suam iniquè tractaret. Nullus uellet, ut ipsi à proximo nugaciter imponeretur. Quare cũ ipse proximo imponit, cõmittit furtum. Adhæc in hi

Furti uariæ genera.

storia

storia Zachæi manifestè uides impostură esse furtũ. Zachæus.n.recipit se defraudatis redditurũ quadruplum, quod exigebat Lex de furtis. In actis Apostolicis Ananias et Sapphira fiunt fures in proprijs suis facultatibus, propterea q; eas retinebant mendacio. Quãto magis hi fiunt fures, qui accipiunt aut seruãt alienas opes impostoris & mendacijs? Quare sentiẽdum est, non eos solũ fures esse, qui propter nocturna furta suspenduntur, sed eos etiam qui consequuntur alienas opes impostoris, quemadmodum hodiernus uillicus. Etsi.n.hi nõ suspenduntur à iudicibus huius externi seculi, suspẽduntur tamen à summo totius mundi iudice, & habent sua supplicia: Hier. 5. Inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos uiros: sicut decipula plena auibus, sic domus eorũ plenæ dolo. Ideo magnificati sunt, & ditati, incrassati sunt, et impinguati, et præterierunt sermones meos peßimè. Habes furtum, audi nunc supplicium. Vir cũ muliere capietur, senex cũ pleno dierum. Et transibunt domus eorũ ad alienos, agri et uxores pariter. Amos. 8. Dicitis, quãdo transibit mensis & uenundabimus merces, et sabbatũ, et aperiemus frumẽtũ, ut imminuamus mensurã & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argẽto egenos. Audis impostoras, audi & pœnam. Super isto cõmouebitur terra, & lugebit omnis habitator

eius. Micheas 6. Nũquid iustificabo stateră impiam, et sacculi põdera dolosa? In quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, et habitãtes in ea loquebantur mẽdacium. Habes nugas. Audi etiã suppliciũ: Comedes, & nõ saturaberis, Seminabis & non metes, tu calcabis oliuã, & nõ ungeris oleo, Et mustũ, & non bibes uinũ. Longum esset oĩa testimonia Prophetarũ de talibus furtis recẽsere. Nam quæ enumerãtur impostu rarũ supplicia, ea ferè etiã nostro tẽpore incipere solent Cùm. n. studemus furtis, tunc Deus immittit nobis aut grandinem, aut exactionẽ Turcicam, aut infirmitatẽ corporalẽ, aut milites, aut hostes. Ac tolerabile esset externum suppliciũ, quo unus numus iniustè partus reddit secum maledictos centũ numos, quãuis alioqui iustè partos. Sed hoc suppliciũ est intolerabile, q; tales impostores, nisi resipiscant, damnantur perpetuo interitu. 1. Cor. 6. Neq; fures, neq; auari accipient regni Dei hæreditatẽ. Quare dãda est unicuiq; opera, ut in officio & negocio suo, alienas res iustè tractet ac fideliter. Habes reprehensionẽ malorum ac præcipuè impostorũ, exẽplo iniqui uillici. Nunc uideamus reprehensionẽ bonorum seu piorum. Ad quid. n. obsecro proponit nobis Christus hanc parabolã de iniquo uillico? Num ut commẽdet iniquitatem eius? Minimè oĩm, sed ut exẽplo prudentiæ eius pessimè collocatæ reprehendat ignauiam et oscitantiam piorum. Etsi. n. sæpenumero proponun-

tur

tur exẽpla Patriarcharum et Prophetarum, ac alio rum piorũ, tamen populus Dei nõ ualde solet horũ exẽplis affici. Proponit igitur ipsis furẽ in exẽplum, & hortatur eos, ut saltem eam prudentiam, & dili gentiã adhibeant in sectanda pietate, quam adhibuit fur in parãdo sibi uictu. Nã unusquisq; nostrũ habet suam uillicationem: alius opes, alius iuuentutem, alì us magistratum, alius sapientiam. De his oĩbus reddẽ da erit ratio. Auferetur.n. uillicatio à nobis uarijs qui dem modis, sed præcipuè cùm morimur. Quare cùm ad funus procedimus, cogitãdum nobis est, quod his uillicus cogitauit: Ecce Dominus tuus auferet à te uil licationẽ suam, sicut ab illo mortuo nunc abstulit, qd ergo facies? Resipiscas, & benè utaris beneficijs Dei. Cæterùm Christus nõ solum proponit diligentiam et industriam furis in exemplum, sed etiam oĩm filiorũ huius seculi: filij, inquit, huius seculi prudentiores sunt, hoc est, quicunq; alieni à pietate student rebus huius mundi, hi multo diligentius sua studia sectan tur, quàm pij studium pietatis. Exemplum habes in agricola, in mercatore, in mercenario, in ambitioso, ut Alexander Magnus, in auaro. Hi oẽs surgent in iudicio et dãnabunt nos ignauiæ et oscitantiæ, q; ipsi sua diligẽtius curarunt, quàm nos nostra. Postremò quòd dicitur de his qui suscipiunt nos in æterna ta bernacula, intelligẽdum est, nõ q; sint saluatores no stri, sed testes fidei nostræ, de qua re in sequenti ho milia agitur. Nos nũc ijs quæ audiuimus cõtenti erì

mus, atq; operam dabimus, ut Christo, nos à nostra oscitantia & ignauia dehortanti, obsequamur, & maiori studio salutem animæ nostræ inquiramus.

ALTERA HOMILIA, IN QVA tria, Impostura, Neglectus pietatis, & Contemptus proximi, reprehenduntur, habita anno 1542.

IN hoc Euangelio proponitur nobis parabola de iniquo dispensatore, in qua Christus multa hominum errata reprehendit. Etsi enim Christus non uenit in hunc mundum ut legislator, cuius officium est reprehendere peccata, sed uenit ut saluator, cuius officium est remittere et condonare peccata, tamen quia non agnoscitur quàtum beneficium sit remissio peccatorum, nisi antè agnoscatur quanta sit peccatorum magnitudo, Christus etiam hoc officium aliquoties suscipit, quòd reprehendit peccata, ut agnoscantur. Medicus & si in hoc totus incumbit, ut homines sanitati restituat & iucundam eorum uitam adiuuet, tamen aliquoties membrum putridum ense resecat, & grauissimum dolorem incutit, ut hoc modo ægrotum curet. Christus autem uenit in hunc mundum, ut spiritualis medicus. Quare ostendit etiam pro officio medici, grauitatem morbi ex peccato prouenientis, ut nos ex peccato

peccato liberet. Reprehendit autem in hac parabola tria præcipuè hominum peccata, de quibus in præsentia nobis dicendum est. Primum est, quòd homines magis studeant uictum parare iniquitate, impostu-
ris, quàm iustitia & ueritate. Recitat enim Christus de iniquo dispensatore, quòd habuerit quidem honestissimum officium, in quo potuisset diligentia & sedulitate, ac iustitia sufficientem sibi uictum parare, sed mauult ignauus esse, et bona domini dilapidare, & postea impostur is, furtis ac fraude ditescere. Nã quòd Dominus laudauit dispensatorem, nõ est intelligendum, quòd laudauerit iniquitatem & furtum eius, (quis enim unquàm commendaret fraudes) sed quòd laudauerit curam & industriã eius, & doluerit quòd rem optimam pessimè collocauerit. Ac uulgo quidem solennè est, iniquitates in negocijs magna industria excogitare & uictum sibi furto ac fraudibus parare, sed quanto hoc uulgarius est, tanto iniquius est. In hoc enim præcepto, Non furaberis, et in illo, Non dicas falsum testimonium, Item, Non concupiscas rem proximi, prohibuit Deus omne furtum, omnes fraudes, & impostur as, quibus proximus decipitur, uel uerbis, uel factis: quod autem Deus prohibuit, hoc iniquum est coram tota cœlesti cõgregatione. Quare & si homines delectentur fraudibus, & non iudicent esse iniquitates, tamen coram Deo & angelis, ac omnibus sanctis iudicãtur esse grauis

Victus studium per impostur as.

sima peccata. Porrò quod iniquum est, nõ tantum iniquum est, sed etiam habet suum supplicium et suam maledictionem. Maledictus (inquit) in ciuitate, in agro, Maledictum horreum tuũ, maledictæ reliquiæ tuæ. Rem igitur familiarem suam fraude augere & uictum impostura parare nihil aliud est, quàm sibi ipsi tam corporalẽ quàm spiritualẽ maledictionem parare. Secundũ peccatum quod Christus reprehendit, hoc est: homines magis student comparando uictui corporali, quàm comparandæ ueræ iusticiæ, et fœlicitati. Sic. n. Christus ait: Filij huius seculi prudentiores sunt in generatione sua filijs lucis, hoc est, homines maiorem operam dant, quomodo sua ciuilia negocia paragant & uentri suo consulant, quàm quomodo obediant Deo, & saluti animæ suæ consulant. Vide omnium hominum studia, à summo usque ad infimum. Dicamus de nostris ordinibus. Opifex laborat tota hebdomada sex continuis diebus, idq; interdum noctu diuq;, ut uictum corporalem paret. Interea autem rarissimè cogitat de salute animæ, et in die Dominica uix potest ad unam horulam audire conciones Euangelij, quo habeat etiam animæ uictum. Mercator percurrit terras & maria, idq; totis annis, interim nulla mora ipsi longior est, quàm quæ impẽditur audiendo uerbo Dei. Breuiter, si homines cẽtesimam partem eius operæ, quam ponunt in parando uictu, collocarent in paranda et sectãda iusticia,

Victus corporalis studium.

iustitia, multo honestiorem & iustiorem uitam duceremus. Hæc igitur magna & maledicta est iniquitas, adeoq; peruersitas. Nam Christus promisit uictũ sua sponte nobis affuturum, si quæramus primum omnium regnum Dei & iusticiam eius. Et non promisit regnum Dei & iusticiam nobis affutura, si quæramus ante omnia uictũ, sed potius dixit, eos qui diuites uolunt fieri incidere in tentationes, et difficulter intrare in regnum cœlorum. Quare magna est peruersitas, & neglecta salutis ratione, ante omnia quæramus uictum. Stultissimus hominũ iudicatur, qui argenteum numum de terra leuat, & interea aureum numũ amittit. Stultissimus item habetur, qui cum tota domus eius ardeat igni, negligat ignẽ, et interea circundat hortum suum macerια ne à porcis deuastetur. Multo stultior est qui tantum curat, quomodo corpus conseruetur, & interim negligit tam famem quam ardorẽ animæ. Nã propter peccatũ anima nostra incipit esurire perpetua fame, quare nulla opera intermittenda est, ut fami animæ medeamur. Propter peccatũ item anima nostra accensa est igni infernali. Quare nullus labor intermittẽdus est, ut hũc ignẽ extinguamus. Nota est parabola de diuite apud Lucã ca. 12. q cum multa cõgregasset, et polliceretur sibi iucundã uitam, audit: stulte, hac nocte aĩam tuã abs te repetent. Nõ igitur regnũ terræ, sed regnum Dei, et iusticia eius ante oĩa quærẽdum est. Tertium

Proximi cõtemptus.

peccatum est contemptus proximi. Homines natura sunt arrogantes. Et hoc agere solemus, ut non indigeamus aliorum opera: in hoc laboramus, ut nostra sint tuta, & non necesse habeamus aliorum pedibus subijci. Vsurpamus cõtumelioſa dicteria: quid ad me iste homuncio? Succendat mihi si libet piscinam. At hunc contemptum reprehendit Christus in hodierno Euangelio, & ait: facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant uos in æterna tabernacula. Hoc dicto monet nos Christus, ut nullus alterum cõtemnat, et tanquã sibi inutilẽ reijciat. Qualis qualis enim proximus alioqui fuerit, tali tamẽ honore à Deo affectus est, quòd uniuscuiusq; regnum cœleste reposuerit in domum, & in manus proximi sui. Non est quidem sentiendum quòd proximus mereatur nobis uitam & regnum cœleste. Solus enim Christus est meritum nostrum, & Christũ per fidem accipimus. Sed postquàm crediderimus in Christũ, ibi tum remittimur ad proximum nostrum, ut in eo fidem nostram probemus, adeoq; in ipso inueniamus nostrum regnum cœleste, uel nostram dãnationem. Nam Christus reijcit se in proximum fratrem nostrum. Quicquid (inquiens) uni ex minimis meis feceritis, mihi feciſtis. Vulgo dicitur: homo homini Deus, quod non est ita tantum intelligendum, quòd aliquoties alter alterũ in periculis seruet, sed potius q; Deus uelit in unoquouis proximo honorari &

ri & obseruari. Homo enim creatus est ad similitudinem & imaginem Dei, & hæc imago non deletur calamitate & miserijs. Quare qui malefacit proximo suo, dehonestat imaginem Dei. Magnum piaculum existimaretur, si quis luto conspergeret ligneã imagmem crucifixi Christi: At multò grauius peccat, qui afficit iniuria aut cõtemnit proximũ suum: is enim uerè est imago Dei, & multo plus habet de Deo, quàm imago lignea Christi. Imago fingitur ex ligno, aut lapide, ac affigitur cruci, Sed Christianus afflictus uerius est imago Christi in cruce pendentis, quàm statua lignea. Tũc. n. Christus pati dicitur, cùm Christiani patiũtur. Quare ut honoremus Christum, Christiano proximo benefaciẽdũ est. Videmus quidẽ aliquot proximi uicia, sed ea sunt in proximo capienda quæ capi possunt. Veteres dixerunt, unam quãq; rẽ duas habere ansas. Alterã, qua ferri possit, alterã qua non possit. Sic & proximus duas habet ansas. Alterã, quæ est uiciosa, hac cõprehẽdi nõ potest. Alterã, qua est imago Dei, qua Deus iussit ei benefacere, hac debet apprehẽdi. Nos mala tantũ proximi ponimus nobis ob oculos, sed bona nobis proponenda sunt. Sic. n fiet ut regnum cæleste, quod Christus nobis meruit, in proximo inueniamus, &c.

DOMINICA X. POST TRINITATIS, Euangelium Lucæ 19.



ET ut appropinquauit, uidēs ci uitatē, fleuit sup illā, dicens, qa si cognouisses et tu, & quidem quę ad pacē tibi, nunc aūt abscondita sunt ab oculis tuis. Quia uenient dies in te, et circundabūt te inimici tui uallo, & circundabunt te, & coangustabunt te undiqꝫ, & ad terrā prosternēt te, & filios tuos q in

in te sunt. Et nō relinquent in te lapidem super lapidem, eò q̄ nō cognoueris tempus uisitationis tuæ.

Et ingressus in Templum, cœpit eiícere uendentes in illo & emētes, dicens illis: Scriptū est, quia domus mea domus orationis est, Vos aūt feciſtis illā ſpeluncam latronū. Et erat docēs quotidie in templo. Principes aūt Sacerdotum, & Scribę & Principes plebis quęrebāt illum perdere, & non inueniebant quid facerent illi. Omnis. n. populus ſuſpenſus erat, audiens illum.

HOMILIA PRIMA.

Vangelium quod nūc recitaui, breuiſſimū quidem eſt, quod ad uerba attinet, ſed ſi introſpiciamus in penetralia eius, cōtinet res maximas, et ad ſalutem noſtrā cognitu ualde neceſſarias. Nā cū Chriſtus deſleat futurā calamitatē urbis Ieruſalē, et dicat ciues Hieroſolymitanos cura

turos pacẽ suã, si et ipsi præuiderẽt futurã ruinã, pa
làm significat uiã aliquã esse, qua possimus effugere
non peccata solum, sed etiam supplicia peccatorum,
et omnes calamitates. Quare quo gratior & amabi
lior nobis est salus nostra, eo diligentius sententiam
huius Euangelij percipiamus: ac ut hanc rem melius
cognoscamus, tractabimus ordine ea, quæ in hoc Euã
gelio continentur. Primùm enim proponitur &
manifestatur ira Dei. Deinde reuelatur misericor=
dia Dei. Postremò admonemur de obseruando tem=
pore uisitationis diuinæ, & de inquirenda ratione
pacis ac salutis. Hæc & si exemplo Hierosolymitani
excidij tractãtur, tamen quia scriptura propter nos
scripta est, ad nos & nostram salutem maximè om=
nium pertinent. Principio multi sunt qui putant lu=
sum esse, quicquid de ira Dei dicitur. Aiunt infernũ
non esse tam ardentem, ut dicitur, & Satanam non
esse tam terribilem, quàm pingitur. Et ex hoc conti
piu ruunt in omnia genera scelerum ac supplicio=
rum. Sed ut hi ad timorem Dei inuitẽtur, proposuit
nobis Deus ob oculos excidium Hierosolymitanum,
in quo clarissimè pinxit crudelissimam iram suam su
per peccata. Primùm enim prophetauit de hac deua
statione Mosè Deut. 28. & Daniel cap. 9. Deinde
Christus hoc loco ac multis alijs locis. Postremò
quod uerbis antea prophetatum est, reipsa factum
est sub Tito Romanorum imperatore, annis plus mi

nus

nus quadragĩta post Passionẽ Christi. Nã ut historiæ tradunt, in excidio Hierosolymitano magna pars Iudæorũ gladio perierunt, maior fame: & hæc adhuc tolerabilia sunt. Nam multi comederunt sua ipsorũ stercora. Quin & matres coxerũt liberos suos. Atq; adeo tanta fuit Iudæorũ calamitas, ut fœliciores fuerint mortui quàm uiuentes, quia uiuẽtes turpissimè uẽdebantur, distrahebantur, & obijciebãtur bestijs. Hæc omnia sunt corporalia, & proinde fortassis tolerabilia. Sed accedit spirituale supplicium prorsus intolerabile. Matt. 21. Ablatum est à Iudæis regnum Dei. Et quo amplius manifestaretur Ira Dei, uisitat Deus iniquitatem patrum Iudæorum, super tertiam & quartam generationem: nihil his factis horribilius, nihil crudelius, nihil terribilius. Sed Deus ideo fieri permisit, ut exemplo quodam declararet iram suam seriam super peccata. Manifestat & hoc grauitatem iræ diuinæ, q̃ non pepercit Iudæis, electo populo, quibus Lex erat data, è quibus erant Patriarchæ, è quibus Christus secundum carnem descenderat. Vide, non pepercit cognatis Christi sui. Quoties ergo uidetur nobis ira Dei leuis, toties reuocanda nobis est in memoriã deuastatio Hierusalem, ut ex hac discamus Deum timere, & peccata fugere. Non solum autem ira Dei proponitur nobis in hoc Euangelio, sed etiam clementia et misericordia Dei. Nam cùm Christus futuram calamitatem præuidit, fleuit

amarè. Cõsideremus ergo quis sit ille, qui defleat ca lamitatem Hierusalem. Nam est simplex quidam ho mo? Etusmodi quidē hominis lachrymæ indicant qui dem condolentem animum, sed non indicant animũ potentem adiuuare. Num Propheta simplex? Nec propheta purus potuisset quicquam magni lachry mis efficere. Sed est Christus unigenitus filius Dei. Is autem filius Dei est ipsa expressa imago Dei, & in quo Deus omnem uoluntatem & animum suum ma nifestauit. Propositus est enim nobis Christus, ut per ipsum contemplemur patrē. Philippe, inquit, qui me uidet, & patrem meum uidet. Ergo quia uidemus Christum ita condolentem super peccata & calami tates Iudæorum ut fleat, sentiamus animum diuinũ ita misericorditer super afflictiones populi sui affe ctum, ut si possibile esset totus in lachrymas uertere tur, Qua misericordia quid maius? Præterea, cum alij homines deflent miserias, habent peccata, Qua re Deus non ita respicit simpliciter ipsorum lachry mas. Christus autem prorsus est sine peccato: Qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore ei us. Quare Deus pater ita delectatur & custodit has lachrymas, ut propter ipsas omnibus peccata & pœ nas remittat, qui in Iesum Christum credunt. Non. n. sentiēdum est, quòd Christus tantũ in cruce pro pec catis nostris passus sit. In cruce absoluit quidem Pas sionem, sed pro peccatis nostris passus est ab initio

sua

tuæ natiuitatis, usq; ad sepulchrum. Tota uita Christi nihil aliud fuit, quàm expiatio peccatorũ nostrorum. Sicut ergo antea ex ruina Hierusalem agnouimus iram Dei seuerissimã aduersus peccata, ita nunc ex fletu Christi agnoscamus misericordiam Dei, clementiam erga resipiscentes & credentes. Sed age, uideamus nunc quam ob causam Deus tanta grauitate afflixerit Iudæos, & quæ sit illa uia, qua potuissent effugere grauitatem iræ diuinæ. Porrò autem de causa calamitatis Iudaicæ non est diu deliberandum. Nam ipse Christus palàm indicat, dicens: Quia non cognouisti tempus uisitationis tuæ. Hui, nihil aliud mali commiserunt? hoccine tantum malum est, ut tantam iram mereatur? Certè multa alia cõmiserunt, sed nulla tãta fuerũt, ut propter ea Deus ipsos afflixisset, si cognouissent tempus uisitatiõis suæ. Nã fuerunt in peccatis concepti & nati. Et adulti addiderunt maxima scelera, adulteria, furta, homicidia, periuria & id genus alia. Præterea occiderunt prophetas, & postremò Iesum Christũ. Hæc fuerunt grauissima pecã, sed non sunt tanta, ut nõ amplius relinquatur locus saluti, si resipiscere uolueris. Non cognoscere autẽ tempus uisitationis, hoc demum tam grãde peccatũ est, ut omnia mala inferat. Sed dices, Non sum Propheta, sum simplex homo, quomodo possum ego cognoscere, quod sit tempus uisitationis meæ? Hîc obseruandum est, q̃ Christus hoc loco uocẽ

Visitationis tẽpus quod sit.

tempus uisitationis, tempus reuelati uerbi Dei, uide licet, cùm prædicatur Lex, & Euangelium, tùm arguuntur peccata nostra, & ostenditur uia Resipiscentiæ. Nam cùm reuelatur regioni alicui uerbum Dei, certissimum est, quòd Deus uelit eam regionem uisitare supplicio, Sed quia Misericors est, ideo præmittit Verbum suum, tanquàm admonitorium. Sic factum est ante diluuium per Noe: sic ante incendium Sodomæ per Loth. Sic ante submersionem Pharaonis per Mosen. Sic ante deuastationem primam Hierusalem per Prophetas, Sic ante secundam, per Christum ac Apostolos. Quare sentiamus tunc esse tempus uisitationis, & supplicij, cùm reuelatur uerbum Dei. Vnde liceat nobis manifestè conijcere, q̃ hoc tẽpore sit tẽpus uisitationis Germaniæ. Quicunq; itaque hoc uisitationis tempus neglexerit, is propter contemptum & negligentiã suam perpetuo punietur. Quomodo ergo, inquies, effugiam uenturam iram? Nullo certè alio modo, quàm quo effugissent Iudæi uenturam iram. Ait enim Christus: Si cognouisses & tu, & quidem in isto die tuo, quæ ad pacẽ tuam pertinent, curares. Quid? effugissent ne iram sacrificijs, munitionibus urbium, magno commeatu bellico? Nequaquàm, sed resipiscentia. Hier. 18. Si gẽs illa pœnitẽtiam egerit à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiã à malo, quod cogitaui ut facerem ei. Et Christus & Ioannes inquiunt,

Iram uenturã effugiendi uia.

unt, Resipiscite: resipiscentia autem constat agnitione peccatorum, & fide in Christum, q̃ propter hunc gratis habeamus remissionẽ peccatorum. Hæc resipiscentia habet maximos fructus. Primũ abducit nos à peccatis, ut uiuamus in obsequio Dei. Exemplum habes in muliere peccatrice. Deinde liberat à futuris periculis. Exemplum habes in Achab. 3. Reg. 21. Et in Niniuitis. Postremò liberat etiam à præsentibus malis. Exemplum habes in Manasse. 2. Chronic. 33. Pœnitentia igitur est uia ad pacem & salutem. Habes in hoc Euãgelio exẽplum iræ & gratiæ Dei, prætereà uiam euadendi pericula. Capessamus ergo resipiscentiam, agnoscamus tempus uisitationis nostræ, ut salutem consequamur, per Christum Iesum Dominum nostrum, Amen.

HOMILIA SECVNDA.

RECitauimus iam Euangelion, quod & si contineat iniucundam & horribilem historiã de deuastatiõe urbis Hierusalem, tamen affert nobis magnam utilitatem: & prudenter fecerunt maiores nostri, quòd propriam Dominicam huic Euangelio dicârunt. Proponit etiam nobis uiam & rationem, qua liceat nobis effugere summa aduersa siue corporalia siue æterna, Quo nihil nobis uel utilius uel magis necessariũ

cognitu proponi potest. Nam si cognita nobis fuerit uia euadendi aduersa, omnia pericula erũt leuiora, & trãquillus erit animus, propterea q; sciat sibi nulla aduersa quamuis magna posse aliquid incommodi afferre. Quare summa opera danda est, ut doctrina huius Euangelij rectè cognoscatur & animo nostro firmißimè infigatur. Res autẽ sic sese habet. Christus habet in prospectu urbem Hierusalem, & excitatus spiritu prophetico uidet futuram illam calamitatem et uastationẽ, quæ post quadraginta annos facta est à Romanis, quæ & hoc loco paucißimis recitatur: Circundabunt te (inquit) inimici tui uallo, obsidebũt et expugnabũt te, solo te æquabunt, nõ relinquẽt lapidẽ super lapidẽ. Hæc paucis dicta sunt, sed aliàs copiosè commemoratur hæc calamitas. Non hostes tantum expugnabant eam tempore obsidionis, sed etiam ciues ipsi inter se in urbe belligerabãtur: erat pestis, erat tanta fames, ut matres coxerint liberos suos, sicut etiam testatur Hieremias. Breuiter, tanta fuit calamitas, ut nulla ferè maior fuerit in orbe terrarum. Nec tantum fuit corporalis calamitas, quòd electi sint è regno terreno, sed etiam priuati sunt cœlesti hæreditate, & electi, ne sint amplius populus Dei. Hanc calamitatem cùm uideret Christus spiritu, sicut & postea prædixit in Passione, comprimere se non potuit, quin ex animo fleret. Quamquàm autem Iudæi meriti fuerint hanc tantam afflictionem,

ctionẽ, & Christus prædixerit ex spiritu sancto eã certò futuram, tamen potuissent eam, si voluissent, cauere. Id quod & Christus ipse significat, cùm dicit, si cognouisses & tu, curares ea quæ sunt ad pacem tuam. Et mox, Eo quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Hæc uerba maiori cura et studio cõseruari debent, quàm aurũ et gẽmæ, quia docent nos uiam, qua possimus extrema effugere mala. Contenti igitur erimus iam hac una particula, & dicemus, diuina adiuti gratia, imitiò, quodnam sit tempus uisitatiõis, & quid sit cognoscere tempus uisitationis: deinde quæ bona ex cognitione uisitationis, quæ mala ex ignorantia seu contemptu uisitationis, eueniant. Sunt autem uaria genera uisitationis Dei. Aliquoties dicitur Deus uisitare hominem, cùm benefacit ei, cùm confert in eum sua beneficia, ut excitet eum ad cognitionem Dei. Acto. 14. Non sine testimonio seipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluuias & tẽpora frugifera, implens cibo et lætitia corda nostra. Et Rom. 2. Ignoras q̃ benignitas Dei inuitat te ad pœnitentiã? Aliquoties uisitat Deus hominem, cùm immittit ei afflictiones, bella, pestem, & alia mala, id quod scriptura sæpe ac multum testatur: sed hæ uisitationes parum utilitatis afferunt, nisi accesserit præcipua omnium uisitatio, quæ est, reuelatio & prædicatio uerbi sui. Tunc enim Deus propriè homines uisitare dicitur, & tunc est tẽpus uisitationis, cũ

Visitationis Dei uaria genera.

Deus reuelat uerbum suum, & efficit, ut uerbum suum clarè & perspicuè prædicetur. Deus enim habitat in abscondito, & uidetur à nobis longè abesse. Tunc autem dicitur nobis reuelari & ad nos accedere, nosq; uisitare, cùm incipit nobiscum per legatos suos loqui, quod fit per uerbum suum. Cognoscere autem tempus uisitationis, non est tantum cognoscere quòd uerbum Dei prædicetur: hoc enim & impij sciunt, sed est uerbum ipsum obseruare, & ei obedire. Deus enim proposuit nobis præcipuè duos tantùm concionatores, ex quibus omnes alij necesse habent suas conciones petere. Alter est Moses, qui docet Decalogum, ex quo agnoscenda sunt peccata nostra. Alter est Christus, ex quo cognoscenda est remissio peccatorum: Et hi ambo docent ac urgent ex agnitione peccatorum & fide obedientiam bonorũ operum. Quare cognoscere tempus uisitationis, est resipiscere seu pœnitentiam agere, hoc est, agnoscere peccata, credere quòd peccata propter Christum remittuntur, & ex fide in uocatione bonorum operum ambulare. Habes quid sit cognoscere tempus uisitationis. Nunc ostendamus etiam quæ bona ex cognitione uisitationis, quæ mala ex ignorantia seu neglectu eius oriantur. Nec longè nobis hoc petendum erit. Exemplum urbis Hierusalem nobis propositũ est. Dicit enim Christus, q, tanta mala idcirco ei acciderint, quia nõ cognouerit tempus uisitationis suæ.

Visitationis tẽpus cognoscere.

Et

Et paulò antè: Curares quæ ad pacem tuam sunt. Do cet ergo Christus, q̃ ex cognitione temporis uisitationis posſit tota gens incolumis seruari. Et rursus si neglexerit tempus uisitationis, tota gens uastetur. Deut. 28. Si audieris uerbum Domini Dei tui, benedictus eris in ciuitate. Si non audieris, maledictus eris in omni opere tuo. Hiere. 18. Si pœnitentiam egerit gens ista à malo, agam & ego pœnitentiam à malo quod cogitaui ei inferre. Et Ezech. 18. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Videamus autem quantum discrimen faciat inter peccatorum fontes cognitio uel contemptus temporis uisitationis. Sodomitæ peccauerunt, nõ minus peccauerunt Niniuitæ, & tamen illi perierũt, hi seruati sunt. Quid causæ est? num Deus est iniquus iudex? Minimè omnium, sed cognitio temporis uisitationis facit discrimen. Illi non cognouerunt tempus uisitationis, hi cognouerunt. Aliud. 1. Samuel. 7. seruiunt Israelitæ Baalim, ideo meriti sunt internecionem: sub Ieremia similiter seruiunt alienis dijs, idcirco merentur & ipsi exterminari, sed hi pereunt, illi seruantur. Hoc inde adeo fit, quia hi contempserunt tempus uisitationis, sicut scriptum est. 2. Paralip. ultimo: illi autem cognouerunt. Sic & de priuatis hominibus. In libris Regum Hieroboam audit uerbum Domini, sed contemnit. Achab audit & humiliatur. Idcirco ille perit cum familia, hic autem seruatur ad

tempus, propterea quòd cognouerat tempus uisitationis, & si hypocrita fuerit, & pœnitentiã tantum simulârit. Sed transeamus à mundanis ad æterna uel præmia uel supplicia. Cain & Dauid fuerunt ambo homicidæ, & tamen ille sedet in inferno, hic in cœlo. Vnde hoc accidit? non nisi ex cognitione aut ignorantia temporis uisitationis. Saul & Paulus fuerunt ambo persecutores crudeles piorum, & tamen hic habitat in cœlo, ille in inferno. Vnde hoc accidit? Ex cognitione temporis uisitationis. Israelitæ in deserto, & Dauid ac mulier apud Ioannem capite quarto, fuerunt adulteri, & tamen illi perierunt, hi seruati sunt. Vnde hoc uenit? Ex cognitione temporis uisitationis. Breuiter, Infernus plenus est latronum, adulterorum, furum, impostorum. Similiter cœlum plenum est talium sceleratorum hominum. Vnde est hoc discrimen? Videtur enim iniquum: Sed accidit ex cognitione & contemptu temporis uisitationis. Peccata enim & si merentur æternam pœnam, tamen adhuc reliqua est uia salutis, uidelicet, si cognoueris tempus uisitationis: quod si non cognoueris, omnia sunt perdita. Ioannis tertio: Hæc est condemnatio, quòd Lux uenit in mundum, & homines magis diligunt tenebras quàm lucem. Hîc cogitant malitiosi, Si ita res se habet, perges peccare, & cùm uentum fuerit ad ultimum spiritum, tunc agnosces tempus uisitationis. Vocabis ad te concionatorem,

rem, qui prædicet tibi uisitationem, & agnosces. Prauum & inscrutabile est cor hominis: sed respon deo, Etsi nullum tempus pœnitendi nimis serum est, tamen qui peccant spe consequendæ misericordiæ Dei, hi primùm prophanant ac blasphemant uerbum Dei, quia abutuntur eo ad peccatum: deinde coniiciunt se in manifesta pericula, faciunt se indignos misericordia Dei. Quid si tum subitò intereant? Sicut enim qui temeritate pedem suum læderet, quia sciret peritum medicum, necesse haberet interire: aut enim nimis periculosè læderet sese, aut quid si medicus peregrè profectus esset? Quid si non posset eum accedere? Ita etiam qui spe misericordiæ consequendæ peccant, temere agunt & periculosissimè peccant. Quare non est differenda pœnitentia usque ad extremum halitum, sed in tempore cognoscendum est tempus uisitationis. Dices iterum: Intelligo quidem cognitionem temporis uisitationis, cauere imminens malum, sed uideo tantam esse malitiam hominum, ut nihil ego solus mea cognitione impetrare possim. Pergam igitur unà cum alijs peccare. Nec hoc pium est. Etsi enim non potes gentem seruare ab externa internecione, tamen potes animam tuam seruare ab æterna pœna. Ezechielis 14. Fili hominis, terra cùm prævaricata fuerit, extendam manum meam super eam, & conteram uirgam panis eius, & immittam in eam

famem. Et si fuerint tres uiri illi in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. Accedit etiam Lothis exemplum &c. Quare uel unus solus cognoscat tempus uisitationis. Quid enim aliud faciamus in terris? Creati, nati & redempti sumus, non ad uoluptates corporales, non ad artificia, & si hæc exercenda sunt, sed ad cognoscendum tempus uisitationis. Hoc nostrum præcipuum sit studium: quòd si hoc studium neglexerimus, nõ negligimus corporalia, sed æterna bona. Dat Deus nobis spacium multarum horarum, dierum & annorum. Si neglexerimus tempus illud quod nobis conceditur, tunc amittemus omnem salutẽ nostram: quòd si autem excitati fuerimus è somno, tempusq; uisitationis agnouerimus, consequemur æternam salutem in Christo Iesu Domino nostro, Amen.

DOMINICA XI. POST Trinitatis, Euangelium Lucæ 18.

DIxit Iesus ad q̃sdã, q̃ in se cõfidebãt, tanq̃ iustos, & asperna bãtur cæteros, parabolã istã, dicẽs: Duo homines ascenderũt in templũ ut orarẽt, unus Pharisęus, &



& alter Publicanus. Pharisęus stãs hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hoĩes, raptores, ĩiusti, adulteri, uel ut etiã hic Publicanus. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do oĩm quæ possideo. Et Publicanus à longe stans, nolebat oculos ad cœlũ leuare, sed percutiebat pectus suum di

cēs: Deus propicius esto mihi pec catori. Amen dico uobis, descēdit hic iustificatus in domū suā præil lo. Quia oīs qui se exaltat, humilia bitur, & qui se humiliat exaltabīt.

HOMILIA PRIMA, DE VERO orandi modo, quo fit ut nostra oratio fiat exoratio, habita anno 1540.

EVāgelium quod ex Luca recitauimus, uulgatū est, et oībus notū, adeo, ut in oībus fere parietibus depictū cōspiciatur. Optandū igitur est, ut sentētia eius nulli non sit cognita: docet. n. rectè orare. Dignißimū aūt est, ut addiscendā rectè orādi rationē non unā tantū diē Dominicā feriemur. Nam scientia rectè orandi Deū est præstantißima oīm scientia. Qui. n. rectè orare Deū nouit, is non soīū conscendit in cœlum, & accedit ad inaccessam Dei maiestatē, uerūetiā impetrat à Deo oēs petitiones animi sui, impetrat iusticiā, liberationem ex oībus malis, ex morte ipsa, adeoq; perpetuā regni cœlestis salutē. Matt. 7. Qui petit accipit, qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Et Ioan. 14. Quicqd petieritis Patrē in noīe meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater per filium. Lu. 11. Si uos cum sitis mali,

mali, nostis bona donare filijs uestris, quanto magis Pater uester cœlestis dabit spũm sanctũ poscentibus se? Quæ aũt dona excellentiora sunt spũ sancto & perpetua salute? Quare cùm hæc per orationem impetrãtur, summa danda est opera, ut discamus rectè orare. Nõ iã nobis sermo est de uerbis oratiõis, quæ etsi & ipsa recta et pia esse debeant, tamẽ quia scripta sunt in sacris literis, facilia sunt cognitu. Habemus.n. præscriptas formulas orandi, non solum à Patriarchis et Prophetis, ac præsertim Dauide, uerũm etiam ab ipsomet Christo Domino nostro, Et tales formulas etiam impij recitare solent et possunt, Sed sermo est de uero orandi modo, quo fit ut oratio sit efficax, & impetret quod petit. Hunc igitur modum discemus exemplo Pharisæi & Publicani, de quibus parabolam recitauimus: nam hi ambo ascendunt ad templum oraturi, sed orãtio eorum habet dissimiles fines. Alter, Pharisæus, fit oratione sua multo iniusti or & damnatior quàm antea fuerat. Alter Publicanus fit oratione sua ex peccatore iustus & ex damnato saluatus. Vnde igitur tantum discrimen? Audis enim ex utraq; parte optima uerba. Pharisæus cõmemorat bona facta, quæ certè si fiant, non sunt reprehendenda, sed potius commendanda. Publicanus recitat paucissima tantum uerba, quæ & ipsa pia sunt. Vnde autem fit quòd hic descẽdit iustior, ille autem iniustior? Certè non aliunde fit, quàm q; Pharisæus

non habet scientiã rectè orãdi, Publicanus aũt nouit rectè orare. Tractemus igitur principiò de Pharisæo, et excutiamus orationẽ eius, ut cognoscamus qd ipsi desit: nam Pharisæus capescit orationẽ suã è scelerato uitæ genere et in impœnitentia. Etsi. n. multa bona opera iuxta externã speciẽ faciebat, tamẽ erat coram Deo impius & impœnitens, nõ habebat uerã fidem in misericordiã Dei per semẽ Abrahæ, sed cõfidebat iusticia suorũ operum, Nõ habebat caritatẽ proximi, quia alios præ se fastidiebat. Vbi aũt nõ est uera fides, et charitas, ibi summa est impietas. Præterea Pharisæus erat impœnitẽs. In tantũ. n. non agnoscebat peccatũ suum, ut reputaret se nõ solũ sibi, uerum etiã alijs sua iusticia salutem mereri. Qui autẽ orationẽ suã capescit in scelerato uitæ genere, & in impœnitentia, is, ut non uerè nouit orare, ita nescit etiam impetrare: & huius oratio in tãtum nõ est uera oratio, ut magis reputetur in peccatũ. Sic docet Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, & eruã te, & honorificabis me. Ne autem quispiam sentiat hoc ad omnes etiam impœnitentes, & manentes in sceleribus suis perpetrandis referri, addit: Peccatori aũt dixit Deus, quare tu enarras iusticias meas, & assumis testamentũ meum per os tuũ? Tu uero odisti disciplinã, & proiecisti sermones meos retrorsum: Si uidebas furem, currebas cum illo, & cum adulteris portionem tuã ponebas. Item Psal. 108. Oratio eius

fiat

fiat in peccatū. Quare? quia non est recordatus facere misericordiā, & persecutus est hominē inopem & mendicum, dilexit maledictionem, hoc est, ambulauit in impio uitæ genere & in impœnitētia. Esa. 1: Cùm extēderitis manus uestras auertam oculos meos à uobis, et cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiā. Quā ob rem? quia manus uestræ sanguine plenæ sunt. Prouerb. 1. Inuocabunt me & nō exaudiam, manè consurgēt, & non inuenient me, eo q̄ exosam habuerint disciplinā, & timorem Domini nō susceperint. Ex his facilè intelligere possumus, q̄ quàm paucissimi hoīes in orbe terrarū nouerint rectè orare. Primùm. n. nullus Turca, aut Iudæus orare nouit, q̄a etsi inuocent & ipsi Deū uerbis, tamen quia sunt impij, impœnitētes, & non norunt Christum, qui solus est salus nostra, nihil orāt. Deinde nullus hypocrita aut Papista orare nouit, q̄a hi nō agnoscūt officium Christi, sed confidunt meritis aut suis aut sanctorum. Ad hæc, nullus impostor, nullus cōpotator, nullus scortator, nullus usurpās nomē Dei ad execrationes, et multi alij id genus scelerati, si fuerint impœnitentes, & in sceleribus perseuerātes, orare scīūt. Apud Ioan. n. cap. 9. dicitur: Peccatores Deus nō audit. Quid ergo dicemus? si Deus pctōres non audit, quē obsecro audit? an non Publicanus peccator fuit? an non sumus omnes peccatores? Si dixerimus, non peccauimus, mēdacem facimus Deum, & sermo eius

non est in nobis. Omnis homo mendax. Quid ad hæc dicemus? Rectè dictũ est, peccatores Deus nõ audit, sed intelligatur de impœnitentibus, & his qui in impio & scelerato uitæ genere ambulant & pergunt. Non autem intelligendum est de peccatoribus pœnitentibus, inter quos numerandus est non Pharisæus ille, sed Publicanus. Cùm igitur ostenderimus quamobrem Pharisæi oratio non sit exaudita, nec Pharisæus orare nouerit, tractabimus nunc etiam Publicanum & orationem eius: nam huius oratio tam efficax est, ut cùm attulerit in templum nebulonem sceleratißimum, abstulerit secũ in domum suam uirum sanctißimum. Vnde igitur huius oratio tam efficax fuit? An non & ipse fuit peccator? Certè fuit maximus peccator, sed fuit peccator pœnitens. Tametsi enim horribilia scelera commiserit, tamen iam pœnitebat ipsum scelerum, agnoscebat peccata sua, agnoscebat damnationẽ suam, proponebat sibi in animo se nunquàm amplius tanta scelera cõmissurum, si modo cõsequeretur apud Deum remißionem peccatorum per misericordiã propter semen Abrahæ, hoc est, propter Christũ: Et in hac pœnitentia capescit orationem suam. Nemo enim potest uerè esse orans, nisi uerè pœnitens. Pœnitere autem, est fugere scelera & uitare peccata. Non possumus quidem ad hanc perfectionem peruenire, ut nullum peccatum in carne sentiamus, semper enim manet peccatũ in

carne

carne nostra, quod per fidem in Christum remittitur, attamen eo peruenire possumus, ex gratia Dei, ut peccatum non dominetur nobis, nec perpetretur externo opere. Pœnitentis igitur est uitare scelera, & ad ueram iusticiam aspirare, ita etiam uerè impetrat quod orat. Iudicum decimo, Israelitæ afflicti fuerunt à Philistinis propter idolatriam, & clamauerunt ad Dominum, sed audiunt: Nõ addam ut uos ultrà liberem, ite & inuocate deos quos elegistis, ipsi uos liberent in tempore angustiæ. Dixeruntq; filij Israel ad Dominum, peccauimus, redde tu nobis, quicquid tibi placet, tantum nunc libera nos. Itaq; Israelitæ abrogauerunt omnia idola, & institutum erunt uera sacra, & doluit Dominus super miserijs ipsorum. Idem habes. 1. Reg. 7. Philistini affligebant Israelitas, ac illi clamabãt quidem uiginti annis pro liberatione, sed Dominus non exaudiebat eos, quia nondum erant pœnitentes, adhuc sectabantur idola. Postquàm autem Samuel admonuit eos de abijciendis idolis, & populus pœnituit, tunc Deus exaudiuit & liberauit eos. Deus enim non exaudit orantem nisi pœnitentem. Ad pœnitentiam autem pertinet ut fugiamus peccata, et detestemur ea. Quare ad uerè orandum & per orationem impetrandum quod petimus, necesse est ut agamus pœnitentiam in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

HOMILIA SECVNDA, IN QVA DOcetur, non sufficere ad iusticiam & salutem consequendam externam honestatem, sed requiri cœlestem. Et ostenditur quomodo post iniquitates & peccata æternam consequamur iusticiam & salutem, dicta anno 1537.

QVod recitauimus Euangelion, etsi uideatur prima fronte magno esse offendiculo in uia iusticiæ, tamẽ si rectè explices, maximam cõtinet utilitatem ad consequendã ueram iusticiam. Proponuntur enim duo homines, quorum qui est uir honestißimus, pronunciatur iniustus & dãnatur. Qui aũt est inhonestus ac uarijs sceleribus contaminatus, pronunciatur iustus & beatus. Hæc cùm simplices ac animo imbecilles audiũt, cogitare solent, quid ergo prodest honestatẽ uitæ sectari? Agite designemus & nos scelera, ut audiamus iusti. Hoc aut em Euangelion non docet peccare, sed docet ueram rationem, qua & cum externa uitæ honestate, & post peccata cœlestem iusticiam consequi possis. Sunt. n. duo homusum genera, alterum honestum, alterum inhonestum. Docet igitur hodiernum Euãgelion quomodo utrunq; genus possit ueram iusticiam & salutem consequi. Non enim sufficit esse externa honestate præditum: multi semper fuerunt honesti homines

homines tã inter gẽtes quàm inter Iudæos: multi adhuc sunt inter Turcas, et in alijs nationib. & tamen dãnantur. Inhonestum aũt esse & inhoneste uiuere affert perpetuam damnationẽ. Quare necessarium est ut uterq; tã honestus quàm inhonestus doctrinã huius Euãgelij obseruet, quo perueniat ad uerã suæ salutis rationẽ. Ac proponamus nobis initiò Pharisæum, excutiamusq; uitæ eius honestatẽ. Primum.n. Pharisæus ascẽdit in templum oraturus. Hæc est magna uitæ honestas, frequenter uisitare templum, ac orare & audire cõciones. Inhonestas est negligere publicas preces, et cõciones, ac interea uel in foro deambulare, uel domi nugari. Etsi enim etiã domi orãdum sit, & unicuiq; ratio humana sit data, tamen in Ecclesia discitur uerus orãdi modus, & humana ratio ignorat ea, quæ sunt salutis nostræ, sed ea discenda sunt è sacra scriptura, et ex Euãgelio quod in Ecclesia explicatur. Deinde Pharisæus non est sicut alij homines, raptores, iniusti, adulteri. Magna est uulgi inhonestas. Rapiunt.n. aliena aliquoties uiolẽter, aliquoties fraudulenter: illos uocãt raptores publicos, hos domesticos. Iniusti sunt, uidelicet in mercimonijs emendis & uendendis: hi enim mentiuntur, nugantur, & peierant. Itaq; uita humana plena est mẽdaciorum, impostrarum & peiuriorum. Vide unas tãtum hebdomadales, quas uocant, nundinas, quot putas uno die, imò dimidiato tantũ die mẽ

dacia, nugas & peiuria in foro fieri? Certè innumera. Sunt item mœchi, sunt scortatores. Iuuenis impunè scortatur. Hæc magna est uitæ inhonestas: at uulgò ita uiuitur. Quare hic Pharisæus honestus uir est q̃ nõ sectatur inhonestatem uulgi. Præterea non est sicut Publicanus. Officium publicani etsi per se non sit impiũ, tamen Publicani ferè solebant esse crudeles & iniusti exactores. Ac uulgo officiales, quanq̃ officia per se honesta sint, tamen ipsis frequenter abutuntur. Vnde & prouerbiũ ortum est: Nullum est officium tam abiectum, quod nõ sit suspendio dignũ. Exemplum habes in officialibus Pharaonis, qui ubi rex iusserat unã plagam inferre Israelitis, ipsi inferebant duas. Vide & dispensatorẽ iniquum in Euangelio. Item Iudam Ischarioten. Hæc est magna inhonestas et iniqtas. Quare Pharisæus honestus uir est, q̃ nõ est sicut Publicanus, aut alius quispiã officialis impostor. Cæterùm ad honestatem uitæ nõ sufficit, non esse iniquum & inhonestum, sicut cæteri hoĩes sunt, sed exigitur ut etiã honesta faciãs: nõ est tãtum nõ malè agendum, sed etiã benè agendum est. Quare & Pharisæus absoluit hanc honestatis partem. Primum.n. ieiunat bis in sabbato seu hebdomadã, obseruat publicas & priuatas consuetudines ieiunij, prout fuerũt institutæ ĩ politia Mosaica. Hæc est magna honestas. Quid aũt nũc fieri solet? Honestas penè iudicatur quouis die in hebdomada ebriũ, ac nũq̃ sobrium

sobriũ esse. Quid aũt turpius? An non turpissimũ est uaccã esse maiori ratiõe prædità, quàm hoiem? uacca. n. ità bibit ut nõ necesse habeat ad stabulum duci. Homo aũt bibit, ut nec pes nec manus officium suum faciãt, sed necesse habeat à duob. robustis uiris in domum duci. Res est intolerabilis, & digna quæ interneçione gentis puniatur. Honestus igitur est Pharisæus q̃ sectetur sobrietatem. Honestatis & hoc est, q̃ dat decimas de oĩbus quæ possidet, hoc est, dat uni cuiq̃ quod iuxta legem debet. Quid igitur dicemus? Videmus omnia in Pharisæo honesta, et tamen pronunciatur postea diuino iudicio iniquus, impius, & dãnatus. Quo merito suo? qd obsecro deest ei? Nam diuinũ iudiciũ rectissimum esse oportet, quod pronũciat eum descendere de templo iniustum. Hoc igitur deest ei, q̃ adhuc sit Pharisaicus seu (ut nos loquimur) Papisticus. Pharisæorũ. n. & Papistarũ religio una eademq̃ est. Primùm. n. nõ credit peccata sibi remitti gratis propter semẽ Abrahæ, ex misericordia, sed sentit se pcta sua expiare meritis iusticiæ suæ. Hæc est magna impietas et damnatione digna. Est. n. abnegatio Christi. Deide sentit se legẽ totã implere honestis suis operibus, adeoq̃ nõ implere tantũ, sed etiã aliqd supererogare. Hæc similiter est impietas abducẽs in interneçionẽ perpetuam. Est. n. ex seipso facere Christum ac Deum ipsum, qua blasphemia q̃d potest esse maius? nec quicquam aliud est, quàm ex

tremus Dei contemptus. Adhæc non contemnit tantum Deum, sed et proximũ suum, nõ agnoscit se eadẽ carne & sanguine ab Adamo prognatũ, quo alij homines, sed fastidit alios & despicit uelut ex alto, itaq; nec habet dilectionẽ Dei nec proximi, hoc est, nullam legẽ Dei rectè obseruat. Quare in maxima honestate maximus est nebulo, id quod sit propter Pharisaicam suam religionem, quam nos Papisticã uocamus. Hæc de Pharisæo. Videamus nunc de Publicano: Nã Publicanus magnus fuit peccator, ita ut nihil penè differat à publico prædatore: nec quicquã secum affert in templum præter scelera & crudelitates, Nihilominus tamen pronunciatur diuino iudicio iustus & descendit è templo pius. Quid igitur fecit, quo consecutus est tantam iusticiam in summa iniquitate? Factus est Euãgelicus, percussit pectus, et dixit: propicius esto mihi peccatori. Quid? hoccine tantum est, ut propter ipsum reputetur tam citò iustus? Si leui pectoris percussione, & tribus aut quatuor uerbis potest impetrari iusticia in tãtis iniquitatibus, agite, pergamus iniquè agere, et cum pertæsum est, ueniamus & percutiamus pectora, dicẽtes, Propicius esto mihi peccatori? Ergo ne tũc iusti erimus? Certè si hoc rectè et seriò fieret, cõsequeremur iusticiã. At difficilius est rem ipsam præstare, quàm uocabula ista recensere. Videamus igitur Publicanum, Non. n. solum percussit pectus, nec recitauit tã-

tum

tum hæc uerba, sed considerãda sunt ea quæ sub his uerbis latent, & quæ antè, & post egit. Primum.n. peccata sua ita agnouit, ut sentiat se dignum æterna morte, & ardeat igne inferni, unde non audet oculos attollere: Hoc contemptores non faciunt, qui nolunt in suis peccatis reprehẽdi. Deinde credidit Deum sibi propiciũ propter semen Abrahæ, & ex hac fiducia orat: Hoc similiter contẽptores non faciunt, quia nõ requirunt Christum. Postremò iustificatus ex fide, relinquit pristina peccata, & ambulat in iusticia. nec hoc faciunt contemptores, sed pergunt in suis sceleribus. Quare manent hi iniusti, Publicanus autem reputatur iustus. Habes exemplũ Pharisæi & Publicani, quod proponitur nobis, primùm, ut discamus externam honestatem uitæ non sufficere ad ueram iusticiã, sed cœlestem requiri. Deinde ut discamus ueram rationẽ, qua post iniquitates consequamur iusticiam & salutem. Ad hæc, ut discamus nullum præ nobis contemnere. Etsi enim peccata eius uidimus, resipiscentiam tamen eius non uidimus. Postremò, ut ex ambobus eligamus quod rectũ est, à Pharisæo honestatem uitæ, à Publicano ueram & rectam Religionem in Christum Iesum, &c. Amen.

DOMINICA XII. POST TRInitatis, Euangelium Marci 7.



ET iterũ exiens de finibus Tyri, uenit per Sidonẽ ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum & mutum, Et deprecabãtur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eũ de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas eius, & exspuẽs, tetigit linguam eius: & suspiciens

ciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Hephatha, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, et solutū est uinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quãto aũt magis eis p̃cipiebat, tãto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

HOMILIA PRIMA, DE FIDE IN *Christum, & charitate erga proximum.*



Tsi in hoc Euangelio quod recitauimus unum tantum miraculum breuibus cõmemoratur, tamen multa nobis in eo discenda proponuntur. ac imitiò hi qui adducunt surdum et mutum ad Iesum ac deprecantur ut imponat illi manum, hoc est, ut curet ipsum, faciunt opus fidei in Christum, et charitatis in proximum: fidei enim est, quòd sperent curationem surdi & muti à Christo: charitatis est, q̃ proximum suum bis miserum tanto fauore amplectuntur, ut offerant ipsum Christo

curandum. Quo exemplo etiam admonemur, quid proximis nostris miseria oppressis debeamus. Lex enim Dei est, Dilige proximum tuum sicut teipsum. Dilectio autem variis modis exercetur: nō enim constat tantū interno cordis motu, uerūm prodit se externis operibus. Inter ea autem opera continetur etiam intercessio apud Deum pro salute proximi. Quare non tantū pro nobis ipsis, sed etiam pro nostris proximis orandum est, id quod Christus significauit cùm docuit nos suam orationem quam uocamus Dominicam. eam enim uoluit esse communem, ut dicamus, Pater noster, non tantum meus, & panem nostrum, non tantum meum, & debita nostra, non tantum mea, &c. Ac uide mihi talis orationis seu intercessionis energian. Etsi enim corpore quispiam tam imbecillis est, ut ne infantē quidem è terra alicuius longitudine cubiti leuare potest, oratione tamen, & pia intercessione potest uniuersam secum Ecclesiā è terra usq; ad cœlum leuare: & quod hi qui proponunt Christo surdum conspiciendū extrinsecus & corporaliter faciunt, hoc potest intercessor spiritualiter, ut oratione sua proponat Christo in maiestate sua uniuersam Ecclesiam cōspiciendam. Non est autem sentiendum quòd tantum hi adiuuandi sint oratione qui nō possunt uel per ætatē, uel per morbos petere, ut pro ipsorum salute oremus, sed orandum est indiscriminatim pro omnibus,

siue corpore, siue animo male affectis, etiãsi non intelligant nec petant beneficiũ orationis. Apud Matt. cap. 9. offertur Christo curandus Paralyticus, qui nõ potuit nec intelligere nec petere tale beneficium, Et Christus respiciens baiulorum fidem, curat eum. Apud eundem, cap. 15. intercedit mater pro filia à dæmonio uexata, quæ filiæ nihil tale præ dæmonio necogitare quidem potuit. Apud Marcum offeruntur Christo etiam infantes nondum ratione utentes. Apud eundẽ offert Christo pater filium mutum & dæmoniacum. Hi omnes nec petebant, nec intelligebãt beneficium, seruantur aũt aliena intercessione. Huc pertinet etiam hodiernus mutus. Quibus exemplis monemur, ut commendatos in oratione habeamus omnes siue corpore siue animo malè affectos & salute indigentes. Orandum igitur est pro salute infantium, orandum est pro salute impiorum, ac omnino pro omnibus, ut Paulus ait, hominibus. Hoc enim bonum est & acceptum coram Seruatore nostro, qui cunctos homines uult saluos fieri & ad agnitionem ueritatis uenire. Etsi enim non omnes consequuntur salutem, nec meriti sunt ut oratione iuuentur, tamen nostrum officium faciendum est: & dignus est Deus cui obediamus, qui iussit nos orare. Iudæus qui à Latronibus semiuiuus relinquebatur, non erat dignus qui adiuuaretur à Samaritano, quippe quòd extremo odio persequeretur Samaritanum, et cupe

ret eum interire. Samaritanus tamen suum debebat facere officium, et dignus erat Deus, cuius præcepto obsequeretur. Sic dicendũ erit de impijs hostibus Ecclesiæ: & si enim indigni sunt qui iuuentur precibus ecclesiæ, tamen quia sunt animo malè affecti, dignus est Deus cui ecclesia obsequium præstet ac oret pro persecutoribus. Quid ergo, inquis, est, quòd Hieremiæ prohibetur ne oret pro populo suo in impietate suffocato? Noli, inquit Dominus, orare pro populo isto. Hoc autem exemplum non est generale, sed personale. Et quemadmodũ Abrahæ præceptum fuit ut offerat filium suum, quòd exemplum magis est admirandum quàm imitandum, ita cùm præcipitur Ieremiæ ne oret pro populo suo impio, ad hanc solũ personam pertinet. Nam alibi in Ezechiele cap. 22. conqueritur Dominus, quòd nemo interponat oratione sua sepem &c. Quid autem ad Ioannem dicemus, qui dicit peccatum esse, pro quo non sit orandum, 1. Ioan. 5. Est peccatum, inquiens, ad mortẽ, nõ pro illo dico ut roges? Sed hoc sic intelligendum est, quòd nõ sit orandum, ut Deus fortunet manifesta scelera & peccata, de quo loco alibi copiosè diximus. Ergo ne etiam pro mortuis orandum est, pro ijs uidelicet de quorum salute dubitamus? Alia ratio est mortuorũ quàm uiuorum. Viuẽtes adhuc in eo statu sunt, in quo possint tã corpore quàm animo iuuari et resipiscere. Mortui autẽ sunt in eo statu, in quo nul-

Oratio pro mortuis nunc.

lus

lus locus est resipiscẽtiæ: itaq; nõ possunt iuuari corpore, quia deposuerunt oẽs infirmitates corporis, et expectant resurrectionẽ: nec animo, quia in futuro seculo non est locus resipiscentiæ, sed in hoc tantum seculo. Quare & si mortuis optare licet omnia fœlicia, tamen quia iudicia Dei sunt immutabilia, uana est oratio pro mortuis. Atq; hæc de oratione & intercessione pro alijs. Sed quomodo Christus habet sergamutum & surdum oblatum? Suscipit eum clemẽtissimè, ac seductum eum à turba curat tam à mutitate quàm surditate, ita ut omnes homines miren tur. Hoc miraculo Christus, ut confirmauit ueritatem Euangelij sui, ita etiam palàm testatus est, se suscipere preces piorum, & uelle miseros iuuare: hæc enim est pars Euangelij eius. Nam cùm adhuc in terris uitã ageret, nullum unquã corpore malè affectũ & sibi oblatum repulit, iuxta promissionem suam: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Nunc autem cùm in maiestate sua uiuat, nullum reijcit animo malè affectũ, qui salutem ipsi offertur precibus, & qui oblatam salutem non reijcit. In baptismo offerimus Christo mutos & surdos, hoc est, infantes, & suscipit curãdos. Sunt & omnes homines natura muti coram Deo, quia non possunt eum inuocare ut patrem: & surdi, quia non audiunt uerbum Dei, sed si Christo in manus tradantur, id quod fit per concionẽ Euãgelij & intercessio

nẽ, tunc liberantur à surditate & mutitate. Quare nihil prius faciendũ est, quàm ut Euangelion Christi per fidem accipiamus, & pro nobis inuicem intercedamus. Vide aũt mihi quibus ceremonijs Christus curet surdum & mutum. Seducit eum seorsum à turba, mittit digitos in aurem, & expuens in digitum, tangit linguam eius, ac dicit: Ephata, hoc est, aperitor: Quid? nõ potuit Christus sine his ceremonijs curare mutum? Potuit certè, sed uoluit toti Ecclesiæ concionari his ritibus de efficacia sacramentorum suorum. Non uoluit hoc loco instituere ceremonias administrandi baptismi, quemadmodum Papistæ usurpauerunt ritum spuendi & linendi oculos infantis in baptismo, sed uoluit docere, quanta esset uis uerorum suorũ sacramentorũ. Digitus & tactus sputi per se nihil potuerunt efficere, sed digitus Christi & sputũ eius in hunc usum ordinata, ut sanarẽt mutum ac surdum, effecerũt quod Christus uoluit. Sic aqua & panis ac uinum per se nuda sunt creatura, sed accepta in manus Christi, & ordinata ad sacramenta nobis salutaria, certè efficacissima sunt. Et additur uerbum Ephata, quo significatur prædicatio Euangelij, quod est potentia Dei ad salutem omni credẽti. Cæterùm quòd Christus mandat ne cui dicant, modestiæ est, ac etiam uoluit aliquandiu à laboribus interquiescere, sicut & suprà in cap. 6. Marci. Postremò quanto magis prohibebat Christus, tanto magis diuulgabãt illi, &

Sacramentorũ efficacia.

& aiũt, Benè omnia fecit, surdos fecit audire, & mutos loqui. Hìc mihi uide uariam hominum inconstantiam. Nunc homines cũ uident miracula non possunt satis commendare Christum. Postea autem cùm Christus raperetur ad crucẽ & infamaretur, nemo erat qui ipsum excusabat, & tamen uerisimile est multos affuisse qui acceperant ab ipso sanitatem. Sic solennis est consuetudo inter homines, si quẽ audiunt cõmendari, commendant etiam ipsi: si uero audiant aliquem infamari, infamant eum & ipsi. Ac uix unus inuenitur in tota congregatione, qui innocentem excusatione sua tueatur. Hoc certè Satanicum est. Nã sicut debemus pro nobis inuicem apud Deum intercedere, ita etiam in calumnijs debet alter alterũ excusatione & pro sua modestia defendere. Horribile est homicidium si quis uidet proximum in aquis periclitantem, et non accurrit, si potest, ut iuuet eum: ita si quis audit proximum periclitari fama, & non defendit eum pro sua modestia & uocatione, genus certè homicidij est. Salomõ ait Prouerb. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortẽ, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris, uires non suppeunt, qui inspector cordis est, ipse intelligit, et seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetq; homini iuxta opera sua. Hoc non intelligendum est de illegitima liberatione, sed de legitima. Magistratus debet gladio & uoce innocentem tueri. Vicinus aũt debet tuer i

noce uicinum suum quem audit infamari. Nam hominem infamare est eum uelut ad mortem ducere, & ad interitum trahere. Quare si quis uoluerit esse pius, defendat proximũ suum excusatione iusta & modesta: & quia publica conuiuia plena sunt detractionum, nec ullus ferè illic relinquitur locus excusationi innocentis præ ebrietate conuiuarum, ideò tutissimum est à publicis illis ebriosis cõuiuijs abstinere, & cum sobrijs ac honestis uitam ducere. Habes huius Euangelij pericopen, in qua docemur & fidẽ in Christum, & charitatem in proximum, &c.

HOMILIA SECVNDA.

RECitauimus Euangelion, in quo cõtinetur obseruabile miraculũ de surdo & muto restituto, nec dubium est quin sit uerissima historia: nõ solum enim Euãgelistæ describunt talia miracula Christi, sed etiam Prophetæ prædixerunt antea, quòd Christus aperturus esset aures surdorum. Esaiæ. 35. Similiter etiam aduersarij Christi fatentur miracula ab eo edita. Cùm penderet in cruce uociferabãtur, alios saluos fecit, seipsum seruare non potest. Etsi enim multi, qui negare non poterant, adscribebant miracula magiæ & dæmonibus: Dicebãt enim, per Beelzebub principem dæmoniorum eijcit dæmonia, tamen confitentur miracula ab

ab eo edita. Quòd aũt sunt non magia sed spiritu sancto edita, aliàs ostenditur. Nunc sufficit, q̃ nihil certius sit, quàm hodiernũ miraculum et alia id genus miracula esse à Christo in terris edita. Quare debet nobis illud hodiernum cõmendatum esse: Sed adhibenda est diligentia, ut rectè inspiciamus, & cognoscamus in quem usum sit nobis propositum et literis mandatum. Non.n. scriptum est uel propter Christũ ipsum, uel propter mutum & surdum, sed propter uniuersam Ecclesiam. Et stultè faceremus si hodierno die omnia reliqua negocia intermitteremus, ut audiremus rem nobis parum utilem. Dicamus ergo de huius miraculi usu. Primùm Christus non hoc tantum, sed etiam alia edidit miracula generaliter in hunc usum, ut ostenderet cœleste testimonium suæ uocationis & legationis à Deo patre suo. Solenne .n. est ut legati accipiant à dominis suis literas Credentiæ, quibus testificẽtur se esse missos, et fidem suis narrationibus adhibendam. Christus aũt missus est à Deo patre suo in terras ad cõficiendum negociũ longè oĩm maximum, uidelicet q̃ esset is, qui ab initio mundi promissus esset, ut expiaret peccata hominum & placaret iram Dei, ac destrueret mortem et infernum, quo genus humanum iterum restitueretur amissæ hæreditati. Hæc est legatio omnium excellentissima, & negocium lõgè omnium maximum. Quare noluit Deus Christum filium suum mitte-

re sine literis credentiæ, ut sciremus, q. quæcunq; diceret, essent cœlestia oracula: hæ autem literæ sunt Miracula. Ioã. 5. Opera quæ dedit mihi pater ut perficiam, perhibent testimonium de me, q. Pater misit me. Et aliàs. Si mihi non uultis credere, credite operibus. Consueuit Deus & aliàs legatos suos hoc dono edendorum miraculorum pro literis Credentiæ ornare. Exempla sunt Moses, Elias, Elizæus, Apostoli & alij. Quare quoties recitatur nobis miraculum, sciamus nobis proponi literas Credentiæ cœlestes, quibus excitamur ut adhibeamus fidem Euangelio Christi. Cæterùm cùm & mali possint miracula edere, sicut est in Exodo, Deut. 13. & Matt. 7. miracula Christi tanto magis merentur fidem, q. hic sit uerus Christus, nec sit in alio salus, quãto clarius omnia alia quæ prophetæ de Christo dixerunt in hãc Iesum cõueniunt. Est enim de familia Abrahæ et Dauidis: similiter natus est ex uirgine, Et eo tẽpore, quo prædixerunt Iacob & Daniel: similiter mortuus est & resurrexit &c. Breuiter omnia impleuit, quæ Prophetæ prædixerunt de eo. Ergo miracula eius uerè testificantur ueritatem legationis eius.

Secundò, hoc miraculum affert nobis maximam consolationem, & quasi promissionem in rebus nostris deploratis. Vides hunc surdũ & mutum, res eius ita sunt deploratæ, ut naturaliter iuuari nõ possit, et tamen Christus uno simplici uerbo eum iuuat,

&

& à surditate ac mutitate liberat. Quo testimonio significat Christus, se uelle nostri causa etiam rerum naturam inuertere, modo adducamur ad ipsum. Hoc idcirco obseruandum proponitur, ut excitemur & contineamur in fide, cùm uidemus naturaliter nobis non posse contingere auxilium. In aduersis enim, cũ desinit humanum auxilium, tunc cogitare solemus, sicut est in Iob, cap. 22. q̃ terra non deseratur propter nos, et q̃ nubes latibulum eius sit, nec nostra cõsideret Deus, sed circa cœli cardines ambulet, &c. Sed sciamus hominem inuocantem ex fide tantæ esse curæ Deo, ut non solum propter totam gentem, sed etiam propter unum hominem, naturã euertat, quo subueniat inuocanti. Exempla sunt Israelitæ in mari & deserto, Item in Babylone subuertit Monarchiam ad liberandum populum suum &c. Item Dauid conclusus in manibus inimici. Item Elizæus, ac innumeri alij. Esa. 43. Noli timere, quia redemi te, & uocaui te nomine tuo, Meus es tu, cùm pertransieris per aquas tecum ero, & flumina nõ operient te: cũ ambulaueris in igne, non consumeris, & flamma nõ ardebit in te, quia Ego Dominus Saluator tuus &c. Nã si Christus filius Dei pro unoquoq; singulariter descendit de cœlo & affixus est cruci, certè Deus potest unumquemuis singulari cura complecti, præsertim cùm non indigeat multo labore: uno saltem uerbo iuuare nos potest. Vnũ uerbũ dixit, & facta sunt

cælũ et terra: sic & uno uerbo liberare nos potest, quia omnipotens, & uult, quia promisit, & est uerax. Nos saltem hoc agamus ut extorqueamus ei hoc uerbũ, id tum fiet, cùm conciliamur cũ ipso per Christum, & inuocamus eum ex fide, et perseueramus in uocatione ipsius. Tertiò, obseruemus etiam modũ restituẽdi surdi & muti. Digito terebat aurẽ, & sputo tangebat linguam. Mira res, q. sputum tanti sit momenti, sicut aliàs fecit lutum ex sputo et impositum eo pro emplastro: hoc potius reddidisset per se, uidentem, cæcum: sed sciamus ea benedicta esse & efficacia quæ sumit Christus in manum. Sumpsit in manus quinq; panes, qui ita benedicti sunt, ut multa millia ex ijs ciborentur. Sumit in manum feretrum adolescentis mortui, & mortuus surrexit. Omnia sunt benedicta in manu Christi. Hoc obseruemus primũ, ut discamus efficaciam nostrorum sacramentorum. Aqua pauciſsima est in Baptismo, Panis pauciſsimus est in cœna Dominica, sed in manu Domini per uerbum eius sunt efficaciſsima. Deinde ut admoneamur, quo nostra pauca reijciamus in manũ Domini. Psalmus dicit: Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. quare? quia modicum iusti est in manu Domini, et benedicitur. Similiter, qui propter me deseruerit domum, agros &c. centuplũ recipiet. Quare? quia quod deseritur propter Christum, recipitur in manum Domini, & benedicitur, Sicut ager recipiens

Christi manus omnia benedicit.

recipiens semen reddit centuplum, ita manus Domini etc. Assuescamus igitur nostra pauca in manus Domini reijcere, id fiet, reconciliatione cũ Deo per Christũ, Inuocatione ex fide, & Obedientia. Quartò, proposuit spiritus sanctus in hoc muto & surdo exemplum uniuersi humani generis: qualis est hic mutus & surdus coram hominibus, tale est natura sua uniuersum humanum genus. Natura enim sumus coram Deo surdi, quia non possumus audire uerbum Dei, nec uolumus: sumus muti, quia non rectè inuocamus Deũ. In hoc quidem mundo satis sumus acres auditu, & eloquentes. Sicut noctuæ in nocte rectius uident, quàm in die, ita & nos in tenebris huius mundi perspicatiores sumus, q̃m rebus diuinis. Id fit propter peccatum, quod claudit aures & os. Hæc est nostra summa miseria. Si. n. audiremus Deum loquentem, & uicißim nos cum eo colloqueremur, tunc essemus salui. Nos autem sumus surdi, & muti natura. Quomodo ergo sanabimur? Si patimur nos adduci ad Christum: hoc ita fiet, si diligenter accedamus ad audiendam concionem Euangelij, & utamur Sacramentis ex fide propter Christum, ut ambulemus in uocatione Dei. Cum Iudæo non loquitur Deus, nec Iudæus potest colloqui cum Deo: est surdus & mutus, quia non patitur se adduci ad Christum, nõ audit Euangeliũ. Sic nec Turca, sic nec impœnitẽs Christianus. Summa miseria est, hos non posse Pater noster

Homo natura mutus & surdus est.

orare. Quare patiamur nos adduci ad Christũ. Nec opus est, ut nos à Christo discamus talia edere miracula, sed tantũ ut iustã & piã uitã instituamus. Vt. n. res sese humanæ habẽt his tẽporibus, magnũ & ingẽs miraculũ est, honestè uiuere, siquidẽ miraculũ est quod fit præter cõmunem et uulgarẽ morẽ. Nũc aũt uulgaris mos est inebriari, ergo miraculũ est ducere uitam sobriã. Nunc uulgaris mos est exercere imposturas, Itẽ execrari, maledicere, scortari, & alia scelera designare. Ergo miraculũ est, iustè negociari, honestè loqui, & castitatẽ sectari. Hæc sunt miracula quæ à Christo discamus, nõ ut surdos restituamus, aut mortuos excitemus, nisi allegoricè intelligamus, ut oẽs cõferamus operã nostram, quo hoĩes adducantur ad Christũ, et fiãt eo audiẽtes & loquẽtes. Habes usum huius miraculi, uidelicet, q̃ sit unũ ex literis Credẽtiæ, quod in rebus deploratis cõtra naturã affert nobis consolationẽ, q̃ quæ in manus Domini reĩciãtur fiãt benedicta, q̃ excitemur ut adducamur ad Christum, quo fiamus audientes & loquentes. Deus det incrementum spiritu sancto suo, &c.

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS, Euangelium Lucæ 10.

ET cõuersus Iesus ad discipulos suos dixit: Beati oculi q̃ uidẽt q̃ uos uidetis. Dico. n. uobis, quòd



ꝙ multi Prophetę & Reges uolue runt uidere. q̃ uos uidetis, & nõ ui derunt, & audire quę uos auditis, et nõ audierũt. Et ecce q̃dã Legisꝑe ritus ſurrexit tẽtans illũ, & dicens: Magiſter, q̃d faciẽdo uitã æternã poſsidebo? At ille dixit ad eũ: In le ge quid ſcriptũ eſt? quomodo le/ gis? Ille reſpondens dixit: Diliges

Dñm deum tuũ,toto corde tuo,& tota anima tua,& oĩbus uiribus tuis,& tota mente tua,& proximũ tuum ſicut teipſum.Dixitq; illi:rectè reſpõdiſti,hoc fac & uiues.Ille aũt uolens iuſtificare ſeipſum,dixit ad Ieſum:Et quis eſt meus proximus?

Reſpõdens aũt Ieſus,dixit: Homo quidã deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho,& incidit in latrones,qui etiã deſpoliauerunt eũ,& plagis impoſitis,abierunt ſemiuiuo relicto.Accidit aũt,ut ſacerdos quidã deſcenderet eadẽ uia,& uiſo illo præteriuit.Similiter & Leuita cum eſſet ſecus locum, et uideret eũ,pertranſiuit.Samaritanus autẽ quidã iter faciẽs, uenit ſecus eum, & uidẽs eum miſericordia motus eſt.Et appropiãs alligauit uulnera eius,infundens oleum & uinũ: Et imponens

imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulũ, & curam eius egit. Et altera die ꝓtulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Cura illius habe, & quodcunqꝫ supererogaueris, ego cum rediero reddã tibi. Quis horum trium uidetur tibi ꝓximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: qui fecit misericordiã in illum. Et ait illi Iesus: uade, et tu fac similiter.

HOMILIA PRIMA, HABITA anno 1537.

Prudenter à maioribus constitutum est, ut hæc Euãgelij pericope, quam ex Luca recitauimus, singulis annis in propria Dominica publicè in ecclesia commemoretur. Quanquàm enim imperiti sumpserunt ex hoc Euangelio occasionem docẽdi de meritis humanorum operum, cùm Christus dicat, hoc fac & uiues, tamen si rectè intelligatur, continet multas et magnas partes Christianæ doctrinæ ad salutem nostram necessarias. Tractat enim eam quæstionem, quæ semper tam in

ore quàm in corde oĩm sanorum hoĩm uersari solet, uidelicet, quid faciendum sit, ut posſideamus æternã uitam. Hæc est illa quæstio, hæc illa cura & sollicitudo, quæ merito oẽs homines exercere debet. Nam cõstituit nos Deus in hanc terrã, non ut sectemur tantum hanc corporalem uitam, sed ut inquiramus futuram uitam. Continet item hoc Euangelion summũ compendium, & epitomen omnium diuinarum legum, quæ in tota sacra scriptura extant. Præterea perſpicuè indicat nulla eſſe humana opera tãta, quæ perfectè satisfacere queant ſeueritati legis diuinæ. Huc accedit q, conuincat omnes homines peccatorũ & damnationis. Poſtremò docet luculenter, quis ſit proximus, aut quem hominum pro proximo agnoſcere debeamus. Hæc omnia ſunt nobis ad ſalutem cognitu neceſſaria. Quare magna opera danda eſt, ut hanc Euangelij pericopen rectè intelligamus, & quod in ea docetur, alta mente reponamus. Accipiamus autem primùm omnium præ manibus epitomẽ totius diuinæ legis, quæ hìc recitatur. Nam cùm interrogatus eſſet Chriſtus, quid faciendo, uita æterna poſſideretur, ac uiciſſim interrogaretur de ſumma legis, audit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus uiribus tuis, & ex tota mẽte tua, Et proximum tuum, ſicut teipſum. Harum legum altera ſcripta eſt Deut. 6. altera Leuit. decimonono. Hæ duæ leges ſunt epitome totius legis,

legis, & omnium diuinorum præceptorum. Sic Christus ipse dicit: In his duobus mãdatis tota Lex et Prophetæ pendent. Prior igitur Lex sic sese habet. Diliges, inqt, Dominum Deum tuum ex toto corde. Cor sedes est cogitationum. Generaliter autem hoc loco noïe cordis intelliguntur, nõ solum cogitationes, sed etiam uoluntas, cõsilia, deliberationes, cupiditates, & quicquid est internarũ uirium animæ. In hac ergo lege exigitur, ut nihil planè cogitemus, nisi quod Deo placeat, nihil deliberemus, nihil uelimus, nihil q; cupiamus, q̃ quod Deo gratũ, et acceptum sit. Pauca quidẽ uerba sunt, sed quibus tãta exiguntur, quãta nullus unq̃ etiam sanctißimorũ hoĩm præstitit. Homines. n. pct̃ō origimali usq; adeo corrupti sunt, ut aliquoties (præsertim in cõsideranda rerum oĩm confusione) cogitent nullum esse Deum: aliquoties & si sentiant Deum esse, tamen in aduersis nõ satis perse ctè fidunt ei, et mallẽt Deũ nihil tale exigere. Abraham iussus est à Deo abducere filium suum Isaac, & manu sua imolare: ac fecit quidem opus: sed num pu tas q; toto corde, nulla parte reclamãte fecerit? Hoc certè fuit carni impoßibile. Caro. n. semper pugnat cum spiritu. Deus autem nõ tantum exigit opus externum, sed exigit totũ cor, ut nihil diuersum cogites et uelis. Dauid eijciebatur per filium Absolonem è regno suo, hæc erat uoluntas Dei. Ac Dauid proficiscebatur quidem in exilium, & obediebat Deo, di

cēs: si inuenero gratiā in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi Arcam, & tabernaculum suum. Si aūt dixerit mihi, nō places, præsto sum, faciat, quod bonū est corā se. At non proficiscebatur in exiliū toto corde: maluisset. n. hoc supplicio carere q̄ subire. Deus aūt requirit totū cor, non opus tantum externum. Itē: Deus immittit nobis omnibus mortem. Ac suscipimus quidem eā in fide quotquot in Christum credimus, sed fieri nō potest, ut tāta cupiditate mortem suscipiamus, quanta suscipimus frigidum uinum in uehemēti siti. Quare hæc prima legis pars cōuincit omnes homines peccati, et indicat q̄ etiā sanctissima ipsorum opera, nō sint nec perfecta, nec ad salutem sufficiētia. Altera legis pars est, Ex tota animā. Anima est qua uiuimus, & exercemus opera uitæ. In hac igitur parte exigitur ut diligamus Deū, et obsequamur uoluntati Dei in oībus operibus uitæ nostræ, et ut oēs uitæ nostræ actiones dirigamus ad seruiendū & obsequendum Deo. Cōuincit & hæc pars oēs homines peccati. Nullus. n. unquàm homo inuentus est, qui omnes uitæ suæ actiones, iuxta Dei uolūtatem perfectè instituerit. Ac uulgo quidem ita uiuitur, ut alius dirigat actiones suas ad cōparandum honorē: putat. n. se in hoc creatum, Interea de uoluntate Dei uix semel cogitat in anno. Alius ad augendas diuitias, alius ad sectandas corporis uoluptates. Et hi, etsi nō furentur, nec latrocinētur, tamē uides eos

maximum

maximum & primum oĩm præceptorum Dei non obseruare. Quare corã Deo digni sunt propter hãc impietatẽ æterno supplicio. Inter sanctos etiam nullus unquàm repertus est, qui dilexerit Deum ex tota anima perfectè. Mose multa quidẽ bona fecit, sed ut ea non tota fuere perfecta, ita non omnia opera eius fuerũt bona: fuit enim & ipse incredulus ad aquas contradictionis. Dauid fuit electus iuxta cor Dei, & optima opera fecit, sed oĩa non fuerunt optima. Nunc peccauit irascendo contra Nabal, nunc adulterio, nunc homicidio, nunc ambitione, dum numerat Israelem. Finge aliquem nunquàm nec uerbo nec opere lapsum, tamen quod boni semper fecit, nõ fecit toto corde. Igitur & hæc Legis pars concludit omnes homines tã prophanos quàm sanctos sub peccatum, & æternam damnationem, quãtum quidem in ipsis est. Tertia Legis pars, Ex tota fortitudine tua, Hebræis est מְאֹד quod signficat uehementiam seu ardorem quendam. Exigitur ergo hac legis parte, ut quæ in prioribus partibus præcepta sunt, non frigidè, non tepidè, sed uehementißimè & ardentißimè faciamus. Debemus Deum diligere ex toto corde, idq; non oscitanter, sed maximo oĩm ardore. Debemus Deum sectari tota anima, seu omnibus operibus uitæ nostræ, idq; non somnolentè, sed maxima omnium uehementia. Alij interpretantur מְאֹד pro facultatibus et diuitijs. Sẽsus igitur crit.

Deus ita diligẽdus ita sectandus est, ut ad explendã uoluntatẽ eius nec corpori nostro, nec fortunis nostris, nec oĩbus facultatibus, nec amicis, nec liberis, nec ullis rebus externis, quas posßidemus, parcamus. Habes iterum oẽs homines hac legis parte concludi sub peccatum: Nam uulgus multo magis Deo ipsi, & oĩbus sanctis angelis eius laqueum mandaret, quàm ut propter Deum relinqueret opes, amicos & reliqua externa. Exẽplum habes in adolescente Euangelico Mat. 19. cui dicitur: si uis perfectus esse, uade, et uende oĩa quæ posßides, sed ille tristis discessit. Sunt quidem multi sancti, ut Apostoli, qui ad uocationem Christi oĩa reliquerunt, attamen cum caro semper resistat spiritui, quod fecerunt nõ toto & perfecto corde fecerunt. Scriptum quidẽ est de Rege Iosia. 4. Reg. 23. Similis illi non fuit ante eum, qui reuerteretur ad Dominum, in omni corde suo, & in tota anima sua, & uniuersa uirtute sua iuxta oẽm legẽ Mosi. Hoc autem intelligendum est qualis Iosias fuerit coram humano iudicio in administratiõe regni sui, non qualis fuerit coram diuino iudicio in priuatis uicijs. Nam mox arguitur temeritatis, 2. Paralip. 35. Cùm igitur Paulus dicit, Deus concluſit omnes homines sub peccatum, sentiendum est, ꝙ per hanc legẽ concluserit eos sub peccatum, quia nullus unquàm homo impleuit eam perfectè. Altera Lex similis est huic: Diliges proximum sicut teipsum. Hîc de proxi

mo

mo quæstio est. Iudæi sentiunt amicũ & benefactorem tantum proximi noũe contineri. Christus autẽ pulchra parabola docet, proximum esse eum qui nostra opera et auxilio indiget, siue sit amicus siue inimicus, ut habes in Samaritani exemplo, qui iudicauit hostem suum proximum, eo q̃ indigeret operæ suæ. Concludit & hæc Lex omnes homines sub peccatũ. Etsi. n. benefaciamus amicis, nũquàm tamẽ benefacimus candidè & perfectè inimicis, nondum effudimus sanguinem pro inimicis, sicut Christus fecit. Sed quid ad hæc dicemus? Legisperitus interrogauit quid faciendo uitam æternam poßideret: uidemus autem Christum sic respondisse, ut potius indicauerit ei uiam ad æternam damnationem: iußit enim ipsum præ manibus accipere legem, & legis opera facere. Hoc fac, inquit, & uiues. Nullus aũt hominum hoc facit aut fecit. Nullus igitur uiuet? Rectè, nullus uiuit aut consequitur uitam ex suis operibus, sed tantum ex fide in Iesum Christum, propter quẽ reputamur iusti. Cur ergo remittit Legisperitũ ad Legem & nõ potius ad fidem? quia Legisperitus erat hypocrita, putabat se iustũ, et legẽ implere perfectè, & tamen erat peccatorum maximus. Sicut ad ægrotum contendẽtem se posse liberè incedere dici solet, age, incede, Et hoc dici solet ut reipsa sentiat suã ægritudinẽ. Ita huic hypocritæ dicitur, ut faciat legem, quam tamen non potest facere: & hæc est do

ctrima conueniens hypocritis. Quòd si uero quispiã agnoscens peccata sua, & in conscientia turbatus propter peccata, interrogaret quid faciendo uitam æternam consequeretur? huic de fide in Christum concionandum esset, uidelicet, ut credat sibi propter Christum peccata remissa, & deinceps faciat bona opera ex fide. Sic concionatur Christus mulieri peccatrici, Remittũtur tibi peccata, Fides tua te saluam fecit. In hoc igitur Euangelio habes epitomẽ totius legis, qua omnes homines conuincuntur peccati & damnationis: habes & expositionem proximi. Reliquum est, ut credamus in Christum per quẽ datur nobis spiritus, ut his legibus obsequium præstemus, quantum in hac carne possibile est, &c.

HOMILIA SECVNDA.

REcitauimus pericopen Euãgelij, in qua proponitur et absoluitur quæstio, quæ inter homines debet esse frequentissima, & omnium prima ac postrema. Tametsi enim maxima hominum multitudo nõ hoc quærit, quid faciendo uitam æternam possideant, sed potius quid faciendo uenusti, sani, diuites, & potentes in hoc seculo fiant, tamen hoc præcipuè perscrutandum est, quid facere debeamus ut æternam uitam consequamur. In hoc creati & redempti sumus, non ut in hoc seculo aliquandiu

aliquandiu uiuamus, & postea, aut instar bestiarũ una cũ corpore & anima occidamus, aut in perpetuum supplicium cõijciamur, sed ut post hanc uitam habeamus æternam uitam & fœlicitatem. 1. Thessa. 5. Nõ constituit nos Deus, inquit Paulus, ut iram nobis concitemus, sed ut salutem cõsequamur per Dominum nostrũ Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut siue uigilemus, siue dormiamus, simul cum illo uiuamus. Quare nõ pigeat nos ullius laboris, ut rectã huius pericopes sententiã inspiciamus & conseruemus. Quid faciẽdo, inquit scriba, possidebo æternam uitam? Optima, ac planè ad salutẽ nostram necessaria quæstio. Etsi. n. Legisperitus magis tẽtandi quàm discendi causa hoc inquirit, tamẽ ipsa per se interrogatio tanti est momenti, ut omnes homines debeant de responsione & explicatione eius solliciti esse. Audiamus igitur qd respondeatur. In lege qd scriptum est? Diliges Dominũ Deum tuum, ex toto corde, ex tota anima, & ex totis uiribus tuis, & ex tota mente tua, Et proximũ sicut teipsum. Primùm, etsi hæc responsio breuißima est, tamen cõplectitur uniuersam legem Domini, ac omnia mandata Dei. Omnia enim quæ Deo debemus ex uerbo eius immediatè, comprehenduntur hoc uno dicto, Diliges Deum ex toto corde tuo. Et omnia quæ proximo debemus comprehenduntur hoc uno dicto: Diliges proximum sicut teipsum. Adeoq; in his breuibus dictis nõ

tantũ cõprehenditur totus Decalogus, sed etiã quic quid usquam in sacra scriptura extat præceptorum & mandatorum Dei. Quare qui hæc dicta rectè intelligit, is rectè quoq; intelligit magnam partem sacræ Scripturæ, præsertim eam quæ tradit legem, & mandata Dei. Deinde hæc dicta sint quantumcunq; breuia, tamẽ nullus unquàm hominum inuentus est, qui ea operib. suis perfectè impleuerit, præter Christum, nec ullus alius inuenietur usq; ad nouissimum diem. Id tum manifestũ erit, cùm præsius intuemur horum dictorũ sententiam. Prius est de Deo, quem iubemur diligere ex toto corde. Hypocritæ sentiũt se posse hoc facilimè implere, sed obserua tu mihi, quid & quis sit Deus, sic enim intelliges quàm longè absint ab huius dicti impletione. Deus enim est Pater æternus, qui ab æterno genuit filium suum Iesum Christum, & à quo, atq; à filio procedit spiritus sanctus, sed hunc Deum non ignorant tantum Iudæi, Ethnici & Turcæ, sed etiã persequuntur eum. Idcirco nullus eorum diligit Deum ex toto corde. Itẽ Deus est optimum & summum & omne bonum. Idcirco Deus est ueritas. Nullus autem hominum est, qui ex omnibus uiribus sine ulla rebellione amet ueritatem etiã mundanam, præsertim si ea uideatur damnosa, ut patet in negociationibus. Item Deus est iusticia. Nullus autem hominum est qui iusticiã colat ex animo toto, si ea afferre uideatur cultori aliquod incommodum.

commodum. Item Deus est castitas. Non est autem in ter homines qui ex toto corde, & nulla rebellione carnis amet castitatem, præsertim in flore iuuentutis tẽtatus. Et sic de alijs. Nec hæc tãtum de impijs dicuntur, sed etiã de pijs idem sentiendum est. Etsi autem hi donati sunt spiritu sancto, tamen spiritus sanctus non mutat in hac uita carnẽ in spiritum, sed relinquit carni suam naturã usq; ad mortem. Interea autem pugnat cum ea, et mortificat eam. Quare nõ est homo nec pius nec impius in terra, qui hoc præceptum de dilectiõe Dei perfectè unquàm in hac uita operibus suis impleat. Posterius est de proximo quem iubemur diligere sicut nos ipsos. Videtur & hoc dictum facilimè posse impleri, sed difficultas implendi tum cognoscetur, cum summa eius fuerit explicata. Vt enim alia præteream, uideamus saltem quid nomine proximi ueniat. Proximus enim nõ significat tantum amicum & benefactorem, sed etiã inimicum et malefactorem. Et hoc exponit Christus iucunda parabola, de eo qui inciderat in latrões, et Samaritano. Nam qui incidit in latrões Iudæus fuit. Hoc aũt genus hominum persequebatur Samaritanos odio plusquàm Vatiniano. Et tamen cùm Samaritanus uideret capitalẽ hostem suum indigere ope sua, iudicauit eum proximum. Leuita autem & sacerdos prætereunt eum crudeliter, quia nõ iudicant eum esse proximum suum. Melius igitur iudicat Sa

maritanus ex lege naturæ, quis sit proximus suus, q̃ sacerdos & Leuita è suis traditionibus. Cùm ergo nomine proximi contineatur tam amicus, quàm inimicus, reipsa sentimus naturã nostram corruptam abhorrere à præstandis beneficijs inimico. Et quanquàm nõnunquàm admoueamus manus ad benefaciendum inimico, tamen amarulentia cordis non omnino remittitur. Nullus igitur hominum est qui hanc legem de diligẽdo proximo perfectè impleat in hac uita, quanq̃ spiritu sancto donatus. Si ergo res ita se habet, quid est q̃ Christus commendat respõsionem Legisperiti, & aliâs ipse quoq; hanc quæstionem de consequenda uita æterna eodem modo explicat? An non deducit nos ad uiam, quam non possumus ingredi? An non ostendit nobis consequendæ æternæ uitæ rationem, quæ nobis est impossibilis? Rectè, Omnino enim Christus deducit hac responsione nos ad ea quæ nobis facta sunt impossibilia. Ergo dices, nullos homines posse consequi æternam salutem? Id uero dico, si quidẽ nulla alia præter hanc esset nobis proposita uia consequẽdæ æternæ salutis. Nunc autem benè se res habet. Cùm enim Deus uideret, quòd hæc uia ad salutem perueniendi per impletionem legis, esset hominibus non difficilis tantum sed etiam impossibilis, idcirco proposuit aliã uiam, quæ est ipse Iesus Christus filius Dei. Postquàm enim homo ita corruptus est peccato, ut non possit præ peccato satisfacere

tisfacere legi, misit Deus filium suum, qui legem impleuit, & quem Deus nobis donauit, ut quisquis in eum credit, habeat impletionem legis & æternam uitam. Sic docet Paulus Roman. 8. Quod lex præstare non poterat ea parte, qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato cõdemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui nõ secundum carnem uersamur, sed secundum spiritum. Et Roma. 10. Finis legis est Christus ad iustificationem omni credenti. Vnde & Christus eo consilio deducit primum Legisperitum ad facienda legis opera, nõ quòd sentiret eum posse ea implere, sed ut extorqueret ei hanc querelam, q̃ non posset legi satisfacere, ideoq; petat doceri, num alia quæda uia esset perueniendi ad salutẽ, ibi tum docuisset eum Christus de Euangelio suo, sicut Nicodemum docet: sed quia Legisperitus erat hypocrita, ideo discedit impletus fiducia suæ ipsius iusticiæ, nec requirit iusticiam Christi. Nobis autem contrà faciendum: quoties explicatur nobis aliquod præceptum Dei, confestim fateamur nostram imbecillitatem, agnoscamus nostram impossibilitatẽ, & inquiramus Christum, qui solus est impletio legis. Nam & hunc suspexerunt Patriarchæ & Prophetæ, & pij Reges apud ueteres: quoties cogitauerunt de sua imbecillitate, confugerunt ad promissiones de Chri

sto, atq; in ipso salutẽ suam quæsiuerunt. Sicut Christus ab initio hodierni Euangelij concionatur. Et tamen cùm Christum fide accipimus, non ita sentiendũ est, q̃ iam absoluerimus omnes partes officij nostri, sed redeundum est nobis ad hæc duo mandata de dilectione Dei, & proximi, & inchoandum est per spiritum sanctum exercitium eius dilectionis, ac ita quidem nos geramus, perinde ac si uellemus omnem dilectionem implere. Semper tamen cũ Dauide confitẽdum est: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et cum Paulo: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Habes duas uias ad consequendã æternam uitã, alteram legem, alteram Christum, & cùm non licet nobis ingredi in cœlum per legem, ingrediamur per Christum, sed interea tamen exercitium nostrum in lege habeamus, ut in uocatione Dei ambulantes custodiamur æterna salute per Christum Dominum nostrum, &c.

DOMINICA XIIII. POST TRInitatis, Euangelium Lucæ 17.

DVM iret Iesus in Hierusalẽ, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur



deretur quoddã caſtellũ, occurre-
runt ei decem Leproſi, qui ſtete-
runt à longe, & leuauerũt uocem,
dicentes: Ieſu præceptor miſerere
noſtri. Quos ut uidit, dixit: Ite, o-
ſtẽdite uos Sacerdotibus. Et factũ
eſt, dum irẽt, mundati ſunt. Vnus
autem ex illis, ut uidit, q̃ munda-
tus eſt, regreſſus eſt cũ magna uo-

ce, glorificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? Et nouē ubi sunt? Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriā Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, uade, quia fides tua te saluum fecit.

HOMILIA PRIMA.

VTilissimum est, & hoc conuentu dignissimū, ut explicationem hodierni Euāgelij audiamus. Tametsi. n. leprosi alioqui solēt ab hominū congregatione separari, ne sani ab his contagione inficiantur, tamen hodiernum Euangeliū adducit in medium tales leprosos, à quibus tantū abest, ut nobis periculum cōtagionis metuendū sit, ut potius doceant uiam, qua non solū ueram animæ puritatem & sanitatem consequamur, uerumetiam eam conseruemus. Quare non pigeat nos huius laboris, quo ad audiendā huius Euangelij explicationē conuenimus. Manifestum aūt est q, hypocritæ abusi hactenus sint hoc Euangelio ad confirmandam auricularem

cularem illam Papisticam confessionē, ex eo q̄ Christus ad Leprosos ait, Ite & ostendite uos sacerdotibus. Ac tolerabile quidem est, q̄ docuerunt lepram significare peccatum: habent enim multam inter se cognationem, sed hoc absurdum est, q̄ interpretati sint ostendere pro enumerare articulatim omnia peccata sua. Christus. n. nō remisit leprosos ad sacerdotes, ut auditores confessionis, sed ut ordinarios iudices de externa lepra, ut est Leuit. 13. & 14. Nihil igitur hoc loco agitur de auriculari illa confessione. sed scriptura proponit nobis in his decem leprosis pulcherrimum exemplum, quo discamus ueram uitā non solum consequendæ, sed etiam retinendæ perpetuæ puritatis, sanctitatis & salutis. Non minor est uirtus quàm quærere parta tueri. Audiamus igitur leprosorum exemplum: hi. n. leprosi tam fœdo morbo infecti sunt, ut qui eo laborāt, excludantur ab hominum contubernio, quo morbo redduntur etiā aliquibus partib. corporis ita stupidi, ut si acu aut frama pungantur, non sentiant. Quales autē sunt hi leprosi corpore, tales sunt oēs homines anima corā Deo. Nam per peccatum homines ita contaminati & sordidati sunt, ut sicut leprosi corporales excluduntur à contubernio ciuium terrenorum, ita homines propter peccatum excluduntur à contubernio ciuium cœlestium. Et ut illi acubus puncti nihil sentiūt, ita hi uerbo Dei extrinsecus pūcti, quod est acu

tius omni gladio ancipiti, tamẽ ita ſtupidi ſunt, ut nihil ſentire, nihil intelligere uelint. Hic eſt grauiſſimus morbus, à quo niſi quis liberetur, deprimetur uſq; ad perpetuos ignes inferni. Quomodo ergo liberari poſſumus? Hoc docet exẽplum decẽ Leproſorũ. Primum.n. omnium hi Leproſi intellecta morbi ſui grauitate & fœditate, iudicant ſe indignos qui propius accedãt ad Chriſtum, ſed quia audiuerunt Euãgelion de Chriſto, q. dixerit: Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficillabo uos, credunt ſe ab ipſo conſecuturos ſanitatẽ, et clamant ad ipſum ex hac fide, Præceptor miſerere noſtri. Quid igitur fit? Iubẽtur accedere ad ſacerdotes, ut declarẽtur mundi, ac tãetſi inter eundũ cõſequuntur ſanitatem, tamẽ cũ iuberentur ad ſacerdotes iudices proficiſci, nõdum ſentiunt ſanitatẽ. Hoc miraculum Chriſtus edidit nõ tantũ propter decẽ illos leproſos, ſed potius propter totam Eccleſiã. Voluit.n. hoc & omnibus alijs miraculis teſtificari, q. ipſe ſolus ſit iuſticia, ſalus & redẽptio noſtra, & q. omnis q. in ipſum credit, conſequatur remiſſionẽ peccatorum & uitã æternam. Itaq; ſicut leproſi ad ſolum Chriſtum feſtinant ut mundentur, ita & nos credentes in Chriſtũ, inuocemus nomen eius ut ſeruemur. Sed quid fit? ſicut leproſi iubentur ſuam ordinationem ſectari, & accedere ad ſacerdotum iudicium (hæc.n. erat uocatio leproſorum, qui mundi declarandi erant) & tamen

men nondum sentiũt sanitatem: ita & Christus iubet nos omnes, postquàm in ipsum crediderimus, sectari nostram uocationem, et obedire mãdatis Dei, ac interea securo ac læto animo expectare iudiciũ Dei, cùm tamen nondum sentiamus ueram animæ puritatem. Nã qui credunt in Christum, etsi extrm secus nõ designent peccata, tamen semper gestant secũ peccatum in carne sua, 1. Ioã. 1. Si dixerimus, peccatum nõ habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Et Paulus Ro. 7. Delectat me lex Dei secundum internum hominem, sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, et captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in mẽbris meis. Quæ etsi ad hunc modũ cum homine habeant, tamẽ quia Christus iussit nos confidenter pergere ad iudicium Dei, pergendum et obsequendum est. Tametsi enim nõ habeamus in nobis iusticiam, tamen ipse donat nobis suam perfectã iusticiam, qua in iudicio Dei constare possumus. Sed quid? tota ne res confecta est, postquàm cõsecuti sumus in Christo remissionẽ peccatorum per fidẽ? Quod quidem attinet ad consecutionem, res perfecta est, sed non est perfecta quod attinet ad conseruationem remissionis peccatorum semel consecutæ. De qua re uideamus exẽplum leprosorum. Postquàm n. consecuti essent sanitatem, & iudicati à sacerdotibus mundi, non omnes decem redeunt ad Christum, & gratias ei agunt, sed unus tantũ

Samaritanus, de quo minimè sperauerat, redit et gratias agit. Reliqui nouem, qui erant Iudæi, qui maximè omnium debuissent esse grati, nō redeunt, nec agunt gratias. Itaq; hi nouem habent quidem sanitatē corporis, sed lepra corporis incidit in animam ipsorum, et iam facti leprosi animo petius habēt propter ingratitudinem quàm unquàm aliàs. Exemplum obseruandum Inter decem unus tantum gratus est, & consequitur ueram salutem. Et aliàs dicit Christus:

Multi uocati, pauci electi.

Multi uocati, pauci electi. Extant similiter alia exempla scripturæ. In diluuio, pauci, hoc est, octo tantum seruantur. In incendio Sodomæ seruatur tantū Loth, cum filiabus. In expugnatiōe Iericho seruatur Raab cum familia. In profectione Israelitarū ad terram Canaan duo tantum, Iosue & Caleb, qui ex Aegypto egressi erāt, perueniunt. Hæc & id genus alia exempla cùm proponuntur, terrent multos homines, & inuitant eos ad desperationē, ut abijciant uocationem Dei, et sectentur desideria cordis sui, cogitātes, quid facias? Si pauci sunt electi, impossibile est, ut tu inter paucos illos locū inuenire queas. Quare sectaberis tua studia, & uiues pro libidine tua. Sed ante omnia is scopus diligenter retinendus est, quē tota scriptura in hoc nobis data sit, nō ut conijciat nos in desperationem, & abducat nos à uocatione Dei, sed potius ut excitet in nobis fidem, & inuitet nos ad sectandam uocationē Dei. Paulus ait: Quæcunq; scri-

pta sunt, in nostram doctrinã scripta sunt, ut per patientiam & consolationẽ scripturarũ spem habeamus. Itẽ: Omnis scriptura diuinitus inspiratus utilis est, ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionẽ, quæ est in iusticia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus. Hæc autem exempla & sententiæ de multitudine reproborum, et paucitate electorũ sunt pars scripturæ. Quæ re sunt nobis propositæ ad salutem nostram, nõ ad perditionem. Nã si ita diceretur: Necesse est absolutè, ut pauci sint electi, nec potest aliter fieri ullo modo, si sic (inquam) scriptum esset, fortassis occasionẽ adhiberet desperandi & cessandi ab officio nostro. Nunc autem commemorantur ista non ad explicandam absolutam necessitatem, nec ut doceatur Deum omnino absolutè sic extrinsecus ordinasse, sed ut reprehendatur hominum ignauia. Deus enim aut filius Dei nõ est causa, q̃ inter decem unus tantum gratus est, q̃ inter innumeros pauci tantũ saluentur, sed hominum torpor et ignauia est in causa. In Esa. cap. 59. dicitur: Ecce non abbreuiata est manus Domini ut saluare nequeat, neq; aggrauata est auris eius ut nõ exaudiat, sed iniquitates uestræ diuiserũt inter uos & Deum uestrum, & peccata uestra absconderunt faciem eius à uobis ne exaudiat. Manus enim uestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti uestri iniquitate. Prouerbio. cap. 1. Vocaui & renuistis, extendi manum

meã, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne cõsilium meũ, et increpationes meas neglexistis. Nam quod ad habendã salutem attinet, sic se res habet. Primum omnium Dominus noster, quantum in ipso est, proponit nobis omnia necessaria ad salutem, nec potest Deus uel in minima re accusari. Misit. n. filium suũ unigenitum, & nõ pepercit ei, sed tradidit eum pro nobis in mortem, ut redimeret nos à peccatis, et mereretur nobis uitam. Nec tantum ista fecit, uerum etiam uulgauit hoc Euangelion in totum orbem terræ: & dabit nobis tempus, & oĩa necessaria huius uitæ, ut hoc Euangelion audire & percipere queamus. Itaq; quod ad Deum attinet, nihil deest nobis ad salutem. Deinde necessarium est, ut hæc nõ solum publicè proftent, uerumetiã ut nos ea accipiamus. Nihil profuerit solem lucere, nisi oculos aperiamus & fruamur luce eius. Sic nihil profuerit Christum esse propositum et Euangelium eius, nisi accipiamus hoc beneficium. Et fides ea est, per quã hæc beneficia accipiamus. Qui enim in me credit, habet uitam æternam, inquit Christus. Et: Sine fide impossibile est Deo placere. Postremó non sufficit ut accipias, sed requiritur etiam ut retineas. Facilè accipi potest, sed non facilè retinetur. Noë cum familia facilè ingrediebatur in Arcam, sed ut inter tot fluctus & immanes bestias familia duraret in Arca, non facilè fiebat. Israelitæ omnes una nocte cõsequebantur libertatem, sed

pauciſſimi

paucissimi retinebant eam. Hi leprosi facilè impetrant sanitatem, sed unus tantum retinet eam salubriter. Sic facilè consequeris remissionem peccatorum, nimirum per fidem in Christum. Exemplũ est Magdalena, & latro, & Paulus, sed retinere eam, hoc opus hic labor. Quomodo uero retinetur? gratitudine, obedientia, officijs à Deo mandatis. Quare & scriptura de paucitate electorum concionatur, cõ queritur nõ de Deo, sed de nostra ignauia &c. Abij cientes igitur ignauiam nostram, uocanti Deo obsequamur in Christo Iesu Domino nostro, Amen.

HOMILIA SECVNDA, habita anno 1554.

MAgnus fuit abusus hodierni Euangelij in Pontificio regno, quòd suscepe rint ex eo probandam & cõfirmandam cõfessionem auricularem. Non est autem obscurum, & prorsus nihil hìc de obseruanda auriculari cõfessione constituatur. Etsi. n. leprosi mittuntur ad sacerdotes, non tamen mãdatur eis ut enumerẽt peccata sua, sed quod agitur, Leuiticũ est & Politicum: & quod in nostra Politia est officium medicorum & chirurgicorum, hoc fuit in politia Mosi officiũ sacerdotum, ut de lepra iudicarent, iuxta legem quæ scripta est Leui. 13. & 14. Quare nihil hìc tractatur de auriculari con-

fessione, sed multo maiora & obseruabiliora nobis cognoscenda proponuntur. Ac de illa quidem confessione alias, Et non dubito, quin antea satis eruditis, quid de ea sit sentiendum, et qualis debeat esse usus eius. Nunc igitur diuina adiuuante clemẽtia perstringemus partes huius Euangelij, quæ quidem præ alijs ad doctrinam nostri facere uidentur. Ac initio magnum & stupendum miraculũ est, q. Christus decem leprosos nulla externa medicina admota, sed mãdato tantum eundi ad sacerdotem, à lepra emundet.

Miraculorũ uius. Quod igitur dici solet de uniuersis miraculis Christi, hoc etiam dicendum est de hoc miraculo, uidelicet, q. sint uelati literæ, ut uocant, Credẽtiæ, quibus monemur ut prædicationi Christi fidem habeamus, & mandata legationis eius ut cœleste oraculum suscipiamus. Manifestum. n. est, q. in ciuilibus legationibus soleant legatis dari literæ credentiæ, quibus mouetur is ad quẽ mittuntur legati, ut nõ aliter legatis fidem adhibeat, quàm si corãm ipse, qui legãtos misit, præsto adesset, & negociũ exponeret. Iesus Christus autem est legatus, & amandatus à Patre suo cœlesti in hanc terram in negocio summo, et ad æternã salutem humani generis necessario. Mandatum. n. ei à patre fuit, ut adnunciaret humano generi omnem cœlestis patris beneuolentiam & clementiam, et ut expiaret peccata, uinceret mortem, satanam & infernum, & acquireret humano generi ius cœlestis et

æternæ

æternæ hæreditatis. Hæc fuit legatio longè omnium maxima, quæ antecellit omnes omnium Monarcharum legationes. Quare Christus necesse habuit secũ afferre literas credentiæ, ut uerbis eius fides haberetur: hæ autem literæ sunt miracula, quæ Christus in hac terra edidit. Ioan. 5. Opera quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, testificantur de me, quòd Pater miserit me. Et Ioan. 14. Credite mihi q̃ ego in Patre sum, & Pater in me, alioqui propter ipsa facta credite. Quare sentiamus etiam miraculũ hodierni Euangelij esse sigillum literarum credentiæ, quas Christus secum è cœlo attulit. Sic Deus quondam instruxerat dono edendorum miraculorum Mosen, Eliam, Elizeum, ac postea etiam Apostolos, ut miraculis tanquàm literis credẽtiæ fidem legationis suæ auditoribus facerent. Ac fieri quidem solet, quòd etiam impij edant miracula, sicut fieri solet, q̃ impostores utantur surrepticijs literis et ficticijs sigillis. Matt. 7. sed ex ipsis legatiõis uerbis notari potest impostura, ũ delicet, si pugnent cum prioribus pactis & conuentis, quæ inter partes antea fuerunt confirmata. Christus autem & Apostoli eius nihil pugnant cum promissionibus Propheticis, sed ea quæ antea in Prophetis promissa fuerunt, attulerũt. Quare literæ credẽtiæ eorum sunt fidedignissimæ. Et hæc quidẽ nõ tantum de hoc præsenti miraculo, sed de uniuersis ueris miraculis obseruari debent. Quod idcirco notãdum

est, ut confirmemur in fide Euangelij, nec credamus uel Mahumeto, uel alijs somniatoribus, ac ne angelis quidē, qui afferunt nouam doctrinā pugnantem cum Euangelio Christi. Sed perstringamus etiam singulares huius Euangelij partes. Decem leprosi steterunt PROCVL. Debuerunt quidem leprosi procul stare, & non immiscere sese turbæ, q, essent propter lepram à contubernio hominum electi, sed hac longinqua statione concionantur nobis de opinione hominum, quam habent de suis afflictionibus & aduersis. Cùm enim homines deseruntur à prospera fortuna & obruuntur aduersa, uidelicet, ægritudine corporis, paupertate et periculis mortis, existimāt sese procul abesse à Deo, & unà cum prospera fortuna, etiam à Deo deseri. Quare non redduntur tantū impatientes, uerumetiam contumelioſi in Deum et homines. Sed res longè aliter sese habet. Deus enim nō idcirco discedit, quia discedit uel corporis sanitas, uel diuitiæ, sed potius accedit, & fit propīquus per aduersam fortunam. Meretur quidem peccatum omnia aduersa, & solent aduersa propter peccatum, quo reijcitur Deus, immitti, sed cùm credimus in Christum, tunc peccatū est expiatum, et meditatur Deus per aduersa omnem benedictionem. Esa. 57. Hæc dicit Dominus excelsus & sublimis, habitans æternitatem, habitans cum sancto, & cum contrito et humili spiritu, ut uiuificet spiritum humilium, & uiuificet cor

1. Tentatio de abiectione à Deo.

cor contritorum. Et Ezech. 18. Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis conuertatur & uiuat. Et in Euangelio: Filius hominis non uenit ut perdat, sed ut seruet animas hominum. Quare in aduersis sentiamus Deum nobis esse propinquissimum, & offeramus ei exemplo leprosorum nostram supplicationem, ac quicquid iusserit obedicter suscipiamus. Iubet Christus decem leprosos abire ad sacerdotes, uidelicet, ut offerant sacrificiũ & iudicentur mundi. Leprosi autem etsi nondum sentiunt sanitatem, tamen obediunt, abeunt ad sacerdotes, & inter eundum restituuntur sanitati. Hic est unus è præcipuis locis huius Euangelij, & diligenter obseruandus: commendat enim nobis obedientiam, & docet quanta beneficia cœlestia consequamur per obedientiam, quam præstamus uerbo Dei. Vide enim mihi hos leprosos: mandatur eis, ut accedant ad sacerdotes, uidelicet iudicandi de consecuta sanitate. Et tamen nondum habent sanitatem. Quid ergo? Num respondent, num rebellant Christo, dicentes: Quid nos irrides? Iubes nos accedere quasi sanos ad sacerdotes, cùm tamen nihil minus quàm sanitatẽ sentiamus. Ac uerisimile est, multa eos ludibria in itinere passos ab obuio quoq;, quòd tam stulti essent, ut sisterẽt se sacerdotibus nõdum mundati. Longum enim iter fuit è Galilæa ad Hierusalem, ad quam leprosis accedendum erat, ut ibi se sacerdotibus lepræ iudicibus

2. Obedientia leprosorum.

Ad Tit. 2. Serui non respondentes.

ostenderent. Sed hi nihil nec alienis irrisionibus, nec
sua adhuc præsenti lepra moti, obediũt mãdato Chri
sti. Itaq; inter eundum consequuntur sanitatem. Tan
ta est uis obedientiæ. Sed unde? num merito operis?
nequaquàm, sed ex fide propter Christum, ex qua fi
de orta est obedientia, & nisi secuta fuisset obedien
tia, non fuisset etiam uera fides. Vnde postea dicitur
ad Samaritanum, fides tua te saluum fecit. Magna et
multa extant promissa fidelis obedientiæ. Deut. 28.
Si obedieris uoci Domini Dei tui, benedictus eris in
agro, &c. 1. Reg. 15. Melior est obediẽtia quàm uicti
mæ, et auscultare magis quàm offerre adipẽ arietũ.
Et Hiere. 7. Non præcepi eis de uerbo holocautoma
tum, sed hoc uerbum præcepi eis, dicens: audite uocẽ
meam, et ero uobis Deus, et uos eritis mihi populus.
Et ambulate in omni uia, quam mandaui uobis, et be
ne erit uobis. Pollicetur obedientiæ oĩa beneficia: Be
ne (inquit) erit uobis. Et hanc promissionem firma-
uit multis miraculis. Gene. 22. obedit Abraham uoci
Dei, & accingit se ad sacrificandum filium. Deus igi
tur intantum delectatus est hac obedientia, ut nõ so
lum Isaacum conseruauerit, uerumetiam iurauerit
per semetipsum, se multiplicaturum et benedicturũ
semen Abrahæ sicut stellas cœli. 4. Reg. 5. Naaman
obedit etsi ægrè uoci diuinæ, & lauat septies in Ior-
dane, ideoq; cõsequitur sanitatem. Lucæ 5. Petrus in
uerbo Domini laxat rete, & cõcludit ingentem mul
titudinem

titudinem piscium. In hunc ordinem pertinet etiam obedientia leprosorum.

Contrà extant exempla inobedientiæ, quam secutæ sunt ingentes clades. Adam in re leuicula fuit inobediens, & obiecit tam se quàm uniuersum humanum genus extremis malis. Vxor Lothi ex inobedientia conuersa est in statuam salis. Saul non expectat Samuelem iuxta uerbum Domini, & amittit regnum. 1. Samuelis. 13. Quare ut consequamur cœlestem benedictionem, non consideremus rei mandatæ abiectionem, nec restonsemus, sed si cognouerimus esse uerbum Dei quod mandatur, simpliciter obediamus, & consequemur certam benedictionem. Vnus tantum Samaritanus ex decem reuertitur ad Christum, & agit ei gratias. Horrendum exemplum & plenum timoris. Is enim est cursus huius seculi, q̃ ex decem etiam pijs uix unus perseuerat usq; ad finem. Omnes hi decem leprosi obediunt uerbo Christi, & consequuntur sanitatem, unus tantum ex ijs constat in uera pietate, Reliqui abeunt ingrati ad sua negocia, non curant amplius Christum. Moneamur igitur, ut cùm ad conuiuia cœlestium bonorum inuitamur, maneamus donec gratiæ agantur, & reuertamur ipsi ut agamus gratias: manendum est donec Deo agantur gratiæ. Ingratitudo est, si quis non manserit in cõuiuio, donec gratiæ agantur. Nihil aũt turpius est ingratitudine: oĩa conuicia dixeris, si ho

minẽ ingratũ dixeris. Ingratitudo tantum scelus est, ut solus Deus reseruauerit sibi ingratitudinis supplicium, quippe q̃ nullũ satis supplicium ab hominibus ingratitudini inferri queat. Cõtrà autem, gratitudo est, manere & perseuerare donec agantur gratiæ. Celebrauit quondam Christus cœnam cum suis discipulis, in qua cœna etiam Iudas dicitur sumpsisse Sacramentum cœnæ, sed non mansit donec gratiæ agerentur. Abijt. n. ex conuiuio & prodidit Christum. Celebrabimus et nos hodie cœnam Dominicam, seu conuiuium Christi, in quo proponuntur nobis cœlestia fercula, & consequimur ueram sanitatem à lepra. Manendum autem est nobis dum gratiæ aguntur. Et nostri officij est, ut reuertamur et agamus gratias. Quomodo? Nõ uerbis tantum, sed etiã rebus ac operibus ipsis. Nõ redeamus ad uetera peccata, sed induamus nouum hoiem. Non ad ebrietatem, sed ad sobrietatẽ, non ad impostura, sed ad iusticiam. Hoc .n. est consecuta sanitate reuerti ad Dominum, et uerè agere gratias, ex qua gratiarum actione cõsequemur maiora beneficia per Iesum Christum.

DOMINICA XV. POST TRINITATIS, Euangelium Matth. 6.

NEmo potest duobus dñis seruire. Aut. n. unũ odio habebit, & alterũ diliget, aut u-

num



num sustinebit,& alterꝝ cõtemnet. Non potestis Deo seruire & Mammonę. Ideo dico uobis, ne solliciti sitis animę uestrę, quid mãducetis & bibatis, neqꝫ corpori uestro, qd induamini. Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus est q̃ꝫ uestimentum? Respicite uolatilia cœli, quę nõ serunt, neqꝫ metunt, neqꝫ congregant in horrea, Et Pater ue

ster cœlestis pascit illa, Nonne uos pluris estis illis? Quis autem uestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum unum? Et de uestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Non laborant neq; nent. Dico aũt uobis, quoniam nec Salomõ in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. Si autẽ fœnum agri, q̃d hodie est, & cras incli banum mittitur, Deus sic uestit, quanto magis uos modicæ fidei?

Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid mãducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hęc enim omnia gẽtes inquirunt. Scit enim Pater uester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primũ Regnum Dei, & iusticiã eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

Noli-

Nolite ergo sollíciti esse in crastinũ. Crastinus. n. dies sollícitus erit sibĩ ipsi. Sufficit diei malícia sua.

HOMILIA PRIMA.

INter uarias, multas & magnas sollicitudines & afflictiones, quæ hominibus in hoc seculo accidere solent, non est in infimo loco reputanda cura uẽtris seu uictus & amictus. Hæc enim cura prima ferè omnium incumbit parentibus cùm nacti fuerint liberos: Statim n. cogitant, unde nutries liberos tuos? Hæc item cura prima omnium inhæret sensui cõmuni, quamprimum prudentia rationis sese exerit. Ac propemodum plus solliciti sumus de cõseruando corpore, quàm de cõseruãda anima. Cùm igitur Christus hunc affectum in hominibus sciat, conatur ei mederi, & habet concionem de uictu & amictu egregiam, in qua unicuiq; cõcioni suæ credenti affert è cœlo literas, quas uocant, inuestituræ, quibus unusquisq; in perpetuum uitæ suæ tempus ad beneficiũ uictus & uestitus inauguratur. Diligenter conseruantur & custodiuntur literæ censuales aut reddituales, quarũ testimonio persoluuntur nobis singulis annis centum, aut ducenti floreni. Diligenter item custodiuntur literæ quibus perpetuus uitæ uictus promittitur, & quoties de præstando ui

ctu dubitatur, proferuntur literæ. Multo diligẽtius conseruanda est hæc concio Christi, in qua profertur nobis de cœlo literæ perpetui uictus. Nam has literas affert nobis legatus nõ triuialis, sed filius Dei: & has literas non scripsit homo mendax, sed ipse spiritus sanctus dictauit. In his quoq; literis continetur pollicitatio nõ hominis cuiusdam fallacis, sed Dei omnipotentis. Quis autem his omnibus nõ adhiberet fidem? Quare qui paupertate premitur, qui timet egestatem, qui libenter haberet certum annuum uictum, is hanc cõcionem Christi memori mente reponat. In hac autem concione Christus summatim docet, quòd ad perpetuum uitæ uictum et amictum parandum necesse sit, primùm, ut abijciamus oẽm solicitudinẽ: deinde ut uocationi nostræ seruiamus. Nolite (inquit) solliciti esse, quid esuri sitis, aut bibituri. Et: Primùm quærite regnum Dei, tunc omnia adijcientur uobis. Hæc est summa concionis, & huc uocat nos Christus in hac concione: qua in re obseruandum est principiò, q̃ Christus diligẽter cauet, ne aberremus, uel nimium ad dextrã, uel nimium ad sinistram. Nos. n. solemus rarissimè media incedere uia. Cùm audimus curam uictus reijciendam esse in Domum, mox ignaui dicunt, ergo ociabimur, et expectabimus columbas assatas de cœlo? cùm uero iubemur laborare & seruire uocationi nostræ, tunc adscribimus benedictionem & incremẽtum merito laboris.

boris. Christus autem medio incedit, & docet abijci endam quidem sollicitudinem, & oẽm fidem in clementiam Dei reponendam, tanquàm in autorem uictus, sed interea seruiendum uocatiõi suæ, tanquàm instrumẽto, quo Deus effundit benedictionẽ uictus, ut audiemus. Deinde cùm Christus hoc loco inculcat toties abijciendam esse sollicitudinem uictus & amictus, nõ condemnat naturalem appetitum uictus & amictus, aut sollicitudinem ad seruiendum uocationi suæ propriam & accõmodam. Nam is appetitus naturaliter homini adhæret, nec potest abijci, & hæc sollicitudo requiritur in unaquauis uocatione. Nisi enim quis hoc affectu præditus esset, non posset orare Dominum pro cibo quotidiano. Gen. 28. Iacob orat pro uictu & amictu. Quòd si naturalis illa sollicitudo per se impia esset, Iacob nõ orasset ex pietate. Prouerb. 30. orat Salomon: Mendicitatẽ & diuitias ne dederis mihi, tribue tantũ uictui meo necessaria. Hæc esset oratio impia, si affectus de uictu & amictu planè impius esset. In oratione Dominica iubemur orare pro pane quotidiano, quod certè non liceret, si quæuis sollicitudo de uictu impia esset. Nõ igitur cõdemnatur hoc loco naturalis appetitus uictus & amictus, sed cõdemnatur impius appetitus, et impia illa sollicitudo, qua qs diffidit se posse nutriri in uocatione Dei & honestate uitæ, ac propterea deserit uocationem Dei, et uertit se ad impietatẽ, & in-

Sollicitudo uictus & amictus.

obedientiam Dei. Sic enim loquitur uulgus, Nemo ti bi mutuo dabit aliquid propter pietatem. Quæren da pecunia primum est, uirtus post numos. Hæc opi nio, & hæc sollicitudo, quæ diffidit se consequi posse uictum & amictum in uocatione & obedientia Dei, & ideo uertit se ad inobedientiam, cõdenatur à Chri sto, et iubet Christus eam deponere, ac ostendit eam impiam, erroneam, fallacem & mendacem esse. Non autem simpliciter hoc iubet, sed addit rationes efficacissimas, quibus moueri debemus, ut credamus talem opinionem impiam & abijciendam esse. Prima ratio exhortationis sumpta est ab honesto. Nemo potest duobus dominis seruire, hoc est, qui hac opinione infectus est, is seruit Mammonæ per fas et nefas, dat operam imposturis, furtis, latrocinijs, & alijs celeribus &c. Qui autem seruit Mammonæ, is non potest Deo seruire. Nemo enim potest duobus dominis seruire. Quidan non seruimus Deo & magistratui, Ephes. 6? Respõdeo, seruire licet duobus dominis, quorum officia inter se non dissident, etiamsi personæ interdum dissideãt, ut si quis seruit ciuiliter impio magistratui, is simul seruit Deo et homini: etiamsi enim magistratus impius est persona sua, tamen officium eius diuinum est. Nemo autem potest seruire duobus dominis inter se officio dissidẽtibus, ut sunt Deus & Mammõ, hoc est, diuitiæ, per iniquitatem parandæ. Nam Deus iubet iustè agere in emendis & uendendis

dis mercibus, Mammona autem iubet emptoribus imponere. Deus iubet neminẽ opprimere, Mammona autem iubet hoc, & dicit: si uis ditescere, non debes animæ tuæ rationem habere. Cùm igitur hi domini inter se officijs certant, nemo potest ipsis simul seruire: & ideo esse hac impia opinione infectum, & seruire Mammonæ est contra Deum &c. Qui autẽ contra Deum agit, quomodo potest contra Deum benedictionem consequi? Maledictus eris in agro & in omni opere tuo. Secũda ratio sumpta est à maiori. Nũne anima plus est quàm cibus, & corpus plus quàm indumẽtum? Hoc est, Deus dedit animam et corpus, quæ longè pluris sunt quàm cibus et uestitus, quomodo igitur non dabit id quod minus est? Scilicet habes amicum, qui dabit tibi, quoties opus habes, accõmodato centum aureos, & non speras ipsum tibi daturum accommodato unum aureum? quæ esset hæc dissidentia? quid autem desperas de benignitate Dei? An non in ipsum corpus & animã inscripsit literas perpetui beneficij? Memẽto saltem corporis et animæ, et inuenies eo ipso Deum tibi promisisse perpetuum uictum. Tertia ratio est ab exemplo minori: Vertite oculos ad uolatilia cœli. Hic locus diligentissimè obseruandus est: nam docet in quẽ usum uolatilia nobis ab oculos uolant: Sunt enim nobis proposita, ut agnoscamus in ipsis summam clementiam Dei, Primum propter cantum, deinde propter cibum, potissi

mum autem ut sint nobis concionatores & prædicatores uolũtatis diuinæ, q. Deus nos uelit nutrire. Auiculæ.n. neq; serunt neq; metunt, neq; cõuehunt in horrea, attamen habent cibum et uestitum suum. Si Deus hoc facit ignobiliori creaturæ, quid faceret homini ad imaginem sui creato? Nõne uos lõgè (inquit) præcellitis illa? Et uide miraculum in pullis coruorum: nam cùm plumescunt relinquuntur à parentibus suis, tanquàm essent illegitimi &c. Vide Chrysost. An putas Deum hominẽ minus reputare quàm pullos? Vnaquæuis ergo auicula est concionator noster. Idem dicendum est de floribus & liliis agri. Hæc secum afferunt suum indumentũ, ac preciosius indumento Salomonis, cũ tamen nec laborent nec neant, Homo autem multo preciosior est flore hodie uirenti, cras marcido. Cùm ergo flores secum afferant diuina ordinatione suum uestitum, an nõ & homo afferret secum uictum & uestitum? Hoc concionantur flores. Dices aũt: peccator sum, aues & flores non peccauerunt, quare Deus puniet me. Respondeo. Etiam si quis peccator est, tamen quod ad creationem attinet, multo nobilior est oĩbus floribus & uolatilibus. Deus unum hominem maiori amore & cura cõplectitur, quàm oẽs aues et flores, etiamsi sit peccator. Præterea propositus est Christus, ut per ipsum habeamus propicium patrem condonantem nobis peccata. Iam & hoc indicat, q. nobiscum ferimus nostrũ

bene-

beneficium, quia puer natus statim secum affert plenaubera matris etc. manifestum exemplum, si saltem uolumus aperire oculos. Quarta ratio ab inutili: Quis ex uobis sollicitè cogitãdo potest addere ad staturã suam ulnã? Nullus est molestior labor quàm sollicitudo, et nullus est inutilior. Nã sicut nemo potest sollicitudine sua cubitũ ad longitudinem suam adijcere, ita nemo potest sollicitudine sua uictum & amictum acquirere. Quinta ratio ab exemplo gentium. Gentes hoc tantum quærunt ut edant et uestiantur, quia collocant statum suum in hoc seculum, nos autẽ habemus aliud seculum, quare nõ est curandum etc. Sexta ratio ab affectu Patris: Deus pater uester est p Christum, et nouit quid egeatis. Iam patres huius seculi curãt pro filijs suis, et liberi domi ludunt, quãto magis pater cœlestis? Deus charitas est, & summa charitas sineret nos egere? Quid ergo (inquies) faciendum? Ociabor, sinã auiculas curare, et expectabo dones aduolet ad me columba assata? Nequaquam. sequitur. n. quin potius hoc facite, quærite primum regnum Dei, & oĩa hæc adijcientur uobis. Hactenus hoc uerbum ita expositum est, Primùm quærite regnum Dei, hoc est, intrate in ecclesiam et audite Missam, & succedent eo die omnia ex animi sententia. Iam, audiendæ quidem sunt conciones, et turpe est & prioribus temporibus sumpserimus ocia ad audiendas Missas, nunc non possumus sumere ad audiendam

concionem, Sed hoc loco nō est sic intelligendū. Nam Christus loquitur hanc cōcionem ad discipulos suos, quos emittere uolebat ad concionandū Euangeliū, ad adnunciandū uerbum Domini, seu regnum Dei. Nunc illi timebāt ne si relinquerent sua artificia, nō possent se nutrire, nulla uidebant beneficia fundata pro Euangelistis, & uidebant Christum pauperem. Ideo Christus ait: Primùm quærite regnum Dei et iusticiam eius, hoc est, quærite ut prædicetis regnum Dei rectè & iustè, ut seruiatis uestræ uocationi ex fide, tunc oīa affluent uobis. Ac idem est quod Mose Deut. 8. Nō in solo pane, sed in omni uerbo. In quo uerbo? num interno? Certè ita est, Sed hoc loco uerbū intelligitur pro uocatione ex uerbo Domini instituta. Et est sensus: uictus nō paratur his artificijs, quibus apertè panis acquiritur, ut agricultura et piscatura, sed etiā his uocationibus, quæ uidentur omnino pane priuatæ esse, modò sint uocationes uerbi Dei. Atq; hoc probauit Deus multis miraculis. Exo. 16. de Manna, de Mose quadraginta diebus. De Elia pasto per coruum ad torrentem Carith. 3. Reg. 17. et 19. Et Christus ipse pauit quinq; panibus et duobus piscículis quinquies millia. Hæc miracula sunt sigilla promißionis de uictu in qualibet uocatione Dei acquirendo. Habes literas perpetui beneficij, quæ sunt memori mente reponendæ, &c.

HOMI-

HOMILIA SECVNDA.

MAgnam nobis utilitatem afferret, si Euangeliõ, quod nunc recitauimus, tam familiare nobis esset, quàm est oratio Dominica. Nihil n ferè est in quo plus peccamus, & maius nobis ipsis dãnum ac perniciẽ inferimus, quàm in parando uictu, aut pane, ut uocamus, quotidiano. Nõ loquor tantum de furtis & impostur s, quibus magna hominum pars uictum sibi parat, sed mul o magis de contẽptu Dei, de neglectu Euangelij, ac ueræ salutis. Homines.n. ita pertinaciter solent studere acquirendo uictui, ut etsi nec furãtur, nec prædantur, tamẽ præ eo negocio contemnunt Deum, cõtemnunt filiũ Dei, unà cum Euangelio eius. nec curant ueram salutem suam, sed existimant se in hoc solum natos, ut collocent operã suam in parando quotidiano uictu. Nota est parabola de his qui uocati ad cœnam, excusarunt se, alter, q, emisset uillam, alter q, emisset quinq; iuga boum: hodiernum autem Euangelion docet nos ueram in parando uictu pietatem ac rationẽ, & affert remedium aduersus oẽs iniquitates, quas hoẽs in parando uictu designare solent. Quare dignissimum est, ut & ad uerbum ediscatur, et nunquàm nõ ob oculos animi nostri uersetur. NE SITIS (inquit) sollici i uitæ uestræ, quid esuri sitis aut b bituri & c. Primùm omnium consideranda est, q, Christus nõ

Sollicitudo duplex pia & impia.

loquatur hic de quauis sollicitudine, sed tãtum de ea sollicitudine, quæ est cum pctõ coniuncta. Est. n. sollicitudo quædam pia, et in oĩbus rebus necessaria, quã alio nomine uocamus diligentiã et studium: hæc sollicitudo exigitur ab unoquouis in sua uocatione: ex hac sollicitudine nõ solum debemus curam agere de parando uictu, sed etiam orare ad Deum Patrem nostrum, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Vera n. oratio nõ potest sine magna animi diligẽtia & studio fieri. De hac etiam sollicitudine conciõnatur postea Christus, cùm ait: Primùm quærite regnũ Dei & iusticiam eius. Regnum Dei quærere, nõ potest certè fieri sine sollicitudine aut diligentia. Alia autem est sollicitudo impia, quæ cum peccato cõiuncta est, uidelicet, si quis tanta cura studet parando uictui, ut malit peccare & uocationem Dei derelinquere, quàm non dare operam opibus acquirendis. Qualis aũt sit hæc sollicitudo, rectè obseruare possumus ex ea occasione, qua Christus hanc cõcionem habet. Loquitur. n. ad discipulos et apostolos suos, quos auocauerat ab opificijs suis, ac plerosq; à piscatura, qua suã inopiam sustentabant, et statuerat eos emittere egenos, ac sine pecunia ad prædicandũ Euangelion. Apostoli igitur timebant ne inedia perirent, ac sollicitabantur deserere potius prædicationẽ Euangelij, quæ erat diuina ipsorum uocatio, quàm deserere piscaturam. Hæc est impia sollicitudo. Christus igitur

igitur studet eam hac concione eximere. Etsi autem hæc cõcio præcipuè dicta est ad Apostolos, pertinet tamen ad oẽs discipulos Euangelij, ad oẽs Christianos: quia hæc est humani ingenij natura, q̃ maiori cura quærat victum corporalem, quàm spiritualem, et existimet maioris securitatis esse peccare, proximo imponere, nugari, & iniquè cum proximo negociari, quàm damnũ uictus sui sufferre. Exempli gratia, si quis habet malam mercẽ, putat securius esse extrudere eam mentiendo, ut victum sibi paret, quàm cõfessione ueritatis aliquod incõmodum sustinere. De hac impia sollicitudine parandi victus, concionatur nunc Christus: Ne sitis (inquiens) solliciti animæ uestræ &c. Non simpliciter autem præcipit tantũ, sed addit etiam suas rationes suo præcepto, seu exhortationi. Prima ratio est: Nemo potest duobus dominis seruire &c. Nõ potestis seruire Deo & Mammonæ. Quod dicit, hanc habet sententiam. Qui sunt impiè solliciti de uictu & amictu, hi solẽt id suscipere agendum, quod est impossibile. Volunt enim simul peccare & iusti esse, hoc est, simul seruire Mammonæ & Deo. Finge. n. talem casum. Christus uocauit unumquempiam qui erat piscator ad Apostolatum, piscator autem proposuit sibi hæc duo uitæ genera, uidelicet piscaturam & Apostolatum, & cogitauit, si suscipis Apostolatũ, non habebis unde uiuas, quare retinebis piscaturam, & ualedices Apostolatui: potes

enim tam iustus esse in piscatura quàm in Apostolatu. Ecce hic vult videri iustus in obediētia, hoc est vult seruire Deo & Mammonæ. Alius quispiam habet malas merces, & Deus præcepit, Ne mageris, ne cui imponas. Hic autē mauult extrudere merces nugando, ut victum comparet sibi, quàm candidè negociari: Interea tamē sperat se non iniustum esse, quippe quòd quæ agit, videatur agere propter victū alendam familiam. Hic ergo conatur duobus Dominis inter se contrarijs seruire, Deo & Mammonæ, quod tamē est impossibile. Itaq; humanum ingenium nunc conatur, quod nulli unquam fuit possibile, uide licet duobus inter se dissidentibus dominis seruire: nunc multò magis formidat inopiam, si Deo seruiat & rectè agat, quàm si Sathanæ seruiat & iniquè negocietur. Quid autem hoc ingenio magis impiū est? Facilè enim extra iudicium Dei est imaginari se placere Deo, & seruire Deo etiam in iniquitate, sed nihil certius est, quàm quis peccet aduersus Deum, nec placeat Deo, qui aduersus uerbum & uocationem Dei peccat. Deus reuelatur uerbo suo. Quare qui peccat aduersus uerbū Dei, peccat aduersus Deum. Verbū autē Dei est, non esse nugandum. Qui ergo parat uictum nugando, non potest Deo placere, seu Deo seruire etc. Qui autem timet ne rectè agendo esuriat, quid aliud facit, quàm quòd non credit Deum esse omnipotentē, nec clementem, nec ueracem? Sed per-

gamus

gamus nunc ad alias rationes. Secunda ratio est: Nõne anima pluris est &c. hoc est, Deus dedit quod magis est, dabit igitur etiam quod minus est: dedit animam seu uitam quæ excellit uictum, & dedit eam sine meritis, sine sollicitudine nostra: dedit corpus quod plus est quàm indumentũ, quomodo igitur non daret etiam indumentũ? Hîc considera, quàm mirabiliter conseruet Deus infantes in utero materno. De uentre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me. Tertia ratio est exemplũ uolatilium. Non serũt, non metunt, non conuehunt in horrea sua, & tamen Pater uester cœlestis pascit illa. Vnumquodq; uolatile est cõcionator noster de clementia Dei. Et Paulus ait. Inuisibilia Dei cognoscũtur ex uisibilibus huius mundi. Quarta ratio à uanitate sollicitudinis. Quis ex uobis sollicitus &c. Quinta ratio est exemplum liliorum & florum campi, Non laborant, neq; nent, & tamen sunt pulcherrimè uestita. Vides iterum, quòd unusquisq; flos concionetur nobis de clementia Dei, ut non tantum excitet nos ad admirationem diuinæ bonitatis, sed etiam exhortetur nos ad sectandam iustitiam &c. Sexta ratio ab exemplo gentium incredularum. Gentes existimant se natas tantum ad parandum uictum, uos autem ordinati estis ad parandum regnum cœlorum. Nolite igitur fieri gentes, sed manete Christiani, nolite fieri porci, qui nihil aliud agunt, quàm q uentrẽ curẽs.

Septima ratio à sollicitudine Dei. Deus est pro uobis sollicitus. Sicut.n.in quauis familia paterfamilias distribuit operas inter seruos & ancillas, & sumit sibi curam uictus, ita & Deus magnus ille paterfamilias suscepit nos curandos. Num nos autē ociabimur? Minimè oīm. Sequitur.n. Primùm quærite regnum Dei & iusticiam eius, & hæc oīa adijcientur uobis. Dixi antea q, hæc concio habita sit ad Apostolos. Apostolorum autem erat prædicare Euangeliō regni Dei. Dicit ergo Christus: Nolo uos esse sollicitos de uictu, & interea nolo etiam uos ociari. Debetis.n.magna sollicitudine sectari uestram uocationē, hoc est, quærere regnùm Dei, quærere diligenter prædicationē regni Dei, ac in hac uocatione iustè uersari, hæc si feceritis, oīa alia adijcientur uobis. Quod ad Apostolos dictum est, ad omnes pertinet pro sua uocatiōe. Iubet enim Christus unumquenq; sectari suam uocationem, & iustè in ea uersari. Non potest autem Deus se continere, quin ubicunq; inueniat obedientiam & iusticiam, effundat benedictionem suam. Quare abijcienda est omnis impia sollicitudo, & suscipienda diligentia sectandæ suæ uocationis. Sic.n.fiet, ut propicius Deus conseruet nos in fame & paupertate per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Uictus parādi uera rō.

DOMINICA XVI. POST TRINItatis, Euangelium Lucæ 7.

Ibat



IBat Iesus in ciuitatem, quę uocatur Naim, & ibant cũ eo discipuli eius & turba copiosa. Cum aũt appropinquaret portę ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suę. Et hęc uidua erat, et turba ciuitatis multa cũ illa. Quam cũ uidisset Dñs, misericordia motus super eã, dixit illi: noli flere. Et

accesit,&tetigit loculũ.Hi aũt qui portabant,steterunt.Et ait: Adolescẽs,tibi dico,surge.Et resedit,qui erat mortuus,&cœpit loq,&dedit illũ matri suę. Accepit autẽ oẽs timor,&glorificabant Deũ,dicẽtes: Propheta magnus surrexit in nobis,& Deus uisitauit plebẽ suã. Et exĩit hic sermo in uniuersam Iudęã de eo,& in oẽm finitimã regionẽ.

HOMILIA PRIMA.

INter multa miracula, quæ Christus edidit in hac terra, maximũ oĩm uidetur mortuorum resuscitatio. Ac sunt et Prophetæ & Apostoli, qui etiam ipsi resuscitarunt mortuos. Elias reuocauit ad uitam mortuum filium uiduæ Sarepthanæ 3.Reg.17.Elisæus resuscitauit filium mulieris Sunanimitidos 4.Reg.4.Elizæus etiam mortuus resuscitauit mortuũ 4.Reg.13.Similiter Petrus & Paulus resuscitauerunt mortuos, quemadmodum testantur Acta Apostolica, sed horum resuscitatio, & miracula multò aliter conspicienda & iudicanda sunt, quàm miraculum resuscitationis à Christo edi-

Miraculorũ Christi & Prophetarũ discrimen.

te.

tæ. Miracula n. ac præcipuè resuscitatio mortuorum sunt testimonia & sigilla doctrinæ. Nullus autē nec Prophetarum, nec apostolorum docuit seipsum esse seruatorē & liberatorem mundi, solus Christus docuit, Ego sum ueritas, resurrectio & uita, & qui in me credit non morietur, sed habet uitam æternam. Quare de resurrectiōe mortuorum ita iudicandum est, q etiamsi alij prophetæ et apostoli resuscitarunt mortuos, non tamen habendi sunt pro saluatoribus, Christus autē solus habendus est pro Saluatore, cui & prophetæ et apostoli testimonium exhibuerunt ut q suam ipsius doctrinā resurrectiōe mortuorum cōfirmauit. Conspiciamus igitur Christum, ut uerum saluatorē in hoc miraculo, quod Lucas de resuscitato adolescente cōmemorat, & consequemur ex ipso maximas utilitates in oībus afflictionibus, ac præcipuè in angustia mortis, quæ est extrema oīm in hoc seculo tribulatio. Sed ut rectius quæ in hoc Euāgelio edocemur, intelligamus, distribuēdæ erunt personæ, de quibus hic fit mentio. Primum n. tractatur hīc de turba comitante funus, deinde de uidua flēte ob unicum adolescentem morte amissum. Postremò de adolescente in uitam per Christū reuocato. In unaquaq; harum trium personarum edocemur ea quæ ad salutem nostram attinēt. Cùm mortuus esset adolescens unicus filius uiduæ, multa turba comitatur funus, et Christus interuenit funeri. Quid ergo de turba et funere dicemus? num comitatur funus, ut hoc opere

afferant aliquid commodi mortuo, & cõsolentur ip-
sum in purgatorio? Nequaquàm, sed hoc opere de-
clarant suam tum charitatem, tum fidem. Nam cum
lugent & dolent unà cum uidua, charitatis est, quia
dolent cum dolentibus, & lugent cum lugentibus.
Sepultura et funus est cultus Dei. Quòd aũt non abijciunt funus adolescentis tanquàm
cadauer asini, sed sepeliunt honorificenter, declarãt
fidem suam, uidelicet hominem nõ ita mori ut asinũ,
sed mori et sepeliri, ut iterum suo tempore à morte
resurrecturum. Nam cum Christus mortuus sit ac se-
pultus, & iterum resurrexerit à mortuis, sanctifica-
uit sepulturam, & abstulit ignominiam sepulturæ,
propterea q, malè audierit sepultura, perinde, ac si
talis esset, quæ nullum mortuum amplius liberum di-
mitteret. Christus autem euasit sepulturã, & resur-
rexit: Et euasit nõ sua tantum causa, sed ut omnes in
ipsum credentes secum è sepultura educeret. Quare
abstulit ignommiã à sepultura. Vnde Esa. 11. de Chri-
sto dicit: Erit sepulchrũ eius gloriosum, nõ propter
peregrinationem ad ipsum, sed propter resurrectio-
nem. Adhæc sepultura est ueluti lectus seu dormito-
rium Christianorũ. Iam nemo tam inhumanus & in-
ciuilis in semetipsum, aut in cõsanguineum suum es-
set, ut pararet ipsi lectum, uel in unam tantum noctẽ
in stabulo porcorum. Quãto magis inhumanitas est,
publicũ Christianorum lectũ, in quo quiescimus, non
surrecturi ad hanc corporalem uitam, sed ad perpe-
tuam

tuam fœlicitatem, ignominiosè tractari. Quare cum ciues Naim magna frequētia celebrant funus adolescentis mortui, faciunt cultum Deo gratißimum, qui & Christo ipsi intantum placet, ut honoret hoc funus primùm præsenti sua expectatiõe. Cùm enim uideret funus procedere è porta, non secedit ad aliud iter, sed intermiscet sese funeri. Deinde honorat funus consolatione uiduæ. Vt enim lugentes propter mortuos pro solenni more consolamur in funere, ita & Christus accedit uiduam, et cõsolatur eam, dicens: Noli flere, res enim bene sese habet. Postremò honorat funus stupendo miraculo, suscitat.n. mortuum adolescentem, & restituit matri. Quo miraculo, cum multa alia, de quibus postea, tum etiam illud cõfirmatur, q̃ sepulturæ Christianorum honestæ habendæ sint. Hæc uidua longe oĩm miserrima est, Primùm, q̃ mulier sit, quæ natura sua imbecillior est uirili sexu, Vnde Paulus iubet uirum honore afficere mulierẽ tanq̃ uasculum infirmũ. Deinde q̃ sit uidua. Hoc genus mulierum tam miserum est, ut publico decto locũ fecerit, Tanta ignominia tractauit me, quã ne mulieri quidem uiduæ quis inferret. Postremò nõ solum erat priuata marito, sed nunc etiam filio eoq̃ unico. Itaq; nihil potuisset huic mulieri ad miseriam accedere. Ergo Christus misertus eius accedit, consolatur eam, resuscitat filiũ, & restituit ei. Quo beneficio ne imperium quidem Romanũ maius mulieri

uiduæ existimatũ est: sed Christus affecit uiduã hoc beneficio, nõ tantũ propter ipsam solã, sed propter oẽs uiduas. Nã cùm uiduæ sint corã mundo derelictæ et cõtẽptæ, existimãtur etiã corã Deo abiectæ: sic. n. solet peruersa hoĩm ratio iudicare, q̃ q̃ in hoc seculo mẽdicet, necesse habeat et in altero seculo eleemosynã petere. At Deus lõge aliter iudicat. Quos n. mundus cõtemnit, hos ipse in curã sui recipit, unde & uiduas agnoscit, & ferí pro ipsis honestissimas leges. Exo. 22. Pupillo et uiduæ nõ nocebitis: si læseritis eos, uociferabũtur ad me, et ego audiã clamorẽ eorũ, et indignabitur furor meus, percutiãq; uos gladio, etc. In Psal. 67. uocatur Deus iudex uiduarũ. Esa. 1. cõmendat uiduás magistratui, Iudicate pupillo et defendite uiduã. Matt. 23. Væ uobis q̃ comeditis domos uiduarũ etc. His præceptis et admonitionibus declarauit Deus sibi uiduas curæ esse. Et cõfirmauit illud miraculis. 3. Re. 17. Elias missus est ad uiduã etc. qui & suscitauit filiũ eius etc. 4. Reg. 4. uidua impetrat uasa plena olei, ut posit debitores soluere. Et hoc loco Christus suscitat filium uiduæ, ut hoc exẽplo confirmet oẽs uiduas in bona spe salutis earũ. Quare tã etsi uiduæ sint corã mundo contẽptæ, tamẽ Deus recipit eas in sui curã. Et uiduæ fruentur benedictione Dei, si et ipsæ suum officiũ fecerint, Primùm si crediderint in Christum q̃ propter ipsum Deo sint gratæ & acceptæ. Deinde si ex fide obedierint Deo, & nõ

sint

sint calumniatrices, non uagæ, quemadmodum Paulus describit 1. Timoth. 5.

3. Adolescēs à morte resuscitatus. Hūc suscitat Christus nō propter ipsum tantū, sed potius propter oēs hoīes morti obnoxios. Non. n. est nec fœdior, nec terribilior facies, q̄ mortis: et omne quod uiuit, horret mortē. Quî aūt hoc fit? Primùm, quia hoīes iudicant mortē afferre sibi dolorē in hoc seculo. Deinde quia existimāt mortē aut esse ultimā lineā rerum, aut afferre perniciē & extremā internecionem in altero seculo. Christus aūt suscepit in se hoc negociū, & detracta horribili larua mortis, ornauit eam facie honestiori & amabiliori. Ac primū cōcionatus est de seipso per Prophetas, præcipuè aūt per Oseā 13. ca. Ero mors tua ô mors, morsus tuus inferne. Deinde cōcionatus est in propria sua psona, dicens: Ego sum uita, & resurrectio, qui in me crediderit, non uidebit mortē, sed habebit uitā æternā. Et hanc concionē confirmauit admirandis et stupendis miraculis, quorum præcipuum est illud, quod hodie de adolescente mortuo resuscitato commemoramus. Similiter quod aliâs de resuscitato Lazaro scribitur. Postremò suscepit ipse in se dolores mortis, & sanctificauit eos, ut sicut ipsi nullum detrimentum, sed magis augmentum salutis attulerint, ita nulli hoīm in ipsum credēti damnum afferrent. Suscepit & ipsam mortem, et declarauit in seipso, q̄ nō sit ultima rerum linea, &

q. in altero seculo nõ sit extrema internecio, sed perpetua salus his qui membra eius facti fuerint. Quare si uolumus efficere, ut mortis facies nobis sit amabilior, & mors cedat nobis in salutem, primùm quidẽ oportet credere in Christum, deinde ex fide in Christum Deo obedire, et honestã uitam ducerẽ. Nã honestè uiuere est pro sua ratione rectè etiã mori: non enim multa spes fœlicis mortis de eo relinqtur, qui semper turpissimã uitam agit. Latro quidem in cruce fœliciter mortuus est, sed hoc est exemplum spei in tentationibus, non est occasio uitæ turpiter agendæ. Demus igitur operam, ut si uoluerimus in Christo fœliciter mori & resurgere, ut etiam in Christo honestè uiuamus, sic enim consequemur ueram salutem per Christum Dominum nostrum, Amen.

HOMILIA SECVNDA.

HOdiernum Euãgelium commemorat nobis funebrẽ processionem, in qua effertur mortuus adolescẽs ad sepulturam, et magna ibi est calamitas, ac multus luctus. Mater adolescentis flet & lamentatur: existimat mortuo filio, etiam Deum ipsum mortuum esse. Dicit aũt Salomon: Melius esse ire ad domũ luctus, quàm ad domum cõuiuij. Agite ergo, amicissimi, eamus etiã nos ad hanc domũ luctus, & procedamus unà cum reliquis

quis ad faciendam funus huius mortui adolescentis, ut & nos de fine nostro admoneamur, et quid de nobis futurũ sit cognoscamus. Res aũt ipsa testatur lõgè alium esse exitum huius funeris, quàm nostrorũ funerum. In nostris. n funeribus mortui in terra obruuntur, & in terra cõputrescunt. In illo aũt adolescentis funere mortuus reuiuiscit, et multo adhuc tẽpore uiuit. In nostris funeribus redimus nos domum deserto mortuo in sepulchro. In illo aũt funere mortuus restituitur matri suæ, & reducitur domum uiuus. Quare maximum uidetur esse discrimẽ horum funerum. Sed bene habet. Hoc adolescentis funus nõ est descriptũ adolescentis huius gratia, sed maximè omniũ propter uniuersam Ecclesiã, sicut adolescẽs magis propter Ecclesiam quàm propter seipsum à mortuis excitatus est. Audiamus igitur, quid sibi miraculum excitati adolescentis uelit, & quam utilitatem nobis afferat. Primum igitur Christus excitauit mortuum adolescentem, nõ ut significaret quemuis excitandum esse miraculosè ad hanc corporalem uitam fruendam priusquàm sepeliatur, sicut hic adolescens & Lazarus, & alij excitati sunt. Etsi. n. magnũ est miraculum excitare mortuum ad uitã hanc corporalem, tamen non contingit ei qui excitatur magnum beneficium, q, cum perfunctus sit morte omnibus aduersis huius seculi, necesse habeat reuocatus iterum subire uarias huius seculi afflictiones, à-

deoq; mortẽ ipsam, quam antè obierat, secundo pstr re: sed excitauit Christus mortuũ, ut hoc ceu signaculo cõfirmaret ueritatem legationis et prædicatiõis eius, quẽadmodum nuper copiosè explicatũ est, de usu miraculorum Christi. Prædicauit aũt Christus q; sit Meßias ille, quẽ Prophetæ tanto antè tpe præuiderunt, et q; ad officium ipsius pertineãt oĩa ea, quæ Prophetæ de Meßia scripserunt. Recẽseamus igitur quædã uaticinia Prophetarũ de officio Meßiæ, præsertim ea, quæ propriè hoc suscitati mortui miraculũ respiciunt, ut cognoscamus, q; propriè hoc miraculo in prædicatione Christi cõfirmetur. Esa. 25 Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pingue oĩbus populis etc. Et præcipitabit in mõte isto faciẽ uincli colligati etc. et præcipitabit mortẽ in sempiternũ &c. & abstẽrget oẽm lacrymã. Hæc est prædicatio de tẽporibus Meßiæ, q; cũ aduenerit, instituet delicatißimũ cõuiuium, quod est Euangelion de reconciliatione cũ Deo Patre, et de remißione pctõrum, Et q; Christus sublaturus sit in ecclesia sua oẽs uestes lugubres, oẽm luctum, adeoq; mortẽ ipsam. Multi quidem fuerũt potẽtißimi Monarchæ in terris, sed nullus eorum potuit abolere uestes lugubres, & tollere mortem. Multa fuerũt regũ comicia, sed in nullis comicijs potuit ratio iniri, ut hoĩes nõ morerentur. Postquàm aũt ueniet Christus, inquit Propheta, tũc abolebit oẽm luctum & mortẽ. Cum hoc Esaiæ dicto

conuenit

cõuenit & illud Oseæ ca. 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos, Ero mors tua ô mors, ero pestis tua inferne etc. Dicuntur & hæc de Messia seu Christo, q̃ in regno suo aboliturus sit mortẽ, id quod nullus aliorũ regum efficere potuit. Et quod Prophetæ adnunciauerunt, hoc Christus ipse coràm de se prædicauit. Ioã. 11. cum suscitaturus esset Lazarum, dicit: Ego sum resurrectio & uita, Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit uiuet, Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Similiter Apostolus 2. Timot. 1. Christus mortem quidem aboleuit, uitam autem in lucem produxit, ac immortalitatem per Euangelium, &c. Et ad Hebræ. 2. Factus est particeps carnis & sanguinis, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperiũ, hoc est, diabolum, et liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti, &c. Habes perspicua testimonia, q̃ Christus uenit, ut tolleret ex Ecclesia sua mortẽ, & abrogaret eam. Quare ad maiorem euidentiam & confirmationem, suscitauit aliquos mortuos ad hanc corporalem uitam, ut quod uerbis dictum esset, reipsa aliquo modo demonstraretur. Sequitur ergo ex his promissionibus & miraculis, q̃ etiamsi mors uideatur adhuc in Ecclesia inter homines regnare, tamen ea mors non sit mors, sed ingressus in uitam, & q̃ in suis membris nostris, etiamsi relinquamus post nos a-

micos nostros in sepulchro, non tamen relinquamus eos in morte, si in Christum crediderint. Porro autē cum fit inter homines mētio de morte, tum uidetur ipsis nihil potuisse iniucundius, ac horribilius dici. Mors enim, ut aiunt, est omniū terribilium terribilissimum. Ac multi quidē sunt, qui mortem sanè nihil formidare uidētur, fortes uidelicet & audaces ante pericula, Dicūt militariter. Es ist umb ein Kappen voll fleischs zuthun. Sed hi nondum uiderunt ueram faciem mortis: hæc.n. tam terribilis & formidabilis est, ut filius ipse Dei ad conspectum eius nō solum toto corpore contremuerit, uerumetiā sanguinē sudauerit. Nostri uero homines cum admonētur de morte, dicere solent, Tu quidem iubes nos mortē forti animo aggredi, et doces nos multa de futuræ uitæ fœlicitate. Sed primū, nullus ex altera uita ad nos hactenus rediit, qui exposuerit nobis, quis sit status alterius uitæ etc. Deinde, iucūdum quidem esset mori, si certò sciremus, qd nobis esset in altera uita præparatum. Hæc diluenda sunt. Nam q, dicunt, neminē ex altera uita ad nos rediisse, qui exponat nobis statum alterius mundi, manifestè falsum est, et apparet tales homines nihil rerum diuinarum, nec ex ueteri nec ex nouo Testamēto cognouisse. Dicamus primū de exēplis ueteris Testamēti. Initio.n. Deus ipse est habitator seu incola alterius cœlestis seu spiritualis uitæ. Hic autē sæpe ac multum apparuit manifestis signis,

signis, Patriarchis ac Prophetis, et exposuit eis, qd faciendum sit, ut perueniamus ad fœlicitatem futuri seculi. Deinde apparuerũt angeli boni. Tertio apparuerunt etiã angeli mali, hoc est, dæmões: ut in historia Samuelis apparet Sauli dæmon in formã Samuelis, Et in historia Achab de spiritu mẽdaci 3. Reg. ultimo. Postremò reuocati etiã sunt hoĩes mortui in uitam, ab Elia & Elizæo. Et hi oẽs testimonium tulerunt, q̃ res ita se habeat, quẽadmodum scriptura de statu futuri seculi conclonatur. Dicamus etiã de exemplis noui Testamẽti. Deus ipse Pater de cœlo patefecit se uoce, cùm dixit de Filio: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacitum est, hunc audite. Apparuerunt angeli, Gabriel Mariæ, Alius Iosaphat, Et in Actis Apostolicis multa de angelis habẽtur. Similiter angeli mali seu dæmones manifestauerunt præsentiã suam in hoĩbus obsessis, etc. Præterea multi excitati à mortuis per Christũ & Apostolos. Quid multis? Christus ipse uenit ex altero mũdo unà cũ multis, q̃ cũ ipso resurrexerunt, & collocutus est cũ Apostolis. Habes igitur copiã eorũ, q̃ ex altero mundo uenerunt in hunc mundũ, et testimonium tulerũt de ueritate eorũ, quæ scriptura testificatur de alterius mundi statu, etc. Quod autẽ dicitur: Obscurum nobis esse, quid nobis præparatũ sit in alio mundo, manifestè et hoc uanũ est: hi homines palàm negant se non habere fidem symbolo Apostolico, in

quo dicitur, Credo remissionē pctōrum et uitā æternam. Nam Christus, quēadmodum antè dictū est, uenit in hunc mundū præcipuè propter hāc causam, ut aboleret mortem, & cōsecraret eam in ianuam cœlestis regni et æternæ uitæ ac fœlicitatis. Et Ioā. 14. In domo Patris mei multæ sunt mānsiones: uado parare uobis locum. Quem aūt locum paraverit credētibus in ipsum, palàm affirmat, ascensurus iam in cœlū: Qui crediderit et baptisatus fuerit saluus erit. Itaq; is quidē, q non credit in Christū, inueniet certò sibi paratū infernum, sed quærè credit in Christū, inueniet sibi certò paratum cœlū, et excitabitur in resurrectiōe ad accipiendā hæreditatē cœlestis regni. Nā huc pertinet hodiernum miraculū quod testificatur Christū pios erepturū è morte, et pducturū eos ad æternā uitā. Deinde editū est hoc miraculū, et descriptum, ut ecclesia haberet exemplum, quo cognosceret, quomodo hi q spiritualiter mortui sunt propter pctā, excitentur a spirituali morte, ad spiritualem uitam. Paulus scribēs Ephesijs & Colossensibus, dicit, q. simus iam mortui delictis. Itaq; qui non sunt renati in Christo, aut qui post renascentiā relabuntur in pctā mortalia, hi sunt corā Deo mortui, etiāsi adhuc physicè uiuant: neq; n. ratio, neq; uoluntas eorum potest suis uiribus sese attollere ad recuperandam uitam, sed quemadmodum hic adolescēs iacet in feretro mortuus, nec potest uel manus uel pedes mouere,

uere, aut quicquam ad recuperandam uitam agere, ita peccator iacet toto animo mortuus, nec quicquã habet quo se erigat. Et sicut mater adolescẽtis effert defunctũ filium multis lachrymis, ac uniuersi ferè ciues lugent cum matre, ita mater Ecclesia deflet peccatores, & lugere debẽt omnes pij: sicut ecõtrà gaudium est in cœlis super uno peccatore resipiscente. Quid ergo agẽdũ ut peccator suscitetur? Capiamus doctrinã ab exemplo hodierni miraculi. Christus accedit ad feretrum, et suscitat adolescentẽ uerbo suo. Sciamus igitur, q̃ postquàm mortui sumus delictis, nõ queamus suscitari nisi uerbo Christi, quod est Euangelion eius. Ergo maximè oĩm necessarium est, ut nõ desimus nobis ipsis, sed curemus ut diligentißimè accedamus ad audiendum Euangelium Christi. Non omnes quidem cõuertuntur ex auditu Euãgelij, sed quotquot cõuertuntur, ex auditu Euangelij conuertuntur & resuscitãtur. Vnum est necessarium, dicit Christus ad Martham. Et Paulus: Euangelion est potentia Dei ad salutem. Et 1. Thess. 2. Accepistis non sermonem hoĩm, sed sicut uerè erat, sermonem Dei &c. Et Petrus: Renati nõ ex semine mortali, sed immortali, quod est uerbum Dei &c. Quare non est aliud præsentius remedium ad excitandum peccatorem à morte ad uitã, quàm auditus uerbi Dei. Nihil igitur nobis maiori curæ sit, q̃ ut ad audiendum uerbum Dei conueniamus. Habes usum huius miraculi,

uidelicet, q. testificetur Christum uicisse mortem, ut in æternum uiuamus, & q. significet nos à peccatis ad iusticiam reuocari per uerbum Dei, &c.

DOMINICA XVII. POST TRI-nitatis, Euangelium Lucæ 14.



ET factum est cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorũ sabbato ad manducandum panem, & ipsi obseruabant

bant eum. Et ecce homo quidã hydropicus erat ante illum. Et respõdens Iesus, dixit ad legisperitos & Pharisęos, dicens: Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse uero apprehensum, sanauit eum ac dimisit. Et respõdens, dixit ad illos: Cuius uestrũ asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi.

Dicebat aũt & ad inuitatos parabolã, intendens, quõ primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, nõ discũbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & ueniẽs is, qui te et illũ uocauit, dicat tibi: Da huic locũ, & tunc incipias cũ rubore nouissimũ locũ habere. Sed cũ uocatus fueris, ua-

de recumbe in nouissimo loco, ut cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tũc erit tibi gloria coram simul discũbentibus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

HOMILIA PRIMA, DE SABBATO & primo accubitu, habita anno 1537.



Tsi in hac Euãgelij pericopa illustre continetur miraculũ de hydropico sanato, tamen qa sæpenumero audiuimus rõnẽ miraculorũ Christi, uidelicet q, sint ueluti cœlestia sigilla doctrinæ Euãgelij sui, Ideo nõ explicabimus nũc pluribus hoc miraculũ, Sed exponemus eã concionem, quam Christus in hoc miraculo edendo habet: docet aũt potissimũ duo, Alterũ de sabbato, Alterũ de primo accubitu. Nã cum oblatus esset Christo hydroptcus in sabbato, etsi uidebatur Pharisæis indignum ut homo curaretur sabbato, Christus tamẽ sanat hydropicũ uerbo suo, et exponit uerã sabbati rõnem, uidelicet, Sabbatum institutum esse, nõ ut planè ociosi simus, et nihil agamus, sed ut in eo rectè agere per totam uitã nostrã discamus, hoc est, ut uerbũ Dei audiamus

diamus. Etenim cũ nos simus in pctis cõcepti et nati, nec possimus alia rõne salutẽ consequi, q̃ per fidẽ in Christũ, & per spũm sanctum, non aũt detur nobis ordinarie, uel fides, uel spũs sanctus, nisi per auditũ uerbi Dei, manifestẽ apparet, ad salutẽ nihil nobis magis necessarium esse, q̃ doctrina et auditus uerbi Dei, ẽ quo discamus uerã religionẽ, fidẽ & obedientiã. Vnde Paulus ait: Fides ex auditu est, auditus aũt per uerbũ Dei. Et iterũ: Euangelion est potẽtia Dei ad salutẽ omni credenti. Et Christus Lu. 10. ad Martha negociosã circa multa, dicit: Vnũ est necessariũ. Vnum aũt illud est auditus uerbi Dei. Igitur quo cõmodius et utilius hoc unũ et necessariũ cõseruetur, instituta sunt in politia Mosi multa festa, præcipuè aũt Sabbatũ, Idq; institutum et cõmendatum est primùm grauissima lege. Dicit.n. Decalogus: Memento ut diẽ sabbati sanctifices, Nullum opus facies in eo, nec tu, nec filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum, & aduena qui est intra portas tuas. Sex diebus fecit Dominus cœlum & terrã, & mare, et omnia quæ in eis sunt, et requieuit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificauit eum. Deinde confirmatũ est Sabbatum illustrissimis miraculis. Exod. 16. Nam in feria sexta pluit duplex Manna, Et quod rẽseruatũ fuit in crastinum, non computruit, sicut alijs diebus. Postremò cõfirmatum est Sabbatum seuerissimo supplicio, Numeri capite decimoquinto, quod sumptum est de eo

qui colligebat ligna in Sabbato. Vnde huic diei tanta sanctitas? Non certe ex natura sua: quia omnes dies æqualiter sancti sunt coram Deo, Et Christus ait: Pater meus operatur usq; nunc, & ego operor. Sed habet hanc sanctitatem ex uerbo Dei, Videlicet institutum fuit Sabbatũ, ut in eo doceatur uera Religio, et uerus cultus Dei, ut ex doctrina pietatis consequamur fidem & salutem. Sed hæc (inquies) nihil ad nos Christianos pertinent, sed tantum ad Iudæos, nobis aũt Christianis sabbatum abrogatum est. Dicit enim Paulus Coloss. 2. Nemo uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Nouilunij, aut sabbatorũ, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus aũt Christi. Respondeo. Rectè dicis, sabbatũ, quantum quidem attinet ad cærimoniã, ad Christianos nihil pertinere. Ac quod quidem est Iudaicum in Sabbato & alijs festis, abrogatũ est, uidelicet numerus tẽporis septimi diei, & aliæ cærimoniæ Iudaicæ, Sed non est abrogata lex naturæ, diuinitus inscripta humanæ rationi. Et cõseruandæ sunt ordinationes uniuscuiusq; reipublicæ. Nam cum non possimus cõsequi salutem nisi per fidem, & fides ex auditu est, certè ipsa natura iudicat necessarium esse, ut certi dies habeantur, quibus populus cõueniat, & audiat uerbum Dei, ac doceatur de uera Religione. Itaq; in repub. Christiana pro Sabbato & alijs festis Iudaicis instituta sunt dies Dominicus, et quædam alia festa. Potuissent maiores

îores nostri alium quendã diem (quia omnes dies sanctî) in hebdomada eligere, sed hic dies præcipuè eis placuit. Vnde & hũc diem Christus ipse insigniuit resurrectione sua, Et Christus est maxima omnium maiestas in cœlo & in terra. Deinde insigniuit hunc diẽ Magistratus Romani imperij, qui est summa maiestas in terris. Omnes (inquit) iudices, urbanæq; plebes, et cunctarum artium officia uenerabili die solis quiescant. Item: Nulla quenquam urgeat admonitio, nulla fideiussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, &c. Et quia magistratus est ordinatio Dei, ideo & hæ leges sunt diuina ordinatio. Vnde hæc sãctitas huius diei? Nõ à seipso, sed à uerbo Dei. Vides igitur quantum honoret hunc diem summa in terris maiestas, quòd cedat ei publicis suis iudicijs, tantum ut uacetur auditui uerbi Dei. Quòd si cedat ei tanta maiestas, cur ego non cederem ei aratro, aut alijs instrumentis artificij mei? Iam, & maiores nostri insignierunt hunc diem publica duorum dierum qui præcedunt sobrietate. Solenne fuit feria sexta ac Sabbato sobriè uiuere. Non approbamus superstitionem eorum, qui è delectu ciborum & merito ieiunij polliciti sunt sibi cœlum & fœlicitatẽ, Sed commendamus disciplinam & honestatẽ morum ciuilium. De diserimine ciborum Christus docet, hominem non inquinari cibo, sed maiores nostri noluerũt ferre his duobus diebus ante Dominicã, publica conuiuia, nuptias, et

Sobrietas feriæ sextæ, & Sabbati cur instituta.

alias publicas comessatiões, ut populus sobrius cõue niret ad auditũ uerbi Dei. Scribunt Romulũ duobus dieb. abstinuisse uino, anteq̃ ad publicas cõsultatiões cõueniret. Quãto magis sobrietas requritur in audiẽ do uerbo Dei? Maiores nõ senserũt superstitiosè de his duobus dieb. feria sexta et sabbato, sed sanctè iu dicarũt de uno illo Necessario, quod est auditus uer bi Dei. Cæterùm q̃ sanctè illi iudicarũt de die Domi nico et alijs festis, tã prophanè nos iudicamus de ip sis. Cũ.n. abrogatũ sit alicubi discrimẽ ciborũ, nũc fe rè fieri solet ut publica cõuiuia reijciãtur in uesperã Sabbati. Itaq; inebriamur noctu usq; ad mane. Quid hac morũ peruersitate prophanius? Quomodo.n. qs fructũ uerbi Dei percipere posset, adhuc uino æstu ans. Esaiæ cap. 5. Væ q̃ consurgitis mane ad ebrietatẽ sectandã & potandũ usq; ad uesperã. Cithara, & ly ra, et tympanũ, et tibia, et uinũ in conuiuijs uestris. Lucæ 21. Cauete uobis à crapula, ne irruat in uos di es Domini, Tanq̃ laqueus. n. superueniet in oẽs q̃ se dent super faciẽ totius terræ. Vigilate itaq; omni tẽ pore. Cùm igitur publicus ille mos sobrietatis horũ duorum dierum, feriæ scilicet sextæ et Sabbati, abro gatus sit, unusquisq; paterfamilias obseruet priua tim in sua domo disciplinã & honestatẽ, atq; cõser uet familiã in sobrietate, ut possit certis tẽporib. ad audiendũ uerbũ Dei conuenire. Hæc de Sabbato, q̃ Christus in hoc Euãgelio exposuit, uidelicet, Sabba tum

tũ institutũ esse, ut discamus in eo bene agere, nõ ut nihil boni faciamus. Deinde cõcionatur de primo accubitu, & uetat, ne qs suo arbitrio usurpet sibi prẽmũ locũ. Et addit suppliciũ, si quis hoc fecerit uideli cet, publicã confusionẽ et ignominiã. Ac cõcludit pulcherrimo epiphonemate: Qui se exaltat, humiliabitur, qui se humiliat, exaltabitur. Hac aũt cõcione Christus nõ abrogat, nec uituperat ordinatiões ciuiles et publicas. Oportet.n. esse ordines inter hoies. In Christo quidẽ nec est mas nec fœmina, etc. Sed in hoc seculo est discrimen personarum & negociorum. Et hoc discrimen est creatura Dei bona. Paulus iubet magistratum honore afficere. Quare si magistratus primum locum occupet, nõ est per se arrogantia, sed publica ordinatio Lex iubet coram cano capite consurgere, Quare si canus occupet locum ante iuniorẽ, nõ est per se arrogantia, sed ordinatio. Aut si magister morũ erudiat pueros suos, ut ipsum honore afficiãt, nõ est ambitio, sed officiũ. Sic et de parẽte, si erudiat familiã potest esse humilimus in summo honore. Esther 14. Non igitur abrogat Christus externas et ciuiles ordinatiões, sed damnat arrogantiã, et superbiã cordis, qua quis uel præter ordinationẽ publicã priorẽ locum usurpat, uel se in ordinatiõe publica dignũ iudicat coram Deo, qui tali honore afficiatur. Talis enim arrogantia magna est impietas & mendaciũ, Primum coram Deo, quia in conspectu Dei non iusti-

ficatur omnis uiuens, & indigni sumus quibus solis splẽdor affulgeat. Deinde peccatum est in proximũ, quem iudico Deo uon esse tam acceptũ, Ideo hæc impietas punitur confusione & ignominia. Exemplum habes in ædificatoribus turris Babylonicæ, in Nebucadnezar, in Herode & cæteris. Quare utatur quidem unusquisq; publica ordinatiõe, Sed agnoscat ueritatẽ οὐ λενίας suæ, ut à Domino exaltetur in Regnum cœleste, per Christum Dominum nostrum, qui est Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

ALIA HOMILIA, DE VICIIS QVAE designari solent in conuiuijs honestorum & ebriosorũ hominũ, habita anno 1540.

SVperiori Dominica recitauimus miraculum de mortuo ad uitam reuocato. Hodie recitatur miraculum de hydropico sanitati restituto. Hoc autem miraculum editum est à Christo in celebri cõuiuio Phariſæorum, & in Sabbato, Qua occasione describuntur & reprehenduntur etiam à Christo ea hominum uicia, quæ cùm in alijs uitæ actionibus, tum præcipuè in conuiuijs designari solent. Nam duo sunt genera conuiuiorum. Alterum est honestorum & sobriorum hominum. Alterum est ebriosorum & belluonum, quorum conuiuium dicas potius porcorum, ursorum & canũ, quàm hominum. In utroq; genere

genere conuiuiorum grauissimè peccari solet. Homines. n. qui uidentur honesti, afferunt ad sua conuiuia nestorum. inuidiam, hypocrisim & fastum, atq; arrogantiam. Inepti autem homines afferunt execrationes, clamores, lites, contentiones, compotationes, & alia genera abominationum. Dicamus igitur quædã de his uicijs, ut discamus q̃ magna sint, & q̃ grauiter à Christo reprehendantur, quamq; seueriter à Deo puniantur, ut hac seueritate territi cõcipiamus timorẽ Dei, & sectemur pietatẽ. Ac primum Christus intrat inuitatus ad domum Pharisæi, ut cibum unà cum legisperitis & Pharisæis capiat. Et intrat tanquam ad amicos, Conuiuium enim in hoc constituitur, ut amici iucunde inter se uiuant, Christus aũt reperit in eo conuiuio infensissimos hostes suos: Obseruabant. n. eum, si quo pacto reprehenderent ipsum, uel in uerbis uel in factis. Quod est inter hos Pharisæos & legisperitos, hoc uerè inter oẽs homines inuenitur. Ita nũc uulgo uiuitur, ut tam in conuiuijs, quàm in alijs uitæ actionibus, proximus proximũ ex inuidia captet, Rarissimus est candidus amor, Omnia plena sunt inuidia, Et quemadmodum Pharisæi inuidebãt Christo, magnum quia timebant ne si promoueret nomen eius, gloriã ipsorũ obscuraretur. Ita ciuis inuidet ciui, quia unus sit. quisq; timet ne si alter promoueat honoribus, diuitijs & honestate, ipse necesse habeat perire: hinc odium, obtrectatiões, calumniæ & malefacta. Hæc quia

Cõuiuia homines qui uidentur honesti, afferunt ad sua conuiuia nestorum. inuidiam, hypocrisim & fastum, atq; arrogantiam. Inepti autem homines afferunt execrationes, clamores, lites, contentiones, compotationes, & alia genera abominationum.

Inuidia q̃

vulgaria, et solēnia sunt, uidētur impunè agi, et esse ciuilitas quædā, coràm humaniter cōuiuere, absentē aūt in omnib. tam dictis q̄ factis calūniari. Sed quātò hoc peccatū ciuilius uidetur, tāto grauius corā Deo iudicatur. Nā talis inhumanitas, est fructus inuidiæ, et certū argumentū q̄ inuideamus proximo, et nō eō pleclamur ipsū cādido amore. Etsi. n. excusemus nos uerbis, q̄ nō inuideamus, q̄a iudicamus cātantū esse inuidiā, si quis cū altero non misceat colloquia, attamen manifestū est, q̄ inuidia sit autor detractionum et calumniarū. Ita q̄ ubi sunt obtrectationes & calūniæ, ibi etiam est inuidia. Vide ergo mihi quid secū ferat is, q̄ fert et afficitur inuidia. Nā Satan est parens inuidiæ. Is. n. cùm uidisset hoīem ad imaginē Dei creatum, primus omnium concepit inuidiam aduersus hominē. Homo igitur inuidus fit particeps Satanæ per inuidiam, ut quicunq; afficitur inuidia, merito dicatur obsessus à Satana, et membrum Satanæ. Quid autem potest esse miserius, quid perniciosius, q̄ esse Satanæ membrū? unà enim cum Satana pereundum est sempiternis cruciatibus. Ac Paulus ad Galatas scribēs, recenset inuidiā inter opera carnis. Opera (inquiens) carnis sunt adulteriū, fornicatio, inimicitiæ, lis, æmulationes, inuidiæ, &c. & addit, Qui talia agunt Regni Dei hæredes nō erunt. Ergo qui prægnātes sunt inuidia, nō solum prægnātes sunt Satana, uerumetiam gestant secum iudicium ignis infernalis.

Nec

Nec mirum: Quia qui sunt prægnãtes inuidia, gestãt secum Lernam omnium malorum. Ex inuidia oriuntur lites, contentiones et homicidia. Exẽplum habes in Satana, qui cùm cõcepisset Inuidiam, protulit mẽdacium & homicidium. Exẽplum item est Cain, primus Diaboli discipulus, qui cùm concepisset inuidiã aduersus fratrẽ, peperit fratricidium. Sic & fratres Ioseph. Sic et Saul erga Dauidẽ. Sic et Pharisæi erga Christum. Etsi enim inuidiam non semper sequatur homicidium, attamẽ Deus uidet in inuido omnem uirulentiam & crudelitatem. Quare iudicat inuidum pro homicida. Qui odit fratrem suum homicida est. Num catulus lupi iudicatur innocens, quia nondum deuorauit ouem? Nihil minus, sed trucidatur, nõ minus quàm adultus lupus: quia gestat intra se maleuolam naturã. Sic etsi nõnulli inuidi sunt qui nullum occidunt, & uidentur horrere homicidia, attamen Deus respicit malicioſam naturã, & secundum eam iudicat. Habes magnitudinẽ peccati inuidiæ, detractionis & calumniæ. Reliquum nunc est, ut non solum eã cognoscamus, uerùm ut multo magis ab ea cauca mus. Quomodo autem cauere debeamus docet Euangelion Christi. Etsi enim non queamus carnẽ prorsus in hac uita abolere, & radicem huius mali euellere, tamen possumus per Christum herbam demetere & resecare, uidelicet, si didicerimus dilectionem Christi erga nos, & tradiderimus nos in obsequium

Christi, de qua re semper fit sermo cum explicantur beneficia, quæ nobis per Christum contigerunt.

Arrogantia & eius pœnitentia.

Deinde aliud est peccatum, quod hoc loco à cæteris designatur. Certat. n. de primatu loci. Hæc est arrogantia seu superbia, Hanc Christus reprehendit, et addit pœnam grauissimam, Omnis qui se exaltat, humiliabitur, &c. Hîc aũt non est tantum sermo de crassa illa, & omnibus cõspicua arrogãtia, qua quis tam uerbis, quàm factis manifestis iactat suam excellentiam, Sed de subtili superbia, quæ etiã irrepit in sordida ministeria. Exẽplo indicabimus: Christus lauit discipulis suis pedes, quod est humilimum ministerium. Voluit autem docere mutuã caritatem & seruitutem, Nunc quidem principes uiri imitantur hoc sordidũ ministerium, et quotannis semel lauant pauperib. pedes: uidetur humilitas, sed est sordidissima superbia. Reponunt enim se in locum Christi, Et tales arrogantes sunt omnes hypocritæ Papistici. Tam arrogantes enim sunt, ut reponant se in locum Christi, dum adorant sua opera, & sperant ea esse merita æternæ fœlicitatis. Hi præ se contemnũt alios homines, et indignantur, cùm ex Euãgelio dicitur: Publicani & meretrices præcedent uos in Regno Dei.

Est aliud genus arrogantium, qui non ob sanctitatem, sed ob diuitias, sapientiam, potentiã, et alia externa bona, iudicãt se dignos omnium ueneratione, et fastidiũt præ se quosuis alios. Difficile agnoscitur

hæc

hæc arrogantia per se, sed agnoscenda est ex fructibus. Tales enim arrogantes primum indignè ferunt, si alius ipsis præferatur. Deinde libẽter malè de alijs loquũtur. Tertio audiunt magna cum uoluptate laudes suas. Hæc sunt argumenta arrogantiæ. Quid ergo? num hoc peccatum tam leue est corã Deo, quàm coram hominibus iudicatur? Minimè omnium. Pertinet enim ad ordinem inuidiæ. Nam sicut Satan autor inuidiæ est, ita etiã autor est superbiæ. Primùm enim concepit arrogantiam, dum affectauit Deo similis esse, Ergo arrogãs, dum prægnans est arrogantia, gestat secum Satanam & infernum, quibus quid horribilius dici potest? Item arrogantia peccat in se cũdum præceptum Decalogi. Assumit enim Nomen Domini, & fit blasphemus in Deum, imò suscipit bellum aduersus Deũ. Non apparet extrinsecus, sed Deus uidet. Postremò iniquus est in proximũ: quia cùm similes sumus carne et sanguine, tamen arrogans affectat uideri longè melior. Nam si hominum conditionem consideraueris, non licebit ut asinus (iuxta prouerbium) exprobret asino longas aures. Puerilis doctrina in schola contra arrogantiã nota, de asino gestante sacras reliquias. Sic accidit arrogãti. Asini omnes asini sunt, differt tantũ is ab alijs, q̃ ipse gestat sacra. Sic & homines, &c. Quare si quis arrogãter de se sentiat, necesse habebit asini supplicium ferre. Et uerum sit, quod Christus addit, Omnis qui se exal-

tat, humiliabitur, &c. Habes conuiuia honestorum.

Conuiuia epulonum.

Quid dicemus nunc de conuiuijs epulonum & ebrioſorum? Sicut iſti afferunt ad conuiuium inuidiã & arrogantiam, Sic illi afferunt blaſphemias, lites, clamores, ingurgitationes, &c. Hæc ſunt porcorum conuiuia, quæ tanto horribiliora ſunt, quanto magis Ethnica. Inter Ethnicos reperies honeſtiora conuiuia, quàm inter Chriſtianos, præſertim in diebus feſtis. Nam quemadmodum hic longè turpius facit, qui amico ſuo malefacit, quàm qui inimico, propterea q Ethnici etiam amicis benefaciant. Sic qui externam impudentiam in conuiuijs ſectatur, tanto grauius peccat, quãto honeſtiores fuerunt Ethnici. Vide Perſarum mores in Xenophonte, Quàm diſſimiles noſtrorum moribus? Et tamen putatur eſſe leue peccatum. Sed audi, hic luxus, & hæc impudentia, primũ, tantum eſt peccatũ, ut propter illud Deus perdat, nõ ſolum frumenta, ſed etiam totas regiones. Eſaiæ 5. Væ qui potentes eſtis ad bibendum uinum, & uiri fortes ad miſcendam ebrietatem, &c. Eleuabitur ſignum in nationibus, & ſibi labit, & ecce feſtinus uenit. Deinde meretur hoc peccatum deleri de libro uiuentium: Ebrioſi, maledici, (inquit Paulus) non accipient Regni Dei hæreditatem. 1. Corinth. 6. Putas ne hoc uerbum uanum eſſe? Qui dicit, habet ſpiritum ſanctum, Organon Dei electum eſt, Et eſt unus ex illis, iuxta cuius uerbum iudicabitur orbis terrarum,

rarum, non iuxta Cæsareas leges. Abominamur incendiarios, Sed hi præcipuè incendiarij sunt, qui ebrioſi sunt, qui a hi incendunt furorem Domini aduersus regionem, & incendunt etiam ignem inferni. Quare fugienda sunt hæc uitia, ne pereamus, Sectandum autem est exemplum Christi, qui & ipse conuiuijs interfuit, sed hoc tantum egit, quod modestum & iustum fuit. Nam si sectabimur exemplum Christi ex fide, consequemur etiam cum ipso hæreditatem, qui est Deus benedictus in secula,

AMEN.

DOMINICA XVIII. POST TRInitatis, Euangelium Mat. 22.

PHarisæi audientes, quòd Iesus silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in unum. Et interrogauit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, & tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum.

Secun-



Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis tota Lex pendet & Prophetæ.

Congregatis autem Phariſæis, interrogauit eos Ieſus, dicens: Quid uobis uidetur de Chriſto? Cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu uocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, do-

nec

nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid uocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere uerbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

HOMILIA PRIMA, DE COMpendio Legis, quæ est elenchus debitorum nostrorum, quæ Domino Deo nostro debemus, habita anno 1540.

QVod recitauimus Euangelion obseruatu dignißimum est. Etsi enim paucis ante diebus explicuerimus has duas Leges de dilectione Dei & proximi, quæ in hoc Euangelio commemorantur, tamen quia doctrina harum legũ scitu necessaria est, utile fuerit, ut hoc argumentum frequenter in Ecclesia tractetur. Nam hæ duæ leges proponunt nobis elenchum debitorum nostrorũ, quæ Deus à nobis exigit, & quæ ipsi debemus. Necessarium aũt est, ut cognoscamus magnitudinem debitorum, quæ Deo debemus. Si enim ignorauerimus, Primùm quidem

quidem magis nobis curæ erunt humana, quàm diuina. At homines, quia ignorant quantum Deo debeant, plerunque hoc ingenio præditi sunt, ut sentiant, se facillimè cum Deo de suo cœlo, & fœlicitate pacturos, si modo humanam, & terrenam fœlicitatem consequi liceat. Sic pauper existimat, se probè cum Deo conuenturum, si saltem paupertatem abijcere posset. Sic multam summam pecuniæ debens homini, sentit se facilè Deum soluturum, si modo creditorem tranquillum reddere posset. Sic ægrotus confidit se leuissimè cum Deo reconciliatum iri, si saltem cum sanitate reconciliatus esset. Breuiter, ignorantia debitorum diuinorum efficit, ut ignoremus Deum ipsum ac seueritatem eius. Itaq; fit ut in ignorantia pereamus. Deinde si ignorauerimus magnitudinem debitorum, quæ debemus Deo, non requirimus modum ac uiam soluendi debita, Et tamen si non exoluuntur, non possumus salutem consequi. Quare necessarium est, ut discamus quid Deo debeamus. In hodierno igitur Euangelio, Christus contrahit in paucissima uerba totam summam debitorum nostrorum & ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Et proximum sicut teipsum. Hîc est elenchus, hoc est rationarium seu regiſtrum debitorum nostrorum. Das iſt der Kerffzedel. Non agitur hîc de debitis duorũ aut trium obulorum, sed de debitis multarum myriadum, idq; non aureorum numorum,

numorum, sed optimarum & sanctißimarum uirtutum. Testatur enim Christus ipse quòd in his duobus mandatis tota Lex et Prophetæ pendeant. Non contimetur quidem in hoc cõpendium Euangelij de Christo, quod & ipsum in Lege et Prophetis cõscriptum est, sed cõtinetur in eo quicquid ad legem pertinet, Quicquid boni faciendum, & mali omittendum est. Prima pars compendij est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Hac parte exigit Deus perfectam in omnibus mandatis suis obedientiã, tam internam cordis, & animi, quàm externã omnium corporalium uirium, adeoq; exigit ut tã faciendo quàm patiendo uoluntati diuinæ ex toto corde & omnibus uiribus obsequamur. Videamus autem Sanctorum exempla, ex quibus facilè intelligere possumus quantam sanctitatem & obedientiam Deus hac Lege exigat. Deus uocauit Mosen è rubo ardenti, & iußit eum proficisci in Aegyptũ, ac liberare populũ suum. Hæc est uocatio Mosi. Exigit igitur Deus ut diligat Mose toto corde, tota aĩa, hoc est, ut huic uocationi nulla omnino cogitatiõis quidẽ tergiuersatiõe obediat. Quid ergo fit? Mose suscipit quidem hãc uocationẽ, sed magna animi perturbatione. Primùm recusat se profecturum, Deinde etsi proficiscatur, tamen timet pericula Aegypti, & non satis fidit Deo. Ergo Mose obediẽdo uocationi Dei, nõ impleuit, nẽ absoluit huius legis elenchum: Diliges Deum ex toto

Dilectiõis plenitudo.

corde

corde &c. Audi aliud exẽplum. Deus misit afflictionem in Dauidem, ut eiiceretur è regno & conuicijs proscinderetur à Simei, Vocauit igitur eum, ut hæc omnia propter Deum patiẽter ferret, hoc est, ut Deum ex toto corde & anima diligeret, & huic uocationi nulla plane ne animi quidem repugnantia obediret. Quid ergo fit? Dauid obsequitur quidem & suscipit exiliam, ac conuicia, tanto autem animi dolore susceptit ea, ut etiã lachrymas profundat. Hoc certè nõ erat Deum diligere ex toto corde, quia totum cor non obediebat uocationi Dei. Ergo diligere Deũ ex toto corde &c. est mãdatis & uocationi Dei obedire, nulla plane nec animi nec corporis tergiuersatione, sed perfectam omnino sanctitatẽ omnibus tã animi, quàm corporis uiribus præstare. Secũda pars compendij: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quis sit huius partis sensus, potest etiã exemplis obseruari. Sapientes etiam Ethnici recitant in contractibus ciuilibus talia exẽpla. Si uir bonus aduexerit magnum numerum frumenti in ciuitatis inopia, summáq; annonæ caritate, si idem sciat complures mercatores, postera die aduenturos, dicturus sit ne ciuibus an silentio suum quàm plurimo uẽditurus? Hîc iudicant etiã Ethnici, bonũ uirũ ciuibus indicaturum. Nullus. n. debet cum alterius incommodo, suum commodum augere. Et: Quod tibi nõ uis fieri, alteri ne feceris. Item uir bonus uendet ædes propter aliquã uitia,

uitia, quæ ipse solus norit, aut unum aut plura, quæ ro, si hæc emptoribus uẽditor non dixerit, ædesq; uẽ diderit pluris multo quàm se uenditurum putarit, num id iustè aut improbè fecerit? Quid hìc iustum sit docet lex illa, Diliges proximum tuum sicut te= ipsum, Et affirmant & huic ipsi iustum esse ut uitiæ indicentur. Sed hanc legem Paulus rectissimè expli= cuit Roma. 13. Non adulterabis, inquit, non occides, non furaberis, non falsum dices testimonium, nõ con cupisces, & si quod aliud præceptum in hoc sermo= ne summatim comprehenditur, Diliges proximum, &c. Dilectio proximi malum non operatur. Et .1. Co rinth. 13. Caritas patiens est, benigna est, nõ inuidet, non est procax &c. Habes iam catalogum seu elen= chon debitorum nostrorum erga Deum, uidelicet q; Deum ita diligere debemus, ut omnibus mandatis e= ius toto corde & perfecta sanctitate obediamus, Ac proximum similiter ita diligamus, ut ipsi non minus quàm nobis bona cupiamus & faciamus. Atq; hoc de bitum Dominus Deus noster tanta seueritate exi= git, ut si quis non perfecte soluerit, adiudicetur per= petuæ damnationi, Maledictus omnis qui non per= manet in uerbis legis huius. Reliquum igitur est, ut cogitemus de solutiõe. Ac quemadmodum ciuiles de bitores, qui non sunt solũendo, uarias excogitant ui as, quibus sperant se soluturos: alij abscondunt se, ne à creditoribus inueniantur: alij paciscuntur terminũ

Debita soluendi uiæ excogitatitiæ.

post terminum alij subtrahunt se fuga: alij uersuram faciunt &c. Sic etiam imperiti rerum spiritualium uarias excogitant uias soluēdi debitum legis. Alij conantur legem implere externis operibus. Et rectum quidem est, quod faciāt bona opera externa. Sed hac uia ne sancti quidem ipsi potuerunt ei satisfacere, quemadmodum suprà de Mose, & Dauide dictum est. Alij emunt sibi fraternitates Monachorum, & sperant se hac emptione participes fore omnium bonorum operum, quæ fiunt in toto ordine monastico. Alij sentiunt Deum misericordem esse, ac dicunt, se quidem pro uirili sua benefacturos, si quid autem non perfecte fecerint, speraturos, Deum ex misericordia condonaturum. Atq; hoc quidem non impie dicitur, sed si nulla adsit cognitio Christi, non cedit utiliter quod piè dicitur. Verum enim est, quòd Deus sit misericors natura, Sed quibus sit, absq; Christo, misericors, explicat ipse in proœmio Decalogi. Faciens (inquit) misericordiam his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea. Deus enim his misericors est, qui ipsum diligunt ex toto corde, &c. Ergo qui hoc non fecerint, non possunt de misericordia Dei bene confidere, si nullam habeant cognitionem Christi. Quomodo igitur rectam uiam soluendi debita nostra apprehendamus, docet etiam hodiernum Euangeliū. Postquàm enim Pharisæi nihil aliud creparent, quàm legem, quæ tamen ab ipsis non implebatur,

batur, Christus interrogat de Meßia, sentiens quòd non sufficiat de lege disputare, nisi etiam cognoscatur de Meßia, in lege promisso, per quem solum legis debita solui queant. Quærit igitur, quid sentiant de Meßia: an tantum homo futurus sit, an etiam Deus? Et probat ex Psalmo quòd etiam Deus. Qua probatione significare uult, quòd quia Christus non sit tantum homo, uerumetiam Deus, impleuerit etiam totam legem perfectè, & omnino satisfecerit uoluntati Dei. Quare qui uoluerit debitum legis soluere, non potest aliam uiam soluendi inuenire, quàm Christum. Et hoc ita fieri solet, Principio credendum est in Christum, tunc ex fide imputat, seu mutuo nobis dat Christus suam perfectam iusticiam, quam possumus opponere iudicio Dei. Deinde nostrum officium est, ut quia Christus dedit nobis commodato suâ iusticiam, restituamus commodatum Christo. Restituimus autem obedientia Euangelij, & charitate proximi. Nam si proximo malefecerimus, tunc Christus retrahit suum commodatum, ut in parabola Matth. 18.

ALTERA HOMILIA DE COMpendio legis, & quæstione Christi de Meßia, habita anno 1542.

QVod recitauimus Euangelion, unum est è præcipuis pericopis totius sacræ scripturæ, & dignissimum, quod summa obseruatione consideretur. Non solum enim continet in se epitomen totius legis & Euangelij, (quæ sunt duæ præcipuæ partes scripturæ) uerumetiam primùm abijcit & detrudit nos omnes in perpetuas flammas inferni. Deinde extrahit rursus aliquos ex inferno, & collocat eos in cœlum ac cœlestem maiestatem. Quæ cùm sint ualde mirabilia, diligentissimè cognoscenda sunt. Ac initio Iesus interrogatur de primo & præcipuo mandato Dei. Recitat igitur epitomen totius diuinæ legis ac omnium mandatorum Dei: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Et diliges proximum tuum sicut te ipsum. Et addit: in his duobus mandatis tota Lex, & Prophetæ pendent. Quicquid enim de lege, de mandatis Dei, uel in Mose, uel in Prophetis scribitur, hoc summatim comprehenditur in his duobus mandatis. Sunt & promissiones & uaticinia in Mose & Prophetis, quæ in his mandatis nõ continentur, quia hîc fit sermo nõ de promissionibus, seu Euangelio, et uaticinijs rerum futurarum, sed tãtum de præceptis Dei, quibus facienda, uel non faciẽda exiguntur. Etsi aũt apparet externa facie, q̃ hæc duo præcepta nihil horroris, nihil terroris, in se contineant, tamen certissimum est, q̃ sint publica, et iudiciaria sentẽtia

Sententia iudiciaria qua omnes damnãtur.

quã

qua omnes homines, à minimo usq; ad maximum pronunciantur digni perpetua damnatione, & detruduntur in medias flammas inferni. Manifestum est iudicium Dei quod est Deut. 27. conscriptum: Maledictus omnis qui non permanet in sermonibus huius legis, nec eos opere perficit, & responsum est diuino instinctu ab omni populo, AMEN, quod est publica huius sententiæ, & iudicij confirmatio. Nunc autem nullus hominum est qui hæc duo mandata perfectè impleuerit. Comprehendit enim in se omnia alia Dei mandata, & totam diuinam legem. Quis aũt est qui non uel in una aut altero mandato Dei offenderit? Præterea hæc duo præcepta, non exigunt tantũ externam quandam reuerentiam Dei, & dilectionẽ proximi, sed lex de diligendo Deo, exigit omnes humanas uires sanctas, puras, et perfectas, in timore, fide, & obedietia Dei. Lex, inquit Paulus, est spiritualis, Nos autem sumus carnales, uires nostræ uiciatæ per peccatum originale: neq; enim natura nostra tãtum cognoscimus, tantum diligimus, tantum timemus Deum, aut credimus Deo, quãtum debemus. Lex uerò de Diligendo proximo non exigit tãtum ciuilem societatem, et ciuilia officia, sed ut proximus non aliter, quàm nos ipsi, diligatur. Nos autem natura ita corrupti sumus, ut nosmetipsos multo plus diligamus, quàm proximos. Proximus (inquit) egomet sum mihi. Quare cùm nullus unquàm hominum, præter

unum solum Iesum Christum perfectè obseruauerit & impleuerit, aut adhuc obseruet, & impleat hæc duo mandata, perspicuum est q̃ sint publica & iudiciaria Sentẽtia, qua omnes homines detruduntur in perpetuas flammas inferni. Hæc nõ sunt puerilia terriculamenta, sed maximè omnium seria, quemadmodum testantur nõ tantum impiorum, ut Saulis, Achitophelis, Iudæ, & aliorum exempla, Sed etiam clamores sanctorum in tentationibus inferni, Vt Dauidis, Ezechiæ, & aliorum. Non sunt igitur cõtemnenda, Sed hæc uerba, hæc mãdata sunt nobis semper ob oculos ponẽda, & quotidie citanda, ut cognoscamus seueritatem diuinam, & discamus timorem Dei, excusso torpore, ignauia, & somnolentia nostra. Hæc de priori parte hodierni Euangelij. Nunc alterã partem pro uirili nostra percurremus. Dictum autem est, q̃ prior pars illa sit publica & iudiciaria sententia, qua omnes homines condemnantur ad perpetuas flammas inferni. Quis autem ad hæc non obstupesceret? quis libenter esset obnoxius flammis inferni? Quare proponitur nũc in altera parte hodierni Euangelij concio de Iesu Christo Domino nostro, qui solus è flammis inferni, in quas nõ propter aliquod suũ ipsius peccatũ (nullũ. n. fecerat) sed propter hoies cõiectus fuit, ad cœlũ euasit, et traxit secũ quotquot ipsi p fidem adhæserunt. Iesus. n. interrogat Pharisæos de Christo, cuius filius sit, hoc est, an existiment Christum

ſtum hoïem tantũ futurũ, an Deũ et hoïem ſimul? Cũ igitur reſpondiſſent, eum hoïem tantũ fore, uidelicet filiũ Dauidis, refutat Chriſtus opinionẽ eorũ teſtimo nio Pſal. 110. Dixit Dominus domino meo ſede à dex tris meis, Donec ponã inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorũ. Hæc cõcio de Chriſto ualde diligẽter obſeruãda eſt. Dauid .n. audiuit p ſpũm ſanctum ante annos plusq̃ mille, priusq̃ Chriſtus naſceretur, ac è morte reſurgeret, colloquiũ Dei patris cũ Chriſto filio ſuo, quo colloquio Dauid in tantũ exhilaratus, & in fide ſua cõfirmatus eſt, ut ad gratiarũ actionẽ hunc 110. Pſal. in laudẽ Dei cõpoſuerit ac publicè decãtandum propoſuerit. Quod ergo fuit colloquiũ Dei patris cũ Chriſto filio ſuo? Dixit Dominus, uidelicet Deus ipſe pater, Domino meo, hoc eſt, Ieſu Chriſto iã homini facto, crucifixo & à morte reſurgẽti, q etſi eſt filius meus: Suſcitabo .n. (inqt) ſemẽ tuũ poſt te etc. tamen qa nõ tantũ eſt hõ, de ſemine meo, ſed etiã filius Dei ac Deus ipſe, idcirc o iure, ac meritò uoco eum Dominũ meũ. Dauid rex erat, nec agnoſcebat quẽq̃ hoïem Dominũ ſuum. Cum aũt agnoſcit ſuũ ipſius filiũ Dominũ ſuum, manifeſtũ eſt, eũ non ſolũ hoïem eſſe ſed etiã Deum. Quid ergo dicit Pater ad Chriſtũ filium iam reſurgentem? Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Hìc uide mihi admirabile ſpectaculũ, Chriſtus filius Dei aſſumpſit noſtram carnem & ſanguinem, ſine tamẽ pcõ,

& susceпit omnes humanas infirmitates, coniectus fuit in infimas partes terræ, hoc est, extremam paupertatem, & captiuitatem, in horrorem mortis, in flammas inferni, in mortem & sepulchrum, ita ut omnino uideretur periisse tã corporaliter, quàm spiritualiter: Sed ecce Deus Pater præsto adest, et excitato eo, iubet ipsum sedere ad dextram suã. Educit enim ipsum non solum è morte & sepulchro, sed etiam ex inferno inferiori, & collocat eum, non dico in externum, externi regni thronum, non collocat eum in sedem regis Babylonici, aut Persici, aut in thronũ Cæsareæ maiestatis. Hi enim throni, et hæ sedes sunt depressiores & humiliores, quàm ut conueniant tantæ maiestati, sed collocat eũ prope se in suam ipsius sedem, in thronum diuinæ maiestatis. Sede (inquiẽs) ad meam dextram, hoc est, sis mihi æqualis potentia & maiestate. Ac antè quidẽ Christus semper est natura Deus, patri suo æqualis. Nunc autẽ resurrectione à mortuis etiam Christus homo eleuatur unà cum carne et sanguine humano, in tantam sublimitatem. Quid autem potest hac maiestate altius, quid sublimius, quid magis immensum dici? Eleuatus est super terram, super homines, super cœlũ, super omnes angelos. Vnde et Angeli uocant eum Dominũ, & in nomine eius flectuntur genua omnium cœlestium, terrestrium & infernorum. Cùm autem Christus sedeat in tam excelso, & sublimi solio, necesse est ut

habeat

habeat scabellū pedum suorum. Quod igitur est scabellum eius? Sequitur: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorū. Ecce hostes Christi sunt scabellum pedum eius. Solēne autem fuit in regionibus illis, per scabellum pedum significare subiectionem, & seruitutem, aut oppressionem. Vnde & Valerianus Cæsar, qui regnauit Anno Christi 257. captus à Sapore Persarum rege, coactus fuit præbere scabellum regi in equum ascensuro, quæ certè maxima fuit contumelia in Romanam maiestatem. Cùm igitur Deus Pater dicit, se positurum hostes Christi scabellum pedum eius, significat se hostes ipsi subiecturū. Sunt autem hostes Christi primùm corporales, uidelicet omnes peccatores, omnes impij, & omnes impœnitentes peccatores. Deinde hostes Christi sunt spirituales, peccatum, Satan, mors, infernus, hos omnes hostes subijcit Deus Christo, ut Christus dominetur eis. Subijcit autem eos Christo, non simul omnes iuxta externum sensum, in hoc seculo, Sed pedetentim progreditur, donec uenerit nouissimus dies. Nā si Deus simul perderet omnes aduersarios Christi in hoc seculo, tunc iam adesset extremus dies, non compleretur numerus piorū. Itaq; ut filij Dei omnes congregentur, differt generalē perditionem impiorum. Hebr. 12. Ne sine nobis cōsumerentur. Et Apoc. 6. Donec cōplerentur conserui eorum et fratres eorū etc. Habes concionē de Christo ex Psal. 110. in qua uides

Christum è flammis inferni, et morte exaltatum esse in summam sublimitatem, & in sedem diuinæ maiestatis. Quid ergo? Num solus ad tam alta euolauit? Solus quidem, Sed & TOTVS: totus autem Christus non est illa persona tantum quæ prædicat Euangelium in Iudæa, sed est totum corpus unà cum membris suis spiritualibus, cũ omnibus, qui credunt in ipsum, quod est corpus Ecclesiæ Christi. Ego (inquit) si exaltatus fuero omnes ad meipsum traham. Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, &c. Pictores solent hactenus purgatorium pingere, & angelos extrahere quasdam animas, ac subuehere in cœlum, ubi uideas quòd aliæ animæ apprehendant aliarum pedes ut simul extrahantur. Hæc sunt puerilia figmẽta. Verior pictura est ea, qua depingitur Christus uenire ad Patriarchas in limbo (ut uocant) & eas abducere. Hoc autem non est tantum de Patriarchis intelligendum, sed de omnibus credentibus in Christum. Pingendi enim sunt omnes homines in flammis inferni: pingendus est autem Christus euolare ex his flammis ac simul secum extrahere, quotquot apprehendunt eum, & appendent ei. Sic Dauid in hoc Psalmo apprehendit Christum euolantem ex inferno, ad sedem diuinæ maiestatis, & simul extrahitur. Sic Stephanus apprehendit eum in media morte, cùm ait, Video cœlos apertos & Iesum stantem à Dextris Dei. Sic Paulus iubet nos eum apprehẽdere, Ro. 14.

Sius

Siue uiuimus, siue morimur, Christi sumus. Sic et nos apprehēdamus eum, ut primum subuehat nos à peccatis, ad dilectionem Dei, & proximi, quatenus hoc possibile est in hac carne. Deinde subuehat nos secum ex morte ad uitam, ex inferno ad cœlum, ut nnà cum ipso perpetuo regnemus, qui est benedictus in secula, Amen.

DOMINICA XIX. POSR TRInitatis, Euangelium Matt. 9.

ET ascendens in nauiculam, transfretauit, & uenit in ciuitatem suam. Et ecce, offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et uidens Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis, dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum uidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordib. uestris? Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, an



ta,an dicere, surge & ambula? Vt autem sciatis,quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra, tunc ait paralytico,Surge, tolle lectum tuum,& uade in domum tuam. Et surrexit,& abijt in domum suam. Videntes autem turbæ, timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

HO-

HOMILIA PRIMA, DE VERA causa, ob quam Christus uenit in hunc mundum, deq; uera ratione miraculorum Dei, habita anno 1537.

IN hac pericopa Euangelij de paralytico, multa præclara continentur, quæ sunt obseruatu dignissima, uidelicet de natura fidei erga Christum, & charitatis erga proximum habendæ. Quatuor enim uiri magno labore & periculo demitunt paralyticum per fossa tecto ad Christum, è quo & maxima fides, & maxima Caritas declaratur. Similiter proponitur exemplum in paralytico ex ijs qui portant ipsum, quo docemur quanto fidei affectu debeamus infantes nostros offerre Christo ad salutem. Vt enim paralyticus ex morbo suo destitutus est omni tum ratione, tum etiam aliqua ratione sensu, ac mortuo magis, quàm uiuo similis. Sed qualis sit, consequitur tamen salutem per eos qui apportant ipsum ad Christum. Ita & infantes, nec utuntur ratione, nec cuiusquam opem implorare, certis aliquibus precibus, possunt, tamen quod in ipsis deficit, hoc à nobis implendum est, & afferendi sunt à nobis magna fide ad baptismum, qui est sacramentum Christi, ut salutem consequantur. Huc accedit, quòd & in hac Euangelij pericopa de aliena

aliena fide & interceßione diſſeri ſolet. Hæc enim prodeſt pro alio, ſed ea cõditione, nõ quòd alius ſine fide conſequatur ſalutẽ, ſimpliciter ex aliena fide: unicuiq; neceſſaria eſt propria fides ad ſalutẽ. Iuſtus (inquit) ex ſua fide uiuet, non aliena: ſed prodeſt, ut & alteri fides poßit impetrari, qua & ipſe ſalutem conſequatur. Vt enim huic paralytico nõ profuit ſanitas portantiũ, ad hanc partem, ut & ipſe ambulare poßit, & habeat ſanitatẽ, ſed profuit, ut potuerit ad Chriſtum ferri, & ibi ſanitatẽ conſequi, ita nemo conſequitur ſalutẽ ſine fide, q, alius credit, & orat, ſed poteſt ipſe ex aliena fide etiã propriã conſequi, atq; ita ſalutẽ conſequi. Hæc & alia multa in hoc Euangelio continentur, quæ nunc non licet per tempus pluribus explicare. Sed præcipuum caput, & ſtatus huius Euangelij tractandus eſt. Docet enim ueram cauſam propter quam Chriſtus in hunc mundum uenit. Docet item ueram rationem miraculorum, quæ Chriſtus ædidit. Docet breuiter quomodo poßimus duo ſumma bona conſequi, quorũ alterum inter corporalia bona ſummum eſt, uidelicet ſanitas corporis: alterum ſummum eſt inter ſpiritualia & cœleſtia, uidelicet ſanitas animæ, uel remiſſio peccatorũ. Hæc. n. uera eſt animæ ſanitas. Hæc ſi didicerimus, certè magnum operæ precium non feciſſe perſpicuũ eſt. Ac primum cum proponeretur Chriſto paralyticus, non ſtatim dixit, ſurge & ambula, ſed remittun-

Fides & interceßio aliena.

tur

tur tibi pcta tua, quo uerbo non obscurè significat, se longè alia causa uenisse in hunc mundum, q̃ uulgo putaretur. Sunt.n. qui existimant eum uenisse, ut in hoc mundo externa maiestate dominetur, & exter nam fœlicitatẽ instituat, pauperem ditet, ægrotũ sa net, oppressum liberet &c. Sed aliâs dicit, Regnum meum non est de hoc mundo. Sunt iterum qui putant ipsum uenisse ut legislatorẽ, ut excellentiorẽ, & sanctiorem ferat legem, quàm Mose, sed & hoc uanum est. Lex.n. antea perfecte fuit lata per Mosen. Et quã quàm Christus doceat interdum legem, eã tamen nõ docet, ut legislator nouæ legis, sed ut interpres ueteris legis, per traditiones humanas obscuratæ. Quæ enim Matt. 5. & Luc. 6. docet, non sunt noua lex, sed uetus, pro ut antè fuit expositatam à Mose, quàm à Prophetis. Sunt & qui sentiunt Christum uenisse tantum, ut proponeret nobis absolutũ exemplar piè uiuendi. Ac proposuit quidem nobis uiuendi rectè exemplum. Sed si hac tãtum causa uenisset, nihil nobis prodesset. Quid.n. prodest uiribus destituto, q̃ statua (ut uocãt mercurialis) ostendat ei iter? Quid confert ægroto, q̃ sanus proponat ei exemplũ ambulandi? Ita cũ nos natura ægroti simus ac penè mortui in reb. pietatis, nihil prodesset alienũ exẽplum, si præterea nihil aliud accederet. Quam ergo ob causam uenit in hunc mundũ? Causam manifeste significat in hoc Euãgelio. Dicit.n. ad paralyticũ. Fili, bono animo esto,

Christus cur in mundum uenerit.

esto. Remittuntur tibi peccata tua. Venit enim Christus ad remittēda peccata. Hæc est maxima omnium causa, propter quàm Christus aduenit. Sed his auditis alius quidem inquit: Ergo ne uenit ad instituendam uitam uoluptuariā, ut quia remittat peccata liceat unicuiq; impunè agere quod libet? Alius autem dicit: Quid hoc tātæ rei est, quòd Christus uenit duntaxat ad remittendum peccata? Ego si esurirem, mallem habere oua frixa, quàm peccatorum remissionē. Potuissent etiam hi, qui portauerunt paralyticū cogitare: Quid? nō hoc præcipuè quærimus, ut remittātur huic peccata, sed ut consequatur sanitatem. Sed hīc nobis obseruandum est, Remissionē peccatorum non esse rem tam uanam, et inefficacem, ut aut concedat unicuiq; agere quod ex carne libet, aut postponi debeat bonis corporalibus. Nam postq̄ Christus accepit hoc mādatum à Patre, ut homines seruaret, & conferret eis ueram, ac perpetuam fœlicitatem, non inuenit meliorem & conuenientiorem rationem, hoc perficiendi, quàm remissionē peccatorum. Primum enim ad salutem & ueram fœlicitatem necessarium est, ut coram Deo iusti simus. Non possumus autem iusti esse nostra ipsorum iusticia & operibus nostris, quia omnia nostra opera, aut sunt mera peccata aduersus legem Dei, aut sunt imperfecta, & non satisfaciunt legi. Inuenit ergo Christus hanc uiam, quæ est remissio peccatorum, ut hanc nacti iustificemur

stificemur coram Deo. Hos enim reputat Deus iustos, quib. Christus remisit peccata, & donauit suã iusticiã, hoc est, qui credit in Christum habet peccatorum remissionem: ubi autem est remissio peccatorum, ibi est iusticia: ubi est iusticia, ibi est impletio legis. Ergo qui habet remissionem peccatorum, perinde iudicatur, ac si impleuisset legem. Deinde ad uerã & perpetuã fœlicitatem necessarium est, ut nec morbus, nec paupertas, nec mors, nec infernus, nec alia quædam calamitas, nobis molesta sint. Hoc autẽ nequit fieri, nisi peccata sint remissa. Nã è peccatis, ueluti è radice, pullulauit omnis infœlicitas huius seculi. Adã si non peccasset, nec nos in Adam peccassemus, tunc nec paupertas, nec morbus, nec mors, nec infernus fuissent nobis infesta. Nũc autẽ quia peccatum introijt in mundum, introierunt unà cum peccato omnes afflictiones, & perditiones. Atq; rem ita se habere testatur ipsa Dei uox ad Adã dicta: Quocunq; die comederis, morte morieris. Deut. 28. Si non audieris uocẽ Domini Dei tui, maledictus eris in domo tua etc. Et Roma. 6. Stipendiũ peccati mors est. Cùm ergo Christus uellet abolere afflictiones, mortem, & infernum, abstulit horum causam, uidelicet peccatũ, & remisit illud, ut ablata causa, auferatur et effectus. Nam quemadmodum holitor non bene purgat hortum suum, si tantum fŏlia zizaniorum euellat, et sinat radicem

in terra hærere. Sic etiam subinde zizania iterũ e-rumpent. Purgaret autem hortum, si radicẽ euelleret, etiamsi folia zizaniorum in horto uiridia relinqueret. Ita & Christus optimus hortulanus, cùm uoluit è mundo extirpare zizania afflictionum, nõ fuit ei multæ curæ, de externis foliis afflictionum, sed dedit operã ut radicem euelleret, hoc est, ut peccatum expiaret: ac reliquit quidem externã afflictionem & mortem, sed nõ possunt amplius uiresc ere in pijs, quia ablata et abscissa est radix quæ est peccatum. Quare Christus longè omnium optimè consulit saluti nostræ, ut hoc unum egerit, quòd peccata expiaret, & nobis ea remitteret. Quòd autem hoc egerit, testatus est miraculis. Vnde addit in hoc Euangelio, Vt sciatis q̃ potestatẽ filius hominis habet pctã dimittere, dixit paralytico: Surge, tolle grabatum tuum & ambula, &c. Hîc discẽda est uera ratio miraculorum Christi. Christus etiam edit miracula, non ad comparandam auram popularem, nõ ad comprobandam horum sanctitatem, quibus contingit sanatio: Sed tãtum ad comprobandam doctrinã Euangelij sui, quod est, homines habere, nõ propter humanam iusticiam, sed in ipso, remissionẽ peccatorum. Ioan. 5. Opera quæ dedit mihi pater, ut perficiã ea, ipsa (inquã) opera quæ ego facio, testificãtur de me, q̃ pater miserit me. Igitur quoties audimus de miraculo Christi, toties sentiamus nos uidere cœlestе

ste signaculum, quo probatur, quòd propter Christum habeamus iusticiam coram Deo, & quod abrogatæ sint omnes afflictiones, & maledictiones, mors, atq; infernus. Et cum tantum beneficium à Christo accepimus, necessariũ est, ut nos gratos declaremus per obedientiam in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus laudandus in secula, Amen.

ALTERA HOMILIA DE ORAtione, de officio Christi, & de usu miraculorum, habita anno 1541.

TRia præcipuè in hodierno Euangelio obseruanda proponuntur. Primùm enim in quatuor baiulis discenda est uera ratio orandi seu precandi. Deinde discendum est quod sit uerum officium Christi, propter quod uenit in hunc mundum. Tertiò obseruandum est, quis sit uerus usus miraculorum Christi. Et hoc Euangelium unum ex illis est, quæ sunt selectißima, & quæ rectam doctrinã Christianismi perspicuè continẽt. Quare quãto nobis ad salutẽ magis necessaria est cognitio Christianismi, tãto diligentius considerãda sunt, quæ in hodierno Euãgelio nobis proponuntur. Primùm .n. quatuor baiuli docent nos orare. Non est nobis nũc sermo de uerbis orationis, seu precationis, quippe q̃ recensentur aliâs in Psalmis Dauidis, aliâs apud Matt. 6. Et parẽtes docẽt filios suos ab incunabulis ratione. Orandi uera.

uerba precationis, Sed loquimur de ea oratiõis forma, qua fit ut oratio nostra penetret nubes ad maiestatem Dei, & impetret, quod desiderat. Homines iudicant eum esse eloquentem uirum, qui sermone suo ita ualet, ut possit alterum etiam nolentẽ in sententiam suã pertrahere. Estq; humana eloquentia maximum omnium donum. Multo autem eloquentior is habendus est, qui oratione sua potest expugnare animũ Dei, ut quæ petit consequatur: hæc eloquentia discenda est à quatuor baiulis, qui afferunt paralyticum ad Christum. Primùm enim cõsecuturi sanitatem paralytico, nõ adducunt paralyticum ad sanctum quempiã demortuum, sed ad Iesum Christum, quem agnoscunt uerum esse Seruatorem. Sic & nos oraturi, et impetraturi, non debemus inuocare sanctos, sed unum solum Dominum Deum nostrum, per Iesum Christum filium eius, credentes q; Christus reddiderit nobis Deum propicium. Quicquid (inquit) in nomine meo petieritis, credẽtes accipietis. Deinde apportant ad Christum hominẽ minimè sanum, sed paralyticũ, & totum stupidũ, unde necesse habent & ipsum in lecto ferre. Sic et nos impetraturi à Deo desiderium cordis nostri, non debemus afferre nostram ipsorum iusticiam, nõ debemus gloriari de nostris uirtutibus, sed unusquisq; offerat se Christo, tanquàm paralyticum, ac prorsum morti obnoxium. Mẽdicus cupiens impetrare elee-

mosynam,

mosynam, non ostentat integra membra, sed putrida, & inutilia, non ostentat preciosas uestes, sed laceros pănos, alioqui audit, A page, bis sanis & diuitibus mĕdicis nihil eleemosynæ dari solet. Nos autĕ omnes sumus mendici corā Deo, itaq; si quis in afflictione, & petitione auxilij ostentauerit coram Deo suam iusticiam, & innocentiā, ac non adduxerit se tanquàm paralyticū, ac prorsus mortuum, hoc est, peccatorem & nocētissimum, is certè patietur repulsam. Ostendit autem suam innocentiā, qui solet dicere: Cur obsecro Deus me affligit, cùm nō sim tāta mala meritus? Et sunt multi alij qui peiora designauerunt, & tamen liberi sunt ab afflictionibus? Hoc est suam innocentiam ostentare. Quid ergo dicemus de Dauide, qui oraturus Deum pro auxilio in exilio suo, uidetur iactare suā innocentiā, Psal. 7. dicēs: Domine si feci istud, et si est iniquitas in manibus meis &c. Iudica me Domine secundum iusticiam meam, & secundum innocentiam meam super me. Itĕ Ezechias 4. Reg. 20. dicens: Obsecro Domine, memĕto quomodo ambulauerim coram te in ueritate, & in corde perfecto? Videtur & is gloriari de sua innocentia. Sed multò aliter se res habet. Nŏ enim gloriantur de sua ipsorum iusticia, sed de iusticia uocationis Dei. Dauid accusabatur seditiōis aduersus Saulem, q; parasset regnum non iusta electione, sed crudeli sanguinis effusione: de hoc conciona

tur in Psalmo, & affirmat regni occupationē fuisse uocationem Dei, non seditionē: interea semper agnoscit se peccatorem, et quanq̄ ambulauerit in uocatione Dei, tamen agnoscit se nō absoluisse ueram in se iusticiam. Sic Ezechias nō loquitur de sua propria iusticia, sed de iusticia officij sui, et administrationis regni. Abrogauerat.n. impietates idolatriæ iuxta uerbū Dei. Tametsi aūt alioqui fuerit peccator, tamē hoc officiū erat rectū, & iustum. Sic & dici posset de eo, qui ueraciter, candidè et rectè negociatur in mercimonijs emendis & uendendis, & tamen affligitur interea paupertate. Hic posset de uocatiōe Dei gloriari, Sed interea se agnoscere peccatorē, ut q nunquàm tantū fecerit, quātum Deus exegerit. Ad hæc, baiuli cùm non possunt præ turba ad Christū uenire, denudāt & perfodiunt tectū ut paralyticū demittant ad Christū fumibus. Obstrepit et nobis turba in oratione. Deterremur.n. ab oratione hominum multitudine, cogitamus Deū magis habere aliorum curā, ac præcipuè excellentium hominū quàm nostri: aut cùm cogitamus turbā perire, et nō consequi salutē à Domino. Obstat itē nobis tectum seu paries. Vt igitur pueniamus ad Christū, demoliendū est tectum. Interstitium aūt tecti inter nos & Christum, est magnitudo & grauitas peccatorū nostrorum, sicut Esaias inquit: Ecce non est abbreuiata manus Domini ut saluare nequeat, neq; aggrauata est

ta est auris eius, ut non exaudiat, sed iniquitates uestræ diuiserũt inter uos, & Deũ uestrum, & peccata uestra abscõderũt faciẽ eius à uobis, ne exaudiat. Demoliẽda igitur & deijciẽda erũt peccata, ut exaudiamur. Nõ possunt autem deijci, nisi conjecta in Christum per fidẽ, ut credamus uidelicet, Christũ pctã nostra expiasse. Itaq; si ex hac fide accesserimus Dominum Deum nostrũ, etsi aliquoties expectãdum est auxilium, tamẽ certissimè continget, & impetrabimus oratiõe quod postulamus. Hæc de oratione. Nũc de officio Christi. Posteq̃.n. paralyticus propositus fuit in conspectum Christi, non continuo sanauit eum Christus corpore, sed primum omniũ dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: tum fecit omnes auditores attentos, et excitauit uarias cogitationes in spectatoribus. Alij enim cogitarũt fortasis: Quid cõcionaris tu huic paralytico de remissione peccatorum? Non petit remissionem peccatorum, quam facilè potuisset cõsequi oblatione uituli, aut hirci in templum, sed petit sanitatẽ corporis. Alij cogitauerunt: Quæ est ista blasphemia? An nõ solus Deus remittit pctã? Sed hæc uox de remissione peccatorũ non temere primũ omniũ excidit Christo. Duabus enim de causis Christus prius remittit peccata paralytico, quàm conferat ipsi corporalem sanitatẽ. Prior est, q̃ uoluerit significare, quod Christi ue esset uerum suũ officium, uidelicet, se nõ ueniss

cium,

hunc mundum, ut esset corporalis medicus, sed spiritualis. Atq; hoc cùm dicit, Remittũtur tibi peccata, ita loquitur, perinde ac si dicere uelit, Eò rẽ peruenisse uideo, ut in me nõ nisi externa bona quæratis. Et salus animæ non est magnopere uobis curæ. Ego autem nõ ueni, ut externus medicus, aut mundanus Princeps, Sed ueni ut spiritualis medicus, et ut conferam spiritualem medicinam, quæ est REMISSIO peccatorum: hoc meum est officium, propter quod descendi de cœlo. Nec potuisset Christus maius aut excellentius, aut nobis plus necessarium, officiũ habere. Vbi est remißio peccatorũ, ibi nihil officit, uel infirmitas corporalis, uel paupertas, uel mors etiã ipsa: ubi autem non est remißio peccatorum, ibi nihil prodest, uel sanitas corporis, uel diuitiæ, uel regnum, uel diuina uita. Quid ergo dicemus de Prophetarum & Apostolorum concionibus? an non et homines per horum cõciones assecuti sunt remißionem peccatorum? An nõ & hi remiserunt peccata? Remiserunt, non autem propter se, aut opera sua, sed propter Christum, non autoritate & magisterio, propter suam ipsorum iusticiam. Solus autem Christus habet autoritatẽ remittendi peccata propter suam iusticiã. Sed quibus (inquis) remittit peccata? Omnibus in toto orbe terrarum, modo recipiant eam. Recipiunt autem illam cognoscẽtes peccata sua, et credentes in Christum. Hypocritæ & scelerati,

lerati, perseuerantes in peccatis, non agnoscunt se peccatores, quare nõ recipiunt peccatorum remissionem. Et hæc de officio Christi. Posterior causa, cur Christus primum omnium remittit paralytico peccata, hæc est, quòd uoluit declarare, quæ esset radix ægritudinis corporalis & omniũ afflictionũ. Radix enim est peccatũ. In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Ergo ne oës afflicti sunt peccatores? Sunt quidem omnes peccatores præter Christum, non tamen omnes affliguntur propter peccata, ut Christus, Ioseph, et multi alij sancti. Ergo si afflictio inciderit, cognoscenda est causa afflictionis. Aut enim affligimur propter peccata, tunc agnoscendũ est peccatum, et resipiscendum, ut causam & radicem afflictionis extirpemus. Aut affligimur seu persecutionem patimur propter iusticiam, Tunc constendum quidem est, quòd si Deus obseruaret iniquitates, nullus sustineret, manendum autem est in uocatione Dei, & credẽdum, quòd Deus sit nos seruaturus etiam in articulo mortis, usq; in sempiternã uitam. Postremò traditur in hoc Euangelio uerus usus miraculorũ Christi, Vt sciatis, inquit, q; potestatẽ habeat filius hominis &c. dicit paralytico: surge, tolle lectum tuum & abi. Christus enim edidit mira cula nõ q; propter hoc officium præcipuè descenderit de cœlo, nec q; hoc donum miraculorum perpetuo debeat in Ecclesia perdurare, ut homines mira Miraculorũ usus.

culis sanarentur à corporalibus morbis, sed ut confirmetur doctrina Euangelij Christi, & officij eius. Vt sciatis, inquit, q̃ filius hominis habeat potestatem remittendi peccata, &c. Sic et Ioannis 20. Multa signa fecit Iesus, hæc autem scripta sunt ut credatis, quòd Iesus sit Christus filius Dei, et ut credentes uitã habeatis per nomen eius. Ergo cum recitatur miraculum Christi, Exempli gratia, quòd Christus excitauerit mortuum, q̃ sanauerit leprosum, quòd restituerit cæco usum, & surdo auditum, semper addendum est, id quod in hodierno Euangelio scribitur, uidelicet hoc ideo factum esse, ut sciatis quòd filius hominis habeat potestatẽ remittendi peccata. Suscipiamus igitur hoc officium Christi, ut cõsecuti per ipsum peccatorum remissionem ambulemus in iusticia per æternam uitam, per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

DOMINICA XX. POST TRInitatis, Euangelium Matt. 22.

SImile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.



suo. Et misit seruos suos, ut uocarent inuitatos ad nuptias, & nolebant uenire. Iterum misit alios seruos, dicens, Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt et abierunt, alius in uillam suã, alius uero ad negociationẽ suã, reliqui uero tenuerũt seruos eius, et cõtumelijs affectos occiderũt. Rex autẽ cũ audisset, iratus est, & misis

missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos,& ciuitatem illorum succendit.

Tunc ait seruis suis, Nuptiæ quidē paratæ sunt, sed qui inuitati erant, nō fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum,& quoscunq; inueneritis, uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias,congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentibus. Intrauit autem Rex ut uideret discumbentes, Et uidit hominem non uestitum ueste nuptiali, Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis pedibus & manibus eius,mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.

HO-

HOMILIA PRIMA, HÁbita anno 1537.

QVanquam minimè necessarium uideatur, ut hoc tempore peregrinus Euangelion uestræ charitati explicem, tamen quia nõ potui intermittere, quin uel semel peregrinationis meæ tempore uos inuisam, agite amicissimi tra ctabimus pericopen Euangelij secundum Matt. ca. 22. ne frustra conuenerimus, sed ut ea quæ sunt salutis nostræ peragamus. Atq; hæc Euangelij pericope ualde accommoda est ad recte instituendam tum fidem, tum uitam nostram, quo ueram salutem consequamur. Sunt enim multi qui sentiunt ad fœlicitatem satis esse, si quis recenseatur tantum in numero populi Dei, qualemcunq; uitam ducat, seu turpem seu honestam. Sunt alij qui sentiunt Deum culpam habere perditionis ipsorum, Dicunt enim. Si Deus uoluisset me meliorem, certè fecisset. Et cur non facit Deus me iustiorem cùm possit? Et cùm hoc Euangelium admoneat omnes ad piam uigilantiam & diligentiam bene agendi, arripiunt ipsi potius occasionem male agendi, quàm bene. Pauci, inquiunt, electi. Frustra igitur laboro. Si electus sum, seruabor, etiam male agens. Si non electus sum, peribo, etiam bene agens, uiuam

Hoc anno 37. Tubingæ fuerat.

ergo

ergo pro mea libidine. Hæ sunt cogitationes, quæ solent homines ab omni pietate, & fide deijcere. Quare Christus interponit se medium, & docet breui epiphonemate, quid rectè de his rebus sentiendum sit: Multi, inquiens, uocati, pauci uerò electi. Hoc epiphonemate primum docet, non sufficere ad salutem, ut quis uersetur inter pios, et communia habeat cum ipsis Sacramenta Dei, sed necessarium esse, ut postquàm ex uerbo Dei rectam fidem conceperimus, addamus etiam fructus fidei, & obedientiam uerbi, idq; explicat similitudine. In regno, inquit, cœlorum, hoc est, in negocio Euangelij, uel in ratione comparandæ salutis, perinde habet sese res ac in nuptijs regis cuiuspiam. Etenim rex quispiam despondet filio suo puellam, & inuitat omnes amicos, & subditos suos ad nuptias filij. Cùm uenisset nuptiarum tempus, emisit seruos qui uocarent inuitatos. Sed inuitati neglexerunt, cogitantes se ad huc tempestiuè uenturos, si post aliquot hebdomadas ueniant. Emisit ergo seruos suos secundò, qui urgerent inuitatos, & indicarent apparatum nuptiarum. Sed inuitati nec his moti sunt: Alij abierunt ad sua negocia, alij seruos contumelia affecerunt & occiderunt. Quid ergo factũ est? Hi etsi omnes fuerunt inuitati, & pertinuerunt ad nuptias iure amicitiæ, aut inuitatiõis, tamen quia neglexerunt tempus nuptiarum, & ad

Ad salutẽ quid necessarium sit.

diderunt

diderunt mala malis, in tantum non sunt consecuti commoda nuptiarum, ut etiam ciuitas ipsorum desolata sit. Deinde cũ nec amici, nec subditi uenissent, mittit rex ad exitus uiarũ, ad exteras nationes, & uocauit ad nuptias alienos. Hi magna copia uenerũt et discubuerũt. Sed inter hos inuentus est, qui nõ habuit uestem nuptialem. Eiectus ergo est in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium. Vides huic non suffecisse ad fructum nuptiarum, q̃ inter discumbentes sederit, sed quia non habuit uestem nuptialẽ, eiectus est. Hæc est parabola. Significatio autem eius manifesta est, uidelicet q̃ nõ sufficiat ad salutẽ, uerbum Dei in ore tantũ habere, & uersari in Ecclesia, atq; Sacramentis cõmunicare: sed requiritur etiam ut facias bonos fructus pœnitẽtiæ. Deus .n. desponsauit Christo filio suo Ecclesiã in uxorem, & ut hoc in toto orbe terrarũ diuulgaretur, instituit in paradiso cõiugium uiri & mulieris, et ordinauit ut uir relictis parẽtibus adhæreat uxori suæ, hoc est, ut possessiões uiri & mulieris inter se communes sint. Qua ordinatiõe uoluit orbi significare, quæ sint conditiones coniugij inter Christum & Ecclesiã. Paulus .n. ad Ephesios scribit, hoc Sacramentum in Christo & Ecclesia magnũ est. Nã possessio Christi est iusticia, sanctitas, & perpetua fœlicitas: possessio Ecclesiæ est peccatũ, mors & infernus. Recipit ergo Christus iure cõiugij in se dotẽ

uxoris

uxoris suæ: sed quia ipse est unigenitus filius Dei, ideo hæc in ipso cõstare non possunt, sed uincuntur ab eo & abolentur, & communicat uicißim uxori suas possessiones, uidelicet iusticiam, sanctitatẽ, & cælum. Hoc autem ideo nobis obseruandum est, Primùm, quia nõ est uulgarius genus uiuendi, quàm cõiugium, sentiamus coniugium esse domesticam concionem, qua admoneatur unusquisq; de fœlicitate sua quam habet in Christo, quia qui credunt in Christum sunt mẽbra Ecclesiæ. Deinde si qua calamitas incidit in cõiugio, bene speremus, quia Christus præsto adest et auxiliatur. Sed pergamus in explicatione parabolæ. Ad has ergo nuptias Christi, & Ecclesiæ inuitauit Deus Pater iam ab initio orbis cõditi omnes homines, in toto orbe terrarum, & præcipuè semen Abrahæ, et inuitauit omnes homines usque ad finem seculorum, nõ tantum ut intersint nuptijs tanquàm amici, sed ut fiant ipsi uxor filij sui. Quid autẽ factum est, aut quid fieri solet? Hora celebrandarũ nuptiarum est reuelatio uerbi Dei, sed cum hoc prædicatur, per q̃ inuitati uocantur ad nuptias, tunc alij cõtemnunt nuptias, existimantes se non indigere Christo. Alij curãt terrena. Alij etiam addunt flagicia: afficiunt Prophetas & Apostolos, & Ecclesias cõtumelia, & occidunt eos. Exemplum habes in Iudæis, & nostro tẽpore. Sed horum ciuitas deuastatur. Vides non sufficere inuitatum esse,

esse, nisi ad nuptias uenias, et uerbo Dei et uocatio ni eius obedias. Post Iudæos uocati sunt ad nuptias gentes, et impletæ sunt nuptiæ. Quia in omnem ter ram exiuit sonus eorum, et in fines orbis terræ uer ba eorum. Ingreditur ergo rex & inuenit hominem non habentem uestem nuptialem. Homo ille signifi cat magnam cateruam impiorum hominum, qui de Euangelio gloriantur, & nõ uiuunt Euãgelicè, sed ducunt turpissimam uitam in omnibus flagicijs. Hi etsi uersentur in nuptijs Euangelicis, nõ tamen fru untur eis, sed eijciuntur in exteriores tenebras. Ioã nes dicit: Non dicatis intra uos ipsos, Patrem habe mus Abraham. Dico enim uobis, q̃ possit Deus face re ut ex lapidibus his filij surgant Abrahamo. Iam uerò & securis ad radicẽ arborum posita est. Om= nis igitur arbor quæ non facit fructum bonum exci detur et in ignem mittetur. Nam Christus ait: Veni ad uocandum peccatores: ad quid? num ad peccan= dum? minimè, sed ad pœnitentiam, ut proferant bo nos fructus pœnitentiæ. Et Paulus ait: Posui nos tã quàm luminaria in mundo. Virtutes autem lucent, cùm interea uitia sint tenebrosa, & ducant ad per petuas tenebras. Similiter ad Romãos ait? Nox præ terijt, dies autem uenit, ambulemus autem cõposi= tè, sicut in die. Salomõ inquit, Melior est finis rei q̃ principium, Hoc est, non sufficit bene incipere, nisi etiam bene finias. Israelitæ ex Aegypto egrediẽtes

erant inuitati. Saul nõ fuit solum inuitatus ad nuptias, sed etiã in supremum penè locum nuptiarũ collocatus, quia factus est rex Israelis: sed qa impiè uixit, nõ profuit ei nec inuitatio, nec supremus locus. Hiere. 22. Si Iechonias fuerit annulus in digito meo, &c. Iudas fuit etiã inuitatus et in supremũ locum nuptiarum collocatus. Sed quia impiè uixit, miserè periit. Quare cùm nos omnes ad nuptias inuitati et indignum locum nuptiarum collocati simus, agite, habeamus etiam uestem nuptialem, ducamus honestã uitã, ut nuptijs perpetuò fruamur. Deinde sunt alij, q ex hoc Euangelio fiunt impudẽtiores, q̃ antea, et dicunt: Cũ pauci sint electi, quid multũ boni faciã? Si sum electus, nõ peribo, etiamsi male egero? Retũdit Christus & horum impudentiam in ista parabola. Nã electi hoc loco nõ dicuntur hi qui ab æterno per occultam, et nobis incõprehensibilem Dei prædestinationem ad fœlicitatẽ ordinati sunt: Quanq̃ enim talis sit quædam prædestinatio, tamẽ ea est nobis imperuestigabilis, et est mandatũ nobis, ne in ea perscrutãda occupemur: Dicit. n. Salomon, Qui est scrutator maiestatis, opprimetur ab ea: Sed hoc præcipitur nobis, ut occupemur in reuelata uoluntate Dei, & ad eã exigamus fidẽ, & uita nostrã. Quãtum igitur attinet ad reuelatã uoluntatem Dei, ibi certè nullus perit autore Deo, sed quisquis perit se ipso autore perit. Vide enim in hac parabola nũ

Electi qui dicantur.

quicquam

quicq̃ culpæ poßit Deo impingi. Deus parat nuptias inter Christũ & Eccleſiã, mactat altilia, offert nobis Christũ mactatũ, inuitat amicos, reuelat Euangelium, & bene paſcit eos. Sed ecce ipſi aut recuſant nuptias, aut faciunt nuptias contẽptibiles. Quare ſuo ipſorum malo pereũt. Oſeas ait: Perditio exte Iſrael, in me autẽ ſaluatio. Itẽ Paulus: Deus uult omnes homines ſaluos fieri. In Pſalmo: Deus nõ eſt uolens iniquitatẽ. Ergo non uult ut quiſquam pereat. Item: filius hominis nõ uenit ad perdendum, ſed ad ſaluandas animas. Item: Nolo mortẽ impij, ſed ut conuertatur & uiuat. Proponit omnibus uerbum ſuum, proponit cœlum, ſed nõ omnes agnoſcunt beneficia Dei. Quòd igitur pauci ſunt electi, non Dei culpa fit, ſed noſtra, qui ideo non ſumus electi, quia noſtra malicia recuſamus beneficia Dei. Si autẽ ea agnouerimus & uocationi Dei obedierimus, tunc ſi et ut multi electi ingrediamur in perpetuam fœlicitatem per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt Deus benedictus in ſecula, Amen.

ALTERA HOMILIA, QVAE DOcet Euangelium de nuptijs filij Regis eſſe compendium Chronicorum totius mundi in cauſa Religionis, habita anno 1542.

HOdiernum Euangelium facilè quidem commemoratu est, sed plura in se continet, quàm prima fronte præ se ferat. Nam si probè inspexeris, uidebis hanc pericopen esse epitomen, & compendium Chronicorum totius mundi, in causa religionis. Multa extant Chronica, in quibus longa uerborum ambage describitur, quid ab initio orbis terræ, & in præcipuis Monarchijs huius seculi gestum sit: ac ea quidem quæ tractant res prophanas, nihil hac quidem in parte ad nos. Quæ autem describunt sacram Religionem, ea maximè omnium nobis obseruanda sunt, quippe quòd non nisi per ueram religionem posßimus certam, & perpetuo constantem salutem consequi. Cùm igitur hodiernum Euangelium sit compendium, & ut uocant breuiarium eorum Chronicorum, quæ tradiderunt quid ab initio orbis terræ in causa religionis gestum sit, quidue etiam post hac, aliquatenus geretur, debet nobis esse commendatißimum. Accedit huc, quòd excitat etiam nos, ut non tantum externam speciem pietatis, sed ipsam ueram & synceram pietatem sectemur: Præterea defendit Dominum Deum nostrum à calumnijs impiorum, qui accusant Deum, q. cēdemnet homines iniustè. Quare cùm tanta sit hodierni Euangelij utilitas, digniß.mum erit, quod diligenter obseruetur. Diximus autem initio, q. sit epitome Chronicorum

corum totius mundi, in causa religionis. Hoc igitur ostendendum & cõprobandum erit. Simile, inquit, factum est regnum cælorum. Regnum cælorum est negocium ueræ religionis, quo et iusticiam & cælestem gloriam consequimur. Quid ergo in hoc negocio à principio huius mundi gestum est? Idem nimirum quod in Regijs nuptijs fieri solet. Nam cũ Rex quispiam iungit filium suum matrimonio, solet longe antè inuitare hospites, & præparare ipsis sumptuosa conuiuia, ut nuptiæ magna, tũ uoluptate tũ lætitia celebrentur. Sic & Dominus Deus noster instituit nuptias filio suo unigẽito, Domino nostro Iesu Christo, & iunxit ipsi connubio totam Ecclesiã. Conuiuium harum nuptiarum est uita æterna, regnum cæleste & perpetua fælicitas. Instituit autem has nuptias nõ tum primum, cùm Christus factus est homo, & misit Apostolos in orbem terræ ad prædicandum Euangelium, Sed instituit eas antequàm iacerentur fundamenta orbis terræ, priusquàm homo creatus esset. Paulus enim ad Ephesios scribens: Elegit nos, inquit, in ipso antequã iacerentur fundamẽta mundi. Has nuptias adumbrauit Deus cũ crearet mulierẽ ex costa Adæ, & dedisset ei ipsam in uxorem. Mysterium (inquit Paulus) hoc magnũ est. Connubium inter uirum, et mulierẽ, quod Deus ab initio ordinauit, est concio de nuptijs inter Christũ, & Ecclesiã suam. Quare non est sentiendũ, q̃ uerorũ

Chronicorum epitome.

Christianorum religio sit conferenda cum religionibus uel gentium, uel Sarracenorum, uel Turcarum, uel hypocritarum, tam inter Iudæos, q̃ inter Christianos. Hæ.n.religiões sunt ab humana ratiõe excogitatæ, et cõfictæ: nostra aũt religio de Christo ab æterno est cõstituta, & nobis diuinitus ab initio orbis terræ tradita. Quid ergo factum est postq̃ Deus pater instituit nuptias inter filium suũ, & Ecclesiã? Emisit seruos suos, ut uocarent hospites. Nã statim initio mundi emisit Adamum, Seth, Noã & alios Patriarchas, qui uocarẽt homines suæ ætatis ad has nuptias. Hîc uide mihi, ad quid Deus cõstituerit homines in terrã, & quid egerint Patriarchæ in familijs suis. Etenim hoc præcipuũ officium hominum inter se est, ut alter alterũ ad cœlestes nuptias inuitet. Non.n.sumus creati ad consumendas tãtum fruges, sed ad cognoscendum Christum sponsum Ecclesiæ, & ut præparemus nos ad accipiẽdum conuiuiũ cœlestium nuptiarũ. Atq; hoc fuit opus Patriarcharum, ut familias suas docerent de Christo, quem ipsi iuxta promissionem uocabant Semen mulieris, & contriturũ erat caput serpẽtis. In sacris literis pauciſsima de Patriarchis scribuntur. Sed in hodierno Euãgelio perspicuè significatur, quòd præcipua actio eorum fuerit, inuitare familiam suam ad nuptias Christi, & Ecclesiæ, hoc est, Docuerunt posteros suos ueram religionẽ de fide in Christum. Quid autem

Hominum officium præcipuũ.

Nuptiæ cœlestes.

autem factum est? Inuitati nolebant uenire. Pauciſsimi ueniebant. Maxima autem multitudo renuit uenire. Inuitauit & Noe. Cùm autem filij eius diuiderentur in totum orbem, pauciſsimi uenerunt, Reliqua tota multitudo noluit uenire. Hinc Gentes idolatræ. Inuitauit & Abrahã, Similiter Iſaac, & Iacob. Sed inuitati ab his noluerunt uenire. Habes nunc epitomen eius temporis, quod fuit ab orbe recens condito uſq; ad Moſen, & Prophetas. Quid ergo horum temporibus factũ eſt? Rurſus (inquit) emiſit alios ſeruos dicens, Dicite inuitatis, Ecce prãdium meum, &c. Hoc illud eſt tẽpus quod fuit à Moſe uſq; ad Chriſtum, & Apoſtolos eius. Poſt Moſen enim multò clarius prædicatum eſt à Prophetis de Chriſto, et Eccleſia, quàm temporibus Patriarcharum. Clariſsimè aũt omnium prædicatũ eſt de Chriſto, cùm iam ueniſſet in carnẽ, & adnunciaretur ab Apoſtolis. Atq; hoc eſt quod dicit: Prandium meum paratũ eſt, Altilia occiſa etc. Hæc eſt perſpicua prædicatio de Chriſto. Sed quid eſt ab inuitatis actũ? et quæ fuit ſors negocij cœleſtium nuptiarum? Hic duo ſunt hominum genera. Alij non curârunt, ſed ſua negocia egerunt: Abierunt (inquit) alius in uillam ſuam, alius ad negociationem ſuam. Quid ergo dicemus? Num impium eſt agere curam uillarum, & negociationis? Per ſe non eſt impium, Sed præ hac cura negligere cœleſtes nuptias, propter quas conſe-

quendas in hunc mundum ordinati sumus, hoc demũ impium, & pernicioſum eſt. Alij nõ ſolum neglexerunt imitationem, ſed ſeruos etiam contumelijs affectos occiderunt. Sic Eſaias, ſic Ieremias occiſi ſunt. Sic Chriſtus ipſe, ſic & Apoſtoli interfecti ſũt. Quare iratus Dominus perdidit homicidas illos, et ciuitatem illorum ſuccendit igni. Hoc uaticinatur Chriſtus de excidio Hieroſolymitano, quod et re ipſa impletum eſt, duce Veſpaſiano, & Tito filio eius. Habes epitomen eius temporis, quod fuit à Moſe, uſq; ad Chriſtũ, et Apoſtolos eius. Audiamus nunc, quid poſt hoc in negocio religionis geſtum ſit. Dominus ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui inuitati fuerant, non fuerunt digni. Serui congregauerunt õmnes, quotquot inuenerunt, malos pariter & bonos, & impletæ ſunt nnptiæ diſcumbentibus. Hoc eſt tẽpus illud, quo Apoſtoli miſſi in omnẽ orbẽ terrarũ, adnunciauerunt ubiq; Euangelium, ac congregauerunt Eccleſiam, tam ex Iudæis, quàm ex gẽtibus, tam ex honeſtis quàm inhoneſtis. In omnẽ enim terram exiuit ſonus eorum. Ac maxima hominum multitudo Chriſtum ita agnouerunt, ut in omnibus gentibus abrogata ſit externa gentium idolatria, & ſuſceptus Chriſtianiſmus: itaq; impletæ dicũtur nuptiæ diſcumbẽtibus. Sed quid? num omnes, qui Chriſtianum nomen geſtant, ſunt ueri Chriſtiani, & manẽt in cœleſtibus nuptijs? De hac re ſequi-

tur,

tur: ingressus Rex ut uideret discumbentes, &c. Homo non habens uestem nuptialem, non unus est homo, sed una maxima est hominum multitudo, qui suscipiunt baptismum, et cœnam Dominicam, ac audiunt conciones Euangelij, Sed interea nec uerè credunt in Christum, nec sectantur uirtutes Christianas. Vestis .n. nuptialis est Christus ipse, qui affert secum perfectam iusticiam. Vestis item nuptialis est ornatus Christianorum, uirtutes ex fide Christi. Hypocritæ confidentes suis iusticijs habent lacerã uestem. Similiter manifestè scelerati habent laceram uestẽ. Ebrietas, Blasphemia, Scortatio, inuidia sunt laceræ uestes. His abiectis induendæ sunt uestes nuptiales. Nam quòd dicitur obmutuit, & quòd eijcitur extra in tenebras, &c. descriptio est diuini iudicij. Nã qui non affert secum Christum ad iudicium Dei, is accusatus, non potest se defendere, sed desperat. Quare perpetuis infœlicitatibus obijcitur. Postremò additur, Multi uocati, pauci electi. Hoc dictum initiò excusat Deum quòd nullum iniustè damnet, quia omnes uocauit, sed nõ omnes accipiũt, & sectantur uocationem. Deinde non est in hunc usum ordinatum, ut excitet disputationes de occulta Dei prædestinatione: quia omnes credẽtes in Christum sunt electi & prædestinati: nec opus est de ea re curiosius disputare. Sed ordinatũ est, primùm, aduersus neglectores cœlestiũ nuptiarum, uidelicet quòd

admoneantur, quòd etsi sunt uocati, non tamen sufficiat uocatio, sed requiratur, ut abijciãt neglectionem suam, & curam habeant uocationis. Deinde dictum est aduersus persecutores, ut etsi habent titulum Ecclesiæ & sunt uocati, tamen non sufficit, sed necesse habent ex persecutoribus fieri confessores, adiutores ac etiam martyres, ut uocant. Postea dictũ est aduersus hypocritas, qui etsi sunt uocati, tamen nõ sufficit, sed necesse habent abijcere hypocrisin, & fiduciam in opera &c. Postremò dictum est aduersus publicè scelcratos et impœnitẽtes, qui etsi sunt uocati, tamẽ necesse habent scelera abijcere et ambulare in uocatione Dei. Itaq; hoc Euangelion est epitome Chronicorum in causa religionis, & excitat nos ut uocationem ad cœlestes nuptias diligenter sectemur in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus laudandus in secula seculorum, Amen.

DOMINICA XXI. POST TRInitatis, Euangelium Ioan. 4.

ET erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum. Hic cũ audisset, quod Iesus aduenire

à Iudæa



à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet & sanaret filium eius: incipiebat.n.mori. Dixit ergo Iesus ad eum, Nisi signa et prodigia uideritis, non creditis. Dixit ad eum regulus: Domine descende, priusquam moriatur filius meus. Dixit ei Iesus: Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autẽ eo descendente, serui occurre-

currerunt ei, et nunciauerunt dicẽtes, quòd filius eius uiueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerat. Et dixerunt ei, Heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo Pater, quòd illa hora erat, in qua dixit Iesus: filius tuus uiuit. Et credidit ipse & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus cum ueniſſet à Iudæa in Galilæam.

HOMILIA PRIMA, DE CONseruando iure hæreditatis cœlestis regni & perpetuæ nostræ fœlicitatis.

MIRACVLVM *quod in hodierno Euangelio recitatur, illustre est ac insigne, & utile non solum ad publicam confirmationem ueritatis Euangelij Christi, sed etiam ad priuatam fidei cõseruationem in pugna spirituali. Adoptauit .n. nos Dominus Deus noster in Baptismo in filios suos per Iesum Christum, & dedit nobis ius hæredita-*

hæreditatis regni cœlestis, & perpetuæ fœlicitatis: hoc ius quia longe omnium excellentissimũ bonum est, multos habet spirituales aduersarios. Ac quẽadmodum in rebus ciuilibus magna est inter finitimos contentio de iure fundorum, et limitum, ac multo labore opus est, ut ius tuum ab aduersarijs tuearis, & conserues: ita in rebus spiritualibus continuum nobis bellum gerendum est ut conseruemus ius nostrum ad regnum cœleste, quod nobis in baptismo traditum est. Non necesse quidem est ad hoc ius tuendum externa bella gerere, de qnib. nunc nihil opus est dicere, sed belligerandum est spiritualiter. Non est nobis lucta (inquit Paulus) aduersus sanguinem, & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum. Quare cùm historia hodierni miraculi, de sanato filio Reguli sit nobis utilis, in spirituali pugna, ad tuendum ius nostrum, quod habemus in Christo Iesu, de cœlesti regno, bonam operam nauabimus, si eam diligenter tractauerimus. Res autem, ut gesta est, ita sese habet. Regius quispiam uir Capernaita, cùm audisset Iesum è Iudæa in Galilæam rediisse, et filius eius ageret iam animam, festinat ad Iesum, & rogat ipsum ut properè ad Capernaum ueniat, et filiũ ipsi us à morte conseruet. Hunc igitur uirum primùm omnium cõsiderabimus. Nihil nunc de externa eius dignita-

dignitate tractabitur, sed de uirtute animi, qualem uidelicet fidem habuerit. Nũ ergo quia rogat Iesum pro filij sanitate, uerã habet fidẽ in Christum? Non est quidem dubium quin postea rectam fidem, et cognitionem Christi, cum tota familia consecutus sit. Sed nunc de huius negocij principio loquimur. Rogat quidem Christum, ut sanet filium, sed fides eius adhuc ualde imbecillis est, quia nõ credit Christum posse etiam absentẽ filium in sanitate conseruare, aut etiam mortuum excitare. Nam hanc fidei imbecillitatem significat Euangelista, cùm ait: Rogabat eum ut descenderet, & sanaret filiũ suum. Et Christus ipse perspicuè tẽstatur dicens: Nisi uideritis signa & prodigia, non creditis. Audis fidem eius tam infirmam, ut propemodum ab incredulitate nihil differat. Quid ergo ad hæc Christus? quomodo gerit se erga Regulum? num satisfacit uoto eius? Vide clementiam & mansuetudinem Christi. Nã in tantum non abijcit Regulum, ut multo plus ei præstet quàm ipse postulauerit. Vade, inquit, filius tuus uiuit. Vide etiam stupendam eius maiestatẽ, & potentiam. Quod enim dicit, non est euanidum uerbum, sed continuo eadem hora sanatus est puer. Obseruabile exemplum, quo agnoscere licet admirabilem clementiam, et maiestatem Christi, & quo in spirituali pugna salutem nostram per spiritum sanctũ cõseruare possumus. Prædicatur enim nobis ex

Euan-

Euangelio, q̃ habeamus ius cœlestis regni, non propter merita operum nostrorum, sed propter Iesum Christum, si crediderimus in ipsum. Satan autem aduersarius noster, circuit ueluti leo rugiens, quærẽs quem deuoret. Is inuidet nobis tam præclarum ius quod ipse amisit. Quare omnem mouet lapidem, ut nos de hoc iure deiiciat, ac init nobiscum spirituale pugnam, ut nos ab hoc deiectos iure, in seruitutẽ et damnationem perpetuã abducat. Assumit enim hoc quod ex Euangelio prædicatur de fide, et in hanc ferè sententiam cum Conscientia nostra loquitur. Obieci, inquiens, tibi tua peccata, & tuam iusticiã, ac ostendi tibi, q̃ nõ debeas habere ius regni cœlestis, propter pctã, quia peccatis debetur infernus: nec propter iusticiã, quia iusticia tua est impura, et imperfecta. Tu uero refutasti hanc meã obiectionem, per Christum tuum, & dixisti: Te fateri quidẽ peccata tua & impuritatem iusticiæ tuæ, sed Christũ expiasse peccata, et donasse tibi suam iusticiã, quæ perfecta est, ex qua etiã, et propter quã reputeris iustus, si credideris in ipsum. Hæc tua, inquit Satã, refutatio est. Sed age tuo te gladio iugulabo. Dicis tereputari iustum per fidẽ, En autẽ perspicuũ est, fidem tuam aut nullã esse, aut admodum infirmam, atq; imbecillem. Nã si esset firma & perfecta fides, tunc nõ tam grauiter afflictionẽ & mortem ipsam acciperes. Sãcti Prophetæ, et Apostoli pertulerũt

mortem

mortẽ magna etiã alacritate. Et sectati sunt in hac terra spiritus sancti uocationẽ. Tu nihil horum sentis intra te. Quare fides tua, aut nulla est, aut imbecillis. Quãtum aũt deest fidei, tantum tibi deest de Christo, et iusticia eius. Et cũ Deus nõ respiciat, nec remuneret imperfectã operum iusticiã æterna beatitudine, certè non remunerabit etiam imperfectã & imbecillem fidẽ. Quare quocunq; te uertas, siue ad iusticiam operum tuorum, siue ad fidẽ, nihil ad te ius cœlestis hæreditatis, sed dãnatus es. Hæc sunt ignita iacula Satanæ. Sed exemplum hodierni Euãgelij efficere potest, ut hæc iacula retundamus, & extinguamus. Ac fatendum quidẽ est quòd fides nostra sit imbecillis, cognoscendum autẽ est, quòd Deus reputet nos iustos, per fidem, nõ propter fidem, sed propter Christũ, qui fide accipitur, alioqui nũquàm uerè iustificaremur, quia nũquàm in hac uita ita perfectè credimus ut debemus. Quare reputamur iusti tantum propter Christum & nõ propter fidem. Quemadmodum enim mendicus accipit numum per extensionẽ manus, nõ autem propter manus extensionem, sed propter clementiam eleemosynarij. Ita nos accipimus iusticiã per fidem, non aũt propter fidem sed propter Christũ. Deinde, & si fides sit imperfecta, & imbecillis, tamẽ homo nõ reijcitur à Christo propter imbecillitatẽ fidei, quia accipitur Christus etiã per imbecillem fidem. Nõ approbatur

batur quidē, nec laudatur imbecillitas, sed tamē homo habens imbecillem fidē, nō abȳcitur à Christo, sed potius fouetur et cōseruatur. Scriptum enim est de Christo: Calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet. Et iterū: spiritus Domini super me, ad cōsolandum afflictos misit me. Exemplum habes in hodierno Euangelio. Fides Reguli erat imbecillis, et penè nulla, & Christus nō approbat quidem eam, nec excusat, attamen nō abȳcit hominē, sed potius benefacit ei. Exemplum itē habes in Thoma, in Petro aliquoties, ad quē dicitur: modicæ fidei, cur dubitasti? Matth. 14. Et ille apud Marcū cap. 9. Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Quare sentiamus imbecillitatē quidem fidei nō esse cōmendatione per se dignam, attamen hominem imbecillitate fidei præditum nō cōtemni à Christo, & Christum etiā per infirmā fidem recipi, ut fides subinde crescat, & augeatur. Sed pergamus ad reliqua huius historiæ. Christus reprehendit infirmam fidē Reguli. Sed Regulus præ natura incredulitatis aut imbecillitatis fidei festinat. Cito, cito (inquiēs) descēde priusq; moriatur filius meus. Christus autem non descēdit, nec mirabiliter & ex improuiso proponit Regulo puerū sanatum ante præsentē conspectum eius, Sed iubet eum abire, et promittit uerbo suo sanitatē filij. Interea pater necesse habet in itinere exerceri in fide uerbi huius, ut planè nihil habeat q̄

Imbe cillis.

polliceatur ipsi filij sanitatẽ, præter uerbum Christi, Reliqua oĩa erant aduersa. Reliquerat domi animã agentẽ, Christus noluit cum ipso descendere, Nõ uidet filium præsentem. Hæc erãt aduersa promissioni, & tamẽ promissio fuit uerissima, quemadmodum Regulus paulò post reipsa cõperit. Hoc exemplo perspicuè declarat Christus, quõ Deus Pater soleat gerere se erga quemuis pctõrem. Non.n. solet statim in precationibus exauditionẽ ad sensum reuelare, sed iubet nos pergere in uocatiõe nostra, & promittit nobis exauditionẽ uerbo, reliqua oĩa finit aduersa accidere, donec suum aduenerit tempus: Negociatur quispiam mercimonijs, et precatur bonum euentum à Deo, Hinc Deus dicit, uade negociare iustè, Res tibi succedet. Et tamen oĩa uidentur interea aduersa. Merces pereunt, pecunia abripitur, paupertas obuenit, sed pergendũ est et confidendũ uerbo Domini. Tunc.n. suo tẽpore occurrent serui, q adnunciabunt filiũ saluũ esse. Alius precatur, ut seruetur in morte. Audit igitur: Vade, seruaberis per Christũ. Et tamẽ oĩa sunt contraria, Sensus mortis, putrefactio, & alia: Sed respiciendũ est in promissionẽ, et in Christum, nõ in præsentẽ rerũ sensum. Sic.n. continget nobis suo tẽpore etiã rerum speratarum sensus. Interea temporis debemus esse uerbo Domini cõtẽti. Cæterùm cùm Regulus domũ ueniisset, et comperisset filium eadem hora sanatũ,

quã

qua dictum erat, Filius tuus uiuit, cõfirmatus est in fide, nõ solum per se, sed etiã tota familia eius credidit in Christum, et facta est domus eius uera Dei Ecclesia. Hic manifestè ponitur causa cur Christus hoc miraculũ, & id genus alia ediderit, uidelicet, nõ ut in Ecclesia permaneret donum sanãdi infirmos mirabiliter, sed ut in Ecclesia prædicaretur, & pmaneret fides in Christũ. Et uide, Regulus ac tota domus eius credunt in Christũ, et fiunt sectatores Dei ad unũ tãtum miraculum. Quid nobis fiet, qui ne infinitis quidẽ miraculis, quæ nobis quotidie è sacra Scriptura recitantur cõmouemur ad sectandã uocationẽ Dei? Certè domus Reguli erit iudex noster. Quare si noluerimus perire, expergiscamur & capessamus Euãgelium Christi, ut in fide confirmati uocationem Dei sectemur, & salutem ueram consequamur in Christo Iesu Domino nostro, Amen.

ALIA HOMILIA.

IN hodierno Euangelio continetur magnum, & illustre miraculum. Et quanquàm uideatur esse simplex miraculi narratio, tamen si probè inspexerimus, docet nos tã rectè credere, quàm recta facere. Docet item nos tam piè uiuere, quàm piè mori. Qua doctrina, & qua scientia nihil potest nobis in hoc mundo excellentius contingere. Quare hoc Euangelion debet nobis esse commen-

datißimum. Erat (inquit) quidam Regius (siue minister siue officialis regis) Huius filius infirmabatur Capernaum, ita ut propemodum animã ageret. Cũ ergo Regius accepißet fama aduẽtum Ieſu ad Galilæã, abijt rogaturus pro filij ſui incolumitate. Optimè facit Regius, q̃ uel tandẽ quærit auxiliũ à Chriſto, ſed non quærit Chriſtum niſi extrema neceßitate compulſus: uidetur aut ſocordia, aut incredulitas eſſe. Eſt autem hic Regius exemplum eorum, qui nõ quærunt diuinũ auxilium per reſipiſcentiã, niſi cũ ad extremam uel ſenectutẽ, uel infirmitatẽ peruenerint. Fuerũt quondã adulti Catechumeni, qui ut liceret ipſis pro ſua libidine uiuere, non ſuſcipiebant baptiſmum, hoc eſt, nõ profitebantur pœnitentiam & Chriſtianiſmũ, niſi in lecto extremo ſuæ infirmi
κλινικοί. tatis. Hos uocabãt κλινικοὺς. His nõ diſſimiles ſunt, qui noſtro tempore nunq̃ ferè ſumunt Cœnã Dominicam, niſi dũ nouißima ſuſpiria trahere uidentur. Quo argumento palàm ſignificant, ſe dũ adhuc ſani ſunt, non habere ullã reſipiſcentiæ, et ſalutis ſuæ curã. Neceßitas aũt exigit, ut tempus reſipiſcentiæ nõ differamus uſq; ad ultimũ ſuſpirium, ſed ut ſtatim ad diuinã monitionem reſipiſcamus. Nã poſtq̃ peccatum introijt in hunc mundũ, introijt etiã cum peccato mors. Itaq; neceſſe eſt, ut oẽs homines moriãtur, id q̃ maiorũ noſtrorũ exẽpla teſtãtur. Quare cũ nobis ſit moriendũ, neceßitas exigit, ut præpa

remus

remus nos ad mortem per resipiscentiã. Tolerabile fortaßis esset pro sua libidine uitã ducere, et ignauiam sectari, si nõ esset alia uita post hanc uitã, & si posset aliqua prærogatiua impetrari, ut non esset moriendũ. Nũc aũt nihil certius est, q̃ reliquã adhuc esse uitã post hãc uitã, nec ullo pacto fieri potest, ut mors non grassetur in hoies. Fieri quidẽ põt in Christo, ut mors illa corporalis non sit uera mors. Qui credit in me, etiãsi mortuus fuerit uiuet. Et: si quis sermonẽ meũ seruabit, mortẽ nõ uidebit in æternũ. Fieri aũt non põt, ut paciscamur cum corporali illa morte, quo minus adueniat. Nullus unq̃ fuit tam potẽs Monarcha, qui potuerit abrogare in sua ditione hanc consuetudinẽ, ut hoies non morerẽtur. Aliæ cõ suetudines potuerunt omnes ferè abrogari. Carthaginensiũ solẽnis cõsuetudo fuit sacrificare humanas hostias. Sed hæc cõsuetudo abrogata est. Indorũ consuetudo fuit humanis corporib. uesci. Sed & hæc cõsuetudo euanuit. Scytharum consuetudo fuit, ut quẽ primum hostẽ ceperit Scytha, eius sanguinẽ potet, et è pelle eius faciat mãtile. Itaq; quo quis plura mãtilia habuerit, eo præstãtior uir iudicabatur: potuit & hæc consuetudo aboleri. Consuetudinem aũt moriẽdi nullus unquàm Monarcha abolere & abrogare potuit. Quare necesse habemus nos ad sufferẽdã mortẽ in tẽpore præparare. Accedit huc, q̃ ut certissima est mors, ita nihil incertius hora et modo mor

Consuetudines uariæ.

tis. Alius intercipitur repẽtina morte. Alius suffocatur ex improuiso in aqua. Alius perit præter expectationẽ in igne. Alius ex alto cadit et moritur. Breuiter incertißimũ est tẽpus et modus mortis. Quare et hoc excitare nos debet ne oportunitatẽ resipiscẽdi negligamus. Præterea, etsi conceditur alicui uel diu uiuere, uel diu ante mortẽ ægrotare, tamẽsi differret resipiscẽtiã suã usq; ad ultimã suspiriã, uel senectutẽ, uel infirmitatẽ, nõ est certus nũ eo tpe possit pro sua uoluntate resipiscere. Certũ quidẽ est q; Deus recipiat pœnitentẽ quocunq; tpe uenerit, tã deoq; proposuit latronẽ in cruce, exemplo eorũ, q; ſerò pœnitẽt. Huc etiã facit hodiernus Regius, qui quærit auxiliũ Christi, necessitate cõpulsus, et inuenit. Nõ est aũt certum, nũ si ab ineunte ætate contẽ pœnitentiã adspirare. Grauißimum est q; apud Zacchariã cap. 7. dicitur: Factum est (inquit Dominus) sicut locutus sum, & nõ audierunt, Sic clamabunt, & nõ exaudiã. Quare pœnitentia nõ est differenda usq; ad extremum suspirium. Facite (inquit Ioãnes) dignos fructus pœnitentiæ: iã enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis igitur arbor, quæ nõ facit fructum bonũ, exciditur, et in ignem mittitur. Sicut autem hortulani multos faciunt ictus excindẽdo arbores: ita et spiritualis hortulanus suos habet ictus donec arbor cadat. Hortulanus facit unũ ictũ, cum

Pœnitentiæ dilatio perniciosa.

cùm immittitur nobis tolerabilis quædã infirmitas in corpore. Facit alium ictũ, cùm fiunt nobis crines cani. Facit item alium ictum, cùm breuis fit somnus, cùm excidunt dentes, cùm cibus fit insipidus. Ad singulos ictus præparare nos debemus ad pœnitentiã. Singuli ictus debent esse admonitiones nostræ. Nam q̃ hortulanus non statim deiecit arborem uno ictu, quemadmodũ posset, id nostra causa facit. Vide parabolam Lucæ 13. de arbore fici. Expectat enim Deus resipiscentiã, ut salutem cõsequamur. Quare omnis dilatio in hoc negocio periculosa, & perniciosa est. Sed quomodo debemus suscipere pœnitentiã seu resipiscentiã? Etsi non instituam nunc cõcionem de pœnitentia, de qua aliàs copiosè diximus, tamen cõmemorabimus de ea, quãtũ nobis materiæ exhibet exemplum hodierni Euãgelij. Regius. n. uel tandem excitatus necessitate postq̃ agnouisset magnitudinem infirmitatis pueri sui, Primùm suscipit iter, et accedit ad Christum, et implorat auxilium eius. Deinde etsi non mox uidetur impetrare auxilium, sed potius uidetur pati repulsam: Nisi (inquit Christus) signa & prodigia uideritis, non creditis. Hoc certè est accusare incredulitatis, ac penè reijcere, attamen Regius non cessat, sed instat & urget. Deinde cùm audit à Christo: Filius tuus uiuit, & si sciebat puerum animam agere, et uiderat domi omnia contraria, tamen cõtentus est solo uerbo Christi, cui et

fidem adhibet, & domum redit, & cõperit rem ita habere, ut Christus dixerat. Postremo credit ipse cũ tota familia sua in Christũ. Hoc exẽplũ in nostri doctrinã scriptum est. Primum.n. postq̃ agnouimus magnitudinẽ peccatorũ & periculorum, in quibus uersamur, suscipiendũ est iter ad Iesum Christũ Dominum nostrum. Nõ est aũt necessariũ, ut curramus trans mare, aut cõscendamus in cœlum ad inuenien dum Christũ, sed iuxta nos est Christus in Verbo et Euãgelio suo. Accedendum igitur eò est, ubi Euãgeliõ Christi adnunciatur. Quid aũt inuenimus in Euãgelio Christi? Id nimirum q, Regius apud Christum, Christus nõ proficiscitur cũ ipso ad domum, nec mirabiliter efficit, ut puer infirmus corã appareat sanus factus, sed tantũ proïcit ei (ut ita dicã) nnũ aut alterũ uerbulũ: Filius tuus uiuit, & tamẽ Regius sciebat se puerum reliquisse domi aïam agentẽ. Idẽ nobis accidere solet. Cum.n. grauati sumus, uel peccatis, uel morbis, uel alijs aduersis, & accedimus ad audiendũ Euãgelium Christi, tũc proponũtur nobis nuda uerba. Alius.n. affligitur iudicio pctõrum, Et audit quidẽ in Euãgelio: Tibi remissa sunt pctã, attamẽ sentit adhuc peccatũ in carne et sanguine. Alius affligitur morbo, Et audit quidẽ in Euangelio: Christus cõsecrauit morbũ in benedictionẽ, Sentit tamẽ adhuc dolorẽ. Alius affligitur paupertate, & audit quidem paupertatem esse sanctificatã à Christo, sed

adhuc

adhuc sentit onus paupertatis. Alius affligitur horrore mortis, et audit quidem: Christus mortē uicit, Et: Qui in me credit, nō morietur in æternum. Hoc autem uidetur esse nudum uerbum, quia sentit mortē uerè appropinquare. Itaq; q̄ ad hanc pertinet, uides similia inter nos, et Regium accidere. Deinde Regius accepto nudo tantū uerbo redit ad domum, & reipsa comperit, se uoti sui cōpotem factum. Hoc exemplum Regij diligenter est imitandum. Cùm.n. audiuerimus Euangelion Christi, tunc debemus redire pleni fide ad domū, hoc est, debemus in uocatione nostra, & obedientia Dei ambulare, certi de ueritate promissionis Dei. Etsi.n. nunc nō sentimus reipsa quod promissum est, tamē cum domum ueneri mus comperiemus. Domus nostra nō est hæc corporalis uita, sed est tantū peregrinatio. Domus nostra nō est sepulchrum, sed est tantum dormitorium seu hospitium ad tempus. Domus autem nostra est uita æterna, uita futuri seculi, In ea domo reipsa cōperiemus, q̄ nunc fide tantum & nudo uerbo accipimus: interea tēporis, sicut Regio occurrunt serui, & adnunciāt ei pueri sanitatem, quam tamen ipse nondum uidet, ita & nobis occurrunt Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli, qui certificāt nos de ueritate Euāgelij Christi. Quare debemus nos in hac peregrinatiōe rectè et obedienter gerere. Postremo Regius credit in Christum cum tota familia sua. Exem

Patris familias boni exemplum.

plum boni patris familias. A patre familias pẽdet familia. Princeps est pater familias suæ regionis, Senatus est pater familias ciuitatis. Vnusquisq; priuatus ciuis est pater familias suæ domus. Itaq; si princeps fuerit impius, si alicubi in senatu alius sit impius, alius neglector religionis, alius amphibolus, alius ebriosus, alius impostor, alius blasphemus, alius adulter: Si & priuatus pater familias fuerit percussor, contumeliosus, ebrius, cõuiciator, quid familia boni disceret? Proponitur ergo nobis hodiernus Regius in exemplum, ut in necessitatibus nostris ad Christum confugiamus, Euangelio eius fidem adhibeamus, unusquisq; familiam suã ad fidem in Christum adducat, certa fiducia concepta, quòd quæ nunc nobis nudo uerbo promittuntur, rebus ipsis consecuturi simus suo tempore, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

DOMINICA XXII. POST TRInitatis, Euangelium Matth. 18.

IDeo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis: Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est



est ei unus, qui debebat ei decem millia talentorum. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum Dominus eius uenundari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

Egres

Egressus autem seruus ille, inuenit unum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios. Et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt ualdè, & uenerunt, & narrauerunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc uocauit illum dominus suus, et ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri cõserui tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet ei uniuersum debitum. Sic & Pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis, unusquisq; fratri suo de cordibus uestris.

HOM.

HOMILIA PRIMA, DE MVtua delictorum Condonatione, habita anno 1534.

HActenus propositæ fuerunt nobis aliquot Euangeliorum pericopæ, in quibus eruditur de fide erga Deum, et Filium eius Christum. Nunc proponitur nobis pericopa, in qua instituimur de Charitate erga proximum. Nam cùm de fide loquimur, non intelligimus uanam, & inanem quandam cordis cogitationem, sed eiusmodi fiduciam, quæ natura sua est efficax per Charitatem. Et Paulus 1. Timoth. 1. dicit: finis præcepti est charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata. Et Christus ait: Hoc est præceptum meum ut diligatis inuicem, sicut ego dilexi uos. Quare non tantum fides, uerumetiam charitas in Ecclesia docenda, & urgenda est. Sed quia Charitas latißimè patet, ac in multas partes diducitur, nec possunt omnes simul explicari, Quia charitas nunquàm est ociosa, sed palàm per opera erumpit, non aliter, atq; Sol radios suos abs se effundens: Ideo Christus nunc unam tantum partem eius tractat, quæ est condonatio mutuorum inter nos delictorum. Et exhortatur nos similitudine Regis, & seruorum, qui non erant soluendo, ut nobis inuicem

Delictorum mutua condonatio.

inuicem condonemus delicta ex animo. Hæc similitudo uidetur admodum simplex, & exposita, sed continet egregias, & efficaces rationes, quibus ad mutuam delictorum condonationem inuitamur. Primùm enim confert Christus inter se peccata in Deum & peccata in hominem conseruum designata. Ac illa quidem comparat debito decem millium talentorum, hæc autem centum tantum groſsis. Deus autem remittit credenti in Christum, & deprecanti per Christum debita decem millium talentorum, quanto magis nos homines debemus nostra mutua delicta nobis inuicem remittere, quæ ad peccata nobis coram Deo remissa, uix sunt centum groſsi. Cæterum hoc opus hic labor est, ut de peccatis à nobis contra Deum commisſis rectè iudicemus? solemus enim natura in his, quæ nos malè agimus nobis ipsis blandiri, aliorum autem in nos peccata in immensum exaggerare. Et ut Christus dicit: aliorum festucæ uidentur nobis maxima moles, cùm interea nostræ trabes non reputentur à nobis pro festucis. Discamus igitur de peccatis iudicare & sentire, non quod humanæ rationi per peccatum obscuratæ placet, sed quod Lex Dei docet. Hæc enim testatur, q. quæ nobis minima apparent peccata, ea coram Deo tã maxima sint, ut mereantur non solum corporalem, uerumetiam spiritualem, et æternam maledictionem, Exempli gratia. Quid leuius reputa-

tur

tur, q̃ esus pomi? At hoc peccato Adã nõ meruit tã tum infernum, sed coniecit etiã secum totum huma num genus in infernum. Quid uanius iudicatur con cupiscentia cordis, aut incredulitate cordis in affli ctione? At de hoc aliỹsq; id genus peccatis scriptum est: Maledictus omnis qui nõ permanet in uerbis hu ius Legis. Iã non solum è grauitate pœnæ, sed etiã è precio eius rei, quo peccata coram Deo persoluta sunt, iudicare de peccatis debemus. Deus.n. non uo luit placari pro peccatis uel sanguine hircorũ, uel sanguine etiã sanctorum, Patriarcharum. Non uolu it placari uel pecunia, uel gemmis, sed tantum san guine unigeniti Filỹ sui. Si aũt pccatorũ tantũ est, ut non potuerit expiari, nisi morte filỹ Dei, q̃s non iu dicaret pctã in Deum cõmissa, longe omnium gra uissima esse? Et tamẽ hæc remittuntur propter Chri stum per fidẽ. Vide ergo quàm turpe nobis sit, cùm nobis à Deo maxima pctã sint remissa, nos autẽ ne minima quidẽ proximis nostris remittamus? Dein de si quẽ non mouet beneficium Dei ad condonãda errata proximi, moueat saltem grauitas delicti, q̃ crudelis designat, non tantum in unum conseruum, sed etiam in totam familiam. Sicut enim in hac simi litudine crudelis seruus contristat nõ hunc tãtum, quem crudeliter tractat, sed etiam omnes alios con seruos, & impellit eos ut accusent crudelitatẽ serui corã domino. Ita in Ecclesia qui fratrẽ suum proxi

mum

mum inhumaniter tractat, nõ tantũ peccat in unũ, sed onerat se omnium uicinorũ odio et indignitate, adeoq; adsciscit in caput sibi suum publica cõuicia. Etsi autem omne conuicium et uirulentia prohibita sint inter Christiãos, publica tamen illa cõuicia crudelitate alicuius extorta nõ sunt uana, sed penetrãt nubes & cœlũ. Audi testimonia scripturæ. Deut. 15. Aperies pauperi manum tuã &c. ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatũ etc. Peccat autem pauper qui conuicia iaculatur in diuitẽ negatorem, nihilominus tamen illa conuicia penetrãt ad Deum contra diuitem. Item Deut. 24. Non negabis mercedem mercenario, ne clamet ecõtra te, & fiat tibi in peccatum. Iterum peccat conuiciator, at tamen ea conuicia sunt efficacia coram Deo. Iudi. 9 Abimelech crudeliter interficit fratres suos, & ex eo publicum odium meritus est, Ceperunt. n. habitatores Sichem eum detestari. Quanquàm aũt cõuiciatores peccabãt, & puniebantur, tamẽ & hõc odium et hæc conuicia tantum ualuerunt, ut postrema opressérint Abimelech. Adeoq; Christus in hac parabola significantißimè expreßit quãtum ualeãt publica maledicta. Conserui enim dolentes, et accusantes crudelitatem serui tantum impetrant, ut dominus crudelem seruum reuocet in carcerẽ, qua re significare uoluit Christus, publica cõuicia crudelitate alicuius extorta, esse efficacißima. Adhæc, si quẽ

nec

nec hoc reuocat ad condonationē delicti, absterrea tur saltē à cupiditate uindictæ magnitudine suppli cij. Sicut enim in hac parabola crudelis seruus reuo catur, & conijcitur in carcerem, ut soluat quod pri us ei remissum erat: Ita qui corā Deo per Christum cōsecutus est remissionē peccatorum, et postea cru delis est in fratrem suum, nec condonat ei delicta, is destituitur remissione suorum peccatorum, et conij citur in perpetuum carcerem. Nec mirum. Nā qui reseruat iram et non condonat proximo delicta, is corā Deo homicida est. Qui odit fratrem suum (in= quit Ioannes) homicida est. Homicidæ autē Regnum Dei non habebunt. Et Matth. 5. Qui irascitur fratri suo, obnoxius est iudicio. Ac iustè quidem contingit æterna Maledictio, ei qui non condonauit proximo suo delicta. Accidit enim ei id quod in omnibus ora tionibus petit. Nā in oratione dominica dicimus: Re mitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Iā explica mihi hanc orationē, & uidebis quàm atrocia sibi supplicia imprecetur, qui malè uult proximo. Remitte (inquit) debita no= stra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris. At ego opto, ut aduersarius meus frāgat crus, ergo pre cor ut Deus et mihi immittat cruris fractionem. Ita opto, ut aduersarius frangat collum casu quodā. Er go, ut idem mihi contingat, precor. Item opto ut Sa tan auferat in infernū aduersarium meū: ideo rogo

ut idē Satan etiā me abducat in infernum. Ecce hæc est precatio eius, qui reseruat iram, et nō condonat proximo delicta sua. Miramur quòd tā leuiter crura frangamus. At mirandum est, quòd adhuc habeamus tot integra mēbra. Optamus .n. ut omnis generis afflictiones Deus nobis immittat. Quid autē horribilius, qd crudelius, quàm in se ipsum ita sæuire, ut diris te deuoueas? Non igitur (inquies) orabo amplius orationē dominicam, donec me uindicauero? At hoc iterum est scelus addere sceleri. Nam qui in afflictionibus non precatur Dominum, non inuocat Dominum, is nō minus peccat quàm qui alterum occidit, aut furatur. Qui .n. præcepit non esse occidendum, is etiam præcepit nomen Domini honorādum et (in afflictione præsertim) inuocandū. Quare quocunq; te uerteris, nihil cōsultius est, quàm ut condones proximo delicta. Aut .n. si oras, tunc contra te ipsum oras. Aut si nō oras, tunc nouū designas peccatum, & auges prius flagitium: utrobiq; periculū. Ergo delicta cōdonāda sunt proximo. Sed obijcias, si hoc præceptum ita rigidè obseruādum esset, tunc turbaretur publicus status reipublicæ. Neq; .n. magistratui liceret punire sontes, neq; liceret patrisfamilias animaduertere in pctā familiæ. Non liceret priuatis hominibus de contumelijs à proximo illatis coram magistratu conqueri. Quòd si hoc nō licebit, quid sequitur, nisi omniū artificiorū dissipatio? Habent

bent.n.artifices monuarij hunc morem,ut si quis alterum contumelia afficiat,interdicāt artificio,ei q̄ contumelia affectus est, donec se legitimè purgauerit,Quid ad hæc dicemus.Hîc definiendū est,qd sit remittere proximo delicta sua,Hoc.n. non est intermittere legitimum suum officium,et uocationē,nec est iniuriarum omnino obliuiſci,hoc.n.est impoßibile,ut nō memineris, quid tibi mali acciderit,sed est iniuriā ita obliuiſci,aut ita negligere,ut non uelis li quid mali illegitimè aduersus eū,qui intulit iniuriā, uel cogitare,uel facere,sed uicißim paratus esse benefacere.Vocat.n. Christus nos ad exēplum Patris sui.Is tam immemor est iniuriarum,ut nō solum nō malefaciat aduersarijs,sed etiā benefaciat, Simit so lē suum oriri super bonos & malos,et mittit pluuiam super agros iustorū & iniustorum.Tantus candor etiā à nobis exigitur,non solū scripta lege,uerumetiā lege naturæ, & dictamine rectæ rationis. Sed sicut Deus,qui mittit pluuiā super agros impiorum,nonnunq̄ agit iustum iudicē , & punit impios, nihil interea amittens de sua clementia erga bonos & malos:ita generale præceptū est, ut cōdonemus nobis inuicē delicta idq; ex animo.Sed si quis præter hoc generale præceptum habeat ſpecialem uocationem ad punienda delicta,neceſſe habet uocationi obedire.Sic magiſtratus debet(ut priuatus & in genere hominū comprehenſus) delicta cōdonare.

Sed debet etiam ſontes punire iuxta ſpecialem uocationem. Sic paterfamilias. Qui ambo etſi puniant delicta, tamen poſſunt et debent priuatim retinere condonationem. Sicut paterfamilias utitur Virga ad puniendum puerum, retinet tamen ſub uirga dilectionē. Prouer. 13. Qui parcit uirgæ, odit filium, qui autem diligit illum, inſtanter erudit eum. Sic & artifex manuarius contumelia affectus, debet, ut Chriſtianus, peccatum remittere: ſed quia publicū artificium exigit, ut ſe purget, poteſt & debet legitimis ordinationibus ſe purgare, tātum ne aduerſario uicißim maledicta ingerat & maleſaciat, iuxta ſpecialem ſuam uocationem. Sed generaliter omnibus mandatur, ut delicta proximo ex animo cōdonent, & quo id facere queant, cogitent, ac credant ſibi multò grauiora delicta à Deo remiſſa per Ieſum Chriſtū, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

ALIA HOMILIA, DE CONdonatione, habita anno 1541.

CVM Chriſtus ſæpenumero expoſuiſſet Diſcipulis, quod ſit officium ſuum erga humanum genus, uidelicet, quod ideo ſit miſſus in hanc terram, ut impetraret hominibus remiſſionem peccatorum apud Deum Patrem, et q. Deus Pater remittat eis peccata propter ipſum, docet nunc, quod ſit

sit officium hominum inter se inuicem, uidelicet q; quemadmodum Pater cœlestis remittat ipsis peccata, ita debent ipsi sibi inuicem peccata et errata remittere, & cõdonare. Hæc est doctrina necessaria, nõ solum ad conseruandã ueram fidem corã Deo, ut postea sequitur, sed etiam ad conseruandã publicam & priuatã uitæ tranquillitatem in terris. Tanta enim est hominum ex originali peccato imbecillitas, ut quãto familiarius inter se uiuant, tãto minus sibi inuicem satisfacere queant, ac unusquisq; semp inuenit in altero, quod desideret ac reprehẽdat. Et ut sine uicijs nemo nascitur, ita nemo sine uicijs uitã suam transigit. Itaq; necessarium est ad humanæ uitæ tranquillitatẽ, ut erudiamur & assuefaciamus nos ad condonãda proximo delicta. Sed hoc multo magis necessariũ est ad conseruandã cœlestis uitæ hæreditatem et tranquillitatem. Quare docet Christus in hodierna parabola q̃ seueriter exigat Deus hanc uirtutem, quæ est condonare sibi inuicem errata. Videndum autem nobis est in primis, quid hoc loco intelligatur per condonationem delictorum. Primùm enim condonare delictum, non dicitur, delicti sic obliuiſci, ut eius nunquàm memineris. Impoßibile enim est, ut nõ in mentẽ ueniat aliquoties eius delicti, quo grauiter aduersus te peccatum est. Iucundum quidem esse, ut iniuriæ tibi illatæ, ne cogitatione quidem meminisses. Sed ea est hominum natura,

Hominum officium inter se.

Delictum condonari quid sit.

ut præteritorũ siue bonorum, siue malorũ memine rint, et dum memoria in homine uiget, etiã illa quæ nobis siue prospera siue aduersa acciderunt, in cogitationem uenire solent. Et sicut multa offeruntur ui sui, multa auditui, quæ nobis iniucũda sunt, & à quibus longe abesse cupimus, ita multa etiã memoriæ incidunt, quæ eo ipso nobis molesta sunt, q̃ incidãt. An nõ & Christus ipse post resurrectionẽ meminit iniuriæ à Iudæis illatæ, cum cõcionatur duobus discipulis proficiscentibus in Emaus: Nõne hæc (inquiẽs) oportuit Christum pati? Et postea etiã ad alios discipulos: Sic scriptum est, Sic oportebat Christũ pati. Hoc certè est meminisse quid aduersi tibi cõtigerit. Sed de tali recordatiõe nullus hîc sermo est. Deinde cum Christus exigit condonationem erratorum, nõ hoc agit ut iubeat magistratũ uel patrẽfamilias connìuere ad oĩa scelera, & errata suorum, quæ legitimè punienda sunt: multa quidem tam in republica q̃ in re domestica prudenti administratori dissimulãda sunt, multa condonãda. Qui nescit (inquiunt) dissimulare nescit imperare. Summum ius, sæpe summa iniuria est. Non est aũt ad oĩa indiscriminatim conuiuendũ, nec Christus iubet magistratum aut patrẽfamilias officium suum negligere, cùm iubet errata cõdonare, sed potius docet officium suum exigat hoĩes deploratæ maliciæ facere, cum commemorat in parabola, q̃ rex reuocauerit crudelẽ seruum, et tradi-

tradiderit eum in perpetuos carceres. Adhæc dum Christus iubet erratum cõdonare, non uetat in intolerabili iniuria à proximo illata implorare auxiliũ legitimi magistratus. In Actis. 23. Paulus cognitis insidijs Iudæorũ, qui in necem eius conspirauerant, implorat auxilium magistratus. Ergo ne nõ condonat aduersarijs delictum? Certè condonat, interea autẽ utitur legitima ratione, qua ab aduersarijs defendatur. Sed Christus exigens mutuã delictorum condonationem, exigit ut erratum proximi non ita recondas in animum ut statuas te uelle malũ pro malo rependere, ac teipsum illegitimè ulcisci, Sed ut sentias te nunq̃ cõmissurum, ut pro iniuria iniuriã referas, imo ut sentias te bonũ pro malo redditurũ. Ad condonationẽ errati requiritur, ut non appetas uindictam, ut non conqueraris de eo illegitimè, ut non referas malũ facto: hic est scopus in quẽ Christus totã hanc concionẽ dirigit. Ac principio hortatur nos ab honesto, seu iusto, ut condonemus inuicem delicta. Quia Pater (inquit) cœlestis remittit uobis uestra delicta, & cõdonat ea, quib. aduersus ipsum peccatũ est: iustũ igitur fuerit, ut & uos cõdonetis uobis ipsis errata. Sed hîc obijcere solemus: Facile est Deo cõdonare nobis errata nostra, cum ea quæ aduersus ipsum designauimus, non sunt magni momenti, et nihil propemodũ incõmodi attulerunt ipsi: quæ autẽ proximus in nos designauit, ea fuerũt nobis maxio

incõmodo. Non possumus igitur tale erratum condonare et non ulcisci. Contra hanc obiectionẽ Christus recitat parabolã de duobus debitoribus. Seruus debebat regi decem millia talentorum, hoc est, sexies millies mille coronatos, uel 9000000. aureos numos, & remissum est. Conseruus aũt debet huic seruo tantũ centum denarios, hoc est, decẽ coronatos, uel 15. aureos, & noluit ei remittere. Hîc conferuntur inter se errata, quæ nos aduersus Deũ designauimus, & quæ proximi aduersus nos commiserunt. Quæ enim est proportio 9000000. aureorum ad 15. aureos, ea est proportio nostrorum delictorum aduersus Deum ad delicta aduersus nos cõmissa. Vides autem ea longissime inter se distare. Nullus .n. hominum tantum accepit ab alio hoïe, quantum homo à Deo, à quo habet animã et corpus, habet item quòd uiuat in hac terra, habet etiam in futuro seculo ius cœlestis hæreditatis per Christum. Harum rerum nihil ne à suis quidẽ parentibus homo accipit. Quare etsi Absolonis peccatum grauissimum est aduersus Dauidem patrem, Dauidis tamen peccatum aduersus Deum longè grauius fuit, si quidẽ contuleris inter se hominẽ et Deum, aduersus quos hæc peccata commissa dicuntur. Quanto .n. maior est Deus homine, tãto maius est peccatum aduersus Deũ, quàm aduersus hominẽ designatum. Quare si Deus condonat nobis lõge grauiora, iustissimũ est, ut nos con-

condonemus homini longè mimora. Sed quomodo p ueniamus corã Deo ad peccatorum remißionẽ, aliqua etiam ex parte in hodierna parabola significatur. Rex confert ratiõem cum seruis suis. Sic initio recenset nobis Deus delicta nostra per registrum quod uocatur Decalogus. Offertur regi unus qui debet decem millia talentorum, hoc est 9000000 aureos rhenanos, quæ maior summa est, quàm ut possit ab opuletißimo etiã rege persolui. Hæc sunt peccata nostra quæ aduersus Deum cõmißimus. Igitur sicut rex iubet omnia serui uenundari, ita pronunciatur in nos sententia perpetuæ condemnationis. Hic est primus actus. Sequitur nunc secundus. Procidens seruus, rogabat dominũ ut esset patiẽs, et promittebat se oĩa soluturum. Dominus misertus eius remisit debitum, Et absoluit eum. Sic etiã, si crediderimus in Christum, et attulerimus eum nobiscum per fidẽ, ac procidamus ante Deum rogãtes, ut etsi nos non sumus soluendo, tamẽ accipiat Christum filium suum pro solutiõe. Hic ergo Deus respiciens filium suum non potest teneri, quin remittat oĩa peccata, & restituat nos libertati. Atq; hoc modo cõsequimur peccatorum remißionẽ, nullo uidelicet merito nostro, sed tantum per misericordiam Dei propter Christũ. Deinde hortatur nos ad condonationẽ iniuriæ ab utili, hoc est, à magnitudine beneficij q; cõdonatione iniuriæ retinemus, et à grauitate sup-

Delictorũ condonatio quid profit.

plicij q̃ nobis immittitur, si non condonauerimus in iurias. Nã si condonamus alienã iniuriã, tunc retinemus apud Deum condonationẽ nostrorum peccatorum. Hoc beneficio nihil maius nobis contingere potest. Quòd si uero cĩa summo iure ulciscimur, tunc uerè retinentur & nostra pcta, quæ nos aduersus Deum peccauimus, id q̃ Christus in posteriori parte parabolæ significat. Seruus. n. iniecit manum in cõseruum, qui debebat tantum centum denarios, hoc est, quindecim aureos, conijcit eum in carcerẽ, sed reliqui conserui abommati crudelitatẽ eius conqueruntur domino, qui reuocat crudelẽ seruum in perpetuos carceres. Sic & Pater meus cœlestis (inquit Christus) faciet uobis. Nã si quis cùm accepit remissionem peccatorum à Deo, tam crudelis fuerit in proximum, ut nihil ei condonet, tunc oĩs creatura ingemiscit aduersus ipsum, & meditatur diuinam contra eum ultionem. Difficile quidem nobis factu uidetur, ut non referamus malum malo. At si cogitaueris, quantum bonum ex eo nobis proueniat, si proximo sua errata condonauerimus, tunc facilè nobis erit. Retinemus. n. remissionem peccatorum nostrorum, si nos condonauerimus proximo errata sua. Vix potest ab auaro homine impetrari, ut exponat decem aureos numos simpliciter absq; ulle cõmodi. Sed si certus fuerit se expositione decem aureorum retinere mille aureos saluos, ibi cum magna

gna animi promptitudine exponit decem. In collocatione publicorum tributorum confert unusquisque aliquam partem iuxta æstimationem suarum facultatum, quæ tributa ideo conferuntur, ut reliquæ facultates in tuto sint. Prudentes igitur ciues libenter pauca conferunt, ut magna conseruent. Sic etiam cum cogitamus nos cõdonatione iniuriæ proximi conseruare peccatorum nostrorum remissionem apud Deum, faciles efficimur ad obsequendum uocationi Dei. Proinde condonemus nobis inuicem delicta, ut et Patrem nostrum cœlestem imitemur, et retineamus remissionem peccatorum nostrorum apud Deum, per Iesum Christum Dominum nostrũ, Amen.

DOMINICA XXIII. POST TRInitatis, Euangelium Matth. 22.

TVnc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus, quia uerax es, & uiam Dei in ueritate doces, et non est tibi cura de aliquo. Nõ enim respicis personã hominum. Dic ergo nobis, quid tibi uide-



uidetur? Licet censum dare Cæsari, an non? Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Et audientes, mirati sunt, & relicto eo, abierunt.

HOMI-

HOMILIA PRIMA, DE SERuandis pactis & conuentis, habita anno 1541.

MAGNAM attulerunt utilitatem Ecclesiæ Euangelistæ, quod hoc Euãgelium de censu Cæsari dando, diligẽter descripserunt. Cùm enim Christus uersatur in proprio suo officio, tunc docere solet, q, consequamur uitã et fœlicitatẽ tantum per fidem, quæ est in nomen ipsius. Sic Deus (inquit) dilexit mundum, ut filium suũ unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, habeat uitam æternã. Præterea nuper admonuit nos Christus, ut unusquisq; debeat alteri sua errata dimittere, quẽadmodum Pater cœlestis dimittit nobis nostra. Ex his & alijs id genus locis doctrinæ Christi imperiti sumũt occasionẽ inhumanæ uitæ. Et si credere sibi uidẽtur in Christum, existimant sibi potestatẽ concessam q,d uis pro libidine sua agẽdi, ac nihil nec pactorũ nec cõuentorum seruandi. Deus (inquiunt) Pater remittit nobis omnia debita nostra gratis. Necesse igitur habent & hoĩes nobis dimittere nostra debita: & quanquàm dederimus fidem nostram, ea tamen nõ est à nobis exigẽda, nec à nobis præstanda. Necessaria igitur est doctrina hodierni Euãgelij, ut ex ipsa discamus, q, Christus non uenerit in hunc mundũ, ut dissoluat humanos inter se cõtractus, humana cõuẽ

ta, &

ta, & pacta, tã inter magistratum et subditos, q̃ inter proximos & æquales quosq; sed potius ut doceat Euãgelium suum de remissione peccatorum corã Deo, & interea significet honestã ubiq; politiã seruandam, pacta & cõuenta nõ esse uiolanda, quo Euangelium eius posit locũ suum, & hospitiũ in terris habere. Vbi enim non seruantur pacta, & uiolatur fides proximo aut magistratui data, ibi non potest diu cõsistere pax & tranquillitas. Vbi aũt non est pax, q; ibi hospitium haberet Euangelion Christiẽ? Docet igitur Christus in hodierno Euangelio, fidem seruandam esse tam magistratui, quàm proximo, et interea maximè omnium quod Deo debetur præstandum esse. Occasio aũt qua Christus ad hanc doctrinam explicandã peruenit hæc fuit, quam narrationem paulo altius ordiar, ut eo melius intelligi occasio posit. Iudæi post reditum è captiuitate Babylonica, & restaurationis Hierusalem, ac templi, paulatim in libertatem sese iterum uindicarunt, ac tandẽ eo incrementi & maiestatis peruenerunt, ut etiam reges è suo corpore crearent, quos uocarunt Machabæos, seu Hasmonaim. Cùm autẽ Hyrcanus et Aristobulus, q erant à Machabeis, contenderent inter se de regno, Pompeius Magnus memorabilis ille Romanorũ imperator, alterum iuuans, alterũ non solum oppressit, uerum etiam cepit urbem Hierusalem, & fecit gentẽ Iudaicam Romanis tributa-

riam

riam. Ab eo tempore Iudæi iterum uenerunt in ser uitutẽ, & necesse habuerunt Romanis tributa pen dere usq; ad ultimam ipsorum deuastationẽ à Tito factam, hoc est, annis plus minus centum et quadra ginta. Interea autem temporis sæpe contulerunt in ter se priuatim, qua ratione liberarentur à penden do tributo. Sperarunt etiam Messiam ipsis promis sum uenturum, & uindicaturum ipsos in libertatẽ. In hac expectatione uenit quidem uerus Messias Ie sus Christus Dominus noster, nullã autem uidebant liberationẽ, sed potius intelligebant onera subinde grauiora sibi imponi. At Christus in tãtum nõ ipsos liberabat, ut etiam impietatẽ eorum damnaret, si gnificans eos longe maiora mala meritos. Quapro pter infensi Christo statuunt cum ipso hanc quæstio nem de tributo dando publicè conferre, ut quicquid respondisset in sermone caperetur. Tu (inquiũt) ue ritatem doces, nec respicis personã, licet ne censum dare Cæsari, an non? Christus autẽ probè intelligẽs uersutiã ipsorum postulato numismate, q̃ habebat Cæsaris inscriptionem, Respõdit: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, et Deo quæ sunt Dei. Quod hãc habet sententiã. Ex ipso numismate manifestũ est uos ha actenus agnouisse Cæsarẽ magistratum uestrum, & pepẽdistis iã Romanis tributũ annis plus minus no naginta aut centum. Nã Pompeius hoc pacto & cõ uẽto, et hac à uobis accepta fide, restituit uobis ur bem

Fides ser uanda.

bem uestrã, ut Romanis penderetis tributum. Cùm igitur sic inter uos conuenit, iudico pacta uestra, et datam fidẽ Romanis seruandã, et Cæsari dandum, q̃ uos daturos recepistis. Si non libuit dare tributum Romanis, nõ fuisset etiã iugum suscipiendum: ibi tũ licuisset uobis fortibus esse uiris, cùm adhuc libertatem habebatis. Nunc autem postquàm pactis, cõuentis, & data fide inter uos et Romanos conuenit, ut penderetis tributum, nihil aliud reliquũ est, quàm ut seruetis fidem, & detis Cæsari, q̃ est ipsi ex pacto et conuento dandum. Ego nõ ueni in hunc mundum, ut abrogẽ publica seu priuata hominum pacta inter se in rebus ciuilibus, sed ueni ut abrogẽ pactum illud spirituale, quod habetur cum Satana. Vnusquisq; autẽ hominum dedit Satanæ Chirographum suum, quòd uelit esse subditus eius, & ipsi obnoxius esse: hoc Chirographum est cõscientia hominum propter peccatum. Christus igitur uenit abrogaturus nõ humana & ciuilia inter se pacta, sed tãtum illud Satanicum pactũ. Vnde & sanguine suo deleuit hoc Chirographum, quemadmodum Paulus ait. Interea autem exigit ut homines inter se suam datam fidẽ suaq̃; pacta et conuenta sanctissimè seruent. Hæc doctrina nostro etiam tempore prorsus necessaria est. Videmus enim nusquàm ferè tutã esse fidem, & homines rarissimè seruare mutua inter se pacta et cõuenta. Debitor nõ soluit creditorem,

rem, aut commodatorem, præscripto suo termino. Nec in alijs cõtractibus, aut negocijs frequenter reperias, qui fidẽ, aut pactum suum seruet, tãtaq; est frequentia, & facilitas hominum uiolãtium fidem, seu pactum suum, ut postulãtem rideant etiam, tantum abest, ut sentiant esse peccatum. Ostendẽda igitur erit grauitas huius peccati, si quo modo fieri posset, ut mutua seruentur pacta. Loquimur autem de pactis, nec coram Deo, nec coram hominibus imposſibilibus. Primum enim qui uiolat fidem suam proximo datam, et nõ seruat pactum, is peccat contra secundum præceptum è duobus maximis, et præcipuis præceptis Dei, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Hoc præceptũ est Lex naturalis. Quanto igitur maius est præceptum, tanto grauius est peccatum, uiolare fidem seu pactum. Deinde Christus in Euangelio ait: Si dilexeritis eos qui uos diligunt, q; præmium habetis? Nonne publicani idẽ faciunt? Et si complexi fueritis fratres nestros, seu benefactores, quid eximiũ facitis? Hìc uocat Christus dilectionem benefactoris, iusticiam tantum publicanorum, hoc est, externam & ciuilem, quam nisi quis seruauerit peior est gentibus et publicanis, nec tolerandus est in humana societate, sed abijciẽdus inter beſtias. Ad dilectionem autem benefactoris pertinent mutua pacta, & conuenta. Nemo.n. paciſcitur cum altero, nisi beneficium ab eo accipiat. Paciſcimur

etiam cum hoste, sed non nisi accepto beneficio. En accipe tibi exemplum huius Euangelij. Pompeius uicerat urbem Hierusalem, et potuisset iure belli omnes ciues trucidare, & urbē desolare. Sed iniit hoc pactum cum ciuibus, ut penderent Romanis tributum, & uicissim haberent uitam & urbem suam incolumem. Hoc certè erat beneficium. Quare qui accepto beneficio nō seruat pactum & fidē, is peior est publicanis, & non est dignus qui inter homines uitam ducat. Leges ciuiles statuunt eum designare furtum, qui equum gestandi causa cōmodatum sibi longius aliquò duxerit inuito domino: multo certè magis corā Deo furtum cōmittere dicendus est, qui acceptā pecuniam, uel aliā rem non reddit suo præscripto tempore iuxta datam fidem & pactum. Libenter (inquis) darem, si haberē. At iuxta datam fidem, danda est opera, ut habeas. Cur enim dedisti fidem, si præsciuisti restitutionē tibi impossibilē esse? Sed haberē (iterum inquis) si et mihi seruaretur fides, nunc aūt cùm alij me fallant, quomodo ego possum fidem seruare? Hoc tantum est dicere: Alij peccant, ergo et ego peccabo. Quid ad tuam fidē, q. alij uiolant eā? Non hac cōditione dedisti fidem tuā. Quare siue alij fallāt siue seruent fidē, certè tu fidā semp seruare debes. Aut si id nullo modo fieri pōt ad præscriptum terminū, placādus tamē est proximus qua ratione potes, donec reipsa satisfacias. Nā

hoc

hoc demum crudele est, quòd nõ solum nõ serues fidem seu pactum, sed etiã maledictis eum cui fidem debes inceßis, & pro beneficijs malefacis: manifestum est signum impietatis in Deum. Ioannes enim in epistola sua capite quarto ait: Qui nõ diligit fratrem suum quem uidet, Deum quem non uidet quo modo potest diligere? Ita qui non seruat homini benefactori fidem, quem coràm uidet, & cuius beneficia manifestè accepit, quomodo seruaret fidem Domino Deo suo quem non uidet? Certè Paulus ad Romanos scribens recenset eos, qui non seruant fidem seu pacta inter manifestè impios, & datos in reprobam mentem. Sed et ipsa supplicia, quæ his, qui non seruârunt fidẽ seu pacta, illata sunt, perspicuè indicant grauitatem huius peccati. Pharao sæpe promisit Israelitis, quòd uellet ipsis concedere potestatem recedendi, nunquàm autem seruauit fidem seu promißionẽ. Quare obrutus est aquis maris. Zidekias uiolauit fidem datã regi Babylonis. Quare filij eius ante conspectum ipsius trucidati sunt, et ipse excæcatus atq; captiuus ductus in Babylonem. Ieremiæ 5. dicitur: Circuite uias Hierusalem et aspicite, & considerate & quærite in plateis eius, an inueniatis uirũ facientem iudicium & quærentẽ fidem. Et dixi: fõrsitan pauperes sunt & stulti ignorantes uiã Domini & iudiciũ Dei sui. Ibo igitur ad optimates. Et ecce hi magis cõfregerũt iugũ. Habes peccatũ

uiolationem uidelicet fidei seu pactorum. Audi eti am supplicium, Idcirco percussit eos leo de sylua, lupus ad uesperam uastauit eos. Et mox: Ecce ego adducam gentem de longinquo. Cùm igitur inter nos raro seruentur pacta, quid aliud fit, quàm quòd nos ipsi uocamus peccatis nostris Turcam super ceruicem nostram? Seruanda igitur est fides proximo data. Nã Deus habet hoc epitheton, quòd sit fidelis, et seruãs promissionum. Et de Christo apud Esaiam scribitur, quòd fides sit cinctorium renum eius. Ergo qui seruant fidẽ ex fide, hi sunt filij Dei, et fratres Christi. Qui autem uiolant fidem, sunt filij Satanæ, quia Satan est mandax & pater mendacij. Satan nullam seruat fidem nec pactum. Hæc omnia de seruãda ea fide intelligẽda sunt quæ sine peccato præstari potest. Incõmodum ferendum est, sed peccatum nõ est faciendum. Nam cùm Christus diceret, Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, addidit, date Deo quæ sunt Dei. Etsi n. hæc præcipuè dicta uidentur de præstandis templo Dei decimis, & alijs debitis, tamen admonent etiam ut in omnibus pactis humanis seruemus obedientiam Deo debitam, ut meminerimus in omnibus rebus, maximè omnium Domino Deo nostro obediendum esse. Quare si aliud iubent humana pacta quàm Deus, tunc magis obediendum est Deo quàm hominibus. Si uero humana pacta constare possunt iuxta fidem Deo datã, ibi tum

uiola

uiolare fidem proximo datam, est inhumana crudelitas. Seruare autẽ fidem est magnus cultus Dei, in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA SECVNDA DE VERA terrenarum facultatum administratione, habita anno 1542.

CVM in rebus humanis, ferè nihil sit, quod plura & maiora dissidia excitet, quàm terrenæ facultates, necessitas exigit, ut de his dispensandis, & distribuendis ex uerbo Domini erudiamur. Quanto.n. minus salus nostra sita est in terrenis facultatibus, tanto magis, & sollicitius prouidendum est, ne propter ipsas salutem nostrã amittamus, ac ex hæreditate cœlestium facultatum abijciamur. Quare etsi Christus non uenit in huuc mundum, ut administret terrenas opes, tamen quia uenit, ut doceret ueritatem, ac pietatem, ac interrogaretur in hodierno Euangelio de censu Cæsari dando, non recusat docere, paucissimis quidem, attamen ualde perspicuè, probam & iustam terrenarum facultatum administrationem. Pharisæi.n. & Herodiani ad capiendũ Christũ in sermone emissi, interrogant eum, num liceat dare censum Cæsari? Christus autem postulato numismate Cæsaris imagine insignito respondit: Reddite Cæsari quæ sunt Cæ

saris, & Deo quæ sunt Dei. Hîc mihi considerandũ est initio, quòd quemadmodum Epicurei spirãt tantum et affectant iucundas huius mundi uoluptates, ita carnales Iudæi quærebant duntaxat carnalẽ libertatem in Messia suo. Non enim desiderabant in Messia à Prophetis promisso, remissionem peccatorum, iustitiam & regnum cœleste, quia aut non requirebant bona ista spiritualia, aut si requirebant, pollicebãtur sibi ea meritis suorum operum ex obseruatione sacrorum suorum, Sed expectabant in Messia externam fœlicitatem & externam liberationem à Turca ipsorum, uidelicet Romano Imperatore. Quod.n. nobis est Turca, hoc Iudæis erant Romani, qui & oppressérant ipsos, & exigebãt ab eis quotannis Tributa. Quare sollicitè disputãt de dando tributo, et quouis momento expectabant aduentum Messiæ sui, ut liberaret ipsos à potestate et tyrannide externarũ gentium, & redderet ipsos in hoc seculo omnes fœlices. Christus autem Dominus noster non uenit in hunc mundum, ut solennem & generalem cursum huius seculi ante nouissimum diem mutaret. Solẽnis uero huius seculi cursus usq; ad ultimum mundi diem, scriptus est in Gen. cap. 3. Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cũctis diebus uitæ tuæ, Spinas et tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. Et mox: in sudore uultus tui uescéris pane tuo, donec reuertaris

ris in terrã de qua sumptus es, qa puluis es et in pul uerem reuerteris. Hic est solennis huius seculi cursus. Nam quòd dicitur panem uescendum in sudore uultus, non intelligendum est præceptum esse, ut unusquisque manibus laboret, ut sudor distillet à uultu in terrã, sed est generalis maledictio et supplicium uniuersis hominibus ab Adam prognatis impositũ propter peccatum. Esus enim cibi conseruat uitam nostram. Sententia igitur huius dicti hæc est, quandiu uescimur cibo, & conseruamur in uita huius seculi, necesse habemus sudare, affligi, molestiã pati, adeoq; nullam tranquillitatem & fœlicitatem sibi constantem habere. Alius sudat ægritudine corporis, Alius sudat tyrannide qua opprimitur, alius sudat magna paupertate, alius magnis diuitijs, alius alijs afflictiõibus. Itaq; necesse habet unusquisq; hominum uesci pane suo in sudore uultus sui, donec reuertatur ad terram. Huc accedit & Iob cap. 14. Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, multis repletur miserijs, qui quasi flos egreditur, & conteritur, ac fugit uelut umbra, nec in eodẽ statu pmanet. Quin & Christus ipse ad discipulos suos ait: in mundo habebitis afflictiones. Quare cum Christus nõ uenerit ad abolendum solennem cursum huius seculi ante nouissimum diẽ, non est etiam sentiendum, q uenerit ad abolendas aduersitates & molestias huius seculi, sed uenit ut afferat nobis spiritualem

benedictionē in cœlestibus. De qua re sæpe aliâs dictum est. Deinde considerandum uenit, q̃ Christus docturus rectā, probam, & iustam terrenarum facultatum administratiōem, distribuat uniuscuiusq; facultates in duos aceruos. Duo ergo sunt acerui uniuscuiusq; facultatum. Vnus est Cæsaris, Alter est Dei. Impij faciunt etiā tertium aceruum, qui est Satanæ. Videamus autē de his facultatum aceruis. Aceruus Cæsaris non is tantum dicitur qui dandus est ad Tributa et uectigalia, sed is totus, qui seruit usibus huius externæ et ciuilis uitæ. Nomine enim Cæsaris intelligitur hæc politica & ciuilis uita. Itaque ad hunc aceruū pertinet primū uniuscuiusq; necessarius uictus & amictus. Deinde uniuscuiusq; familia, & legitimi hæredes: præterea uniuscuiusq; debita quoquo modo cōtracta iuxta politicas cōsuetudines. Postremo tributa, uectigalia, & id genus alia, quæ à magistratu exiguntur. Hæc omnia pertinent ad aceruum Cæsaris, ex quo etiā, quæ in his debentur persoluenda sunt. Aceruus autem Dei non accipitur nunc generaliter pro omnibus creaturis Dei: si .n. generalem aceruum Dei considerauerís, tunc omnia sunt Dei, quæcunq; sunt in cœlo, & in terra. Tui sunt cœli, inquit Psal. 88. & tua est terra. Et Psal. 49. Meæ sunt oēs feræ syluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui oīa uolatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi:

Facultatū acerui.

tibi: meus est.n. orbis terræ & plenitudo eius. De hoc Dei aceruo nunc nullus est sermo, sed de eo quo sustentãda est uita spiritualis in hoc seculo. Itaq; ad hunc aceruũ pertinuerunt in lege Mosi decimæ, primitiæ, primogenita, oblationes, reliquiæ in agris et uineis, & alia quæ collata fuerunt ad conseruanda sacra, & sustentãdos pauperes. In nostra politia pertinent ad hunc aceruum omnia ea, quæ uel collata sunt, uel adhuc conferuntur, ad cõseruanda ministeria Ecclesiastica, et ad alẽdos pauperes. Cùm igitur uniuscuiusq; facultates distributæ sint in duos aceruos, & repositæ in duas arcas, iubet Christus, unoquoq; aceruo uti legitimè, iuxta suas ordinationes, ut detur Cæsari, hoc est, propriæ necessitati, familiæ, creditoribus, et magistratui, q, ipsis debetur: ac detur etiã Domino Deo, hoc est, Ecclesiastico ministerio, & pauperibus, q, debetur. Quid.n. unicuiq; debeatur, hoc & necessitas, et publicæ leges, et charitas proximi, et lex naturalis perspicuè docent. Et longũ esset nunc pluribus explicare. Nã q, Christus distribuit uniuscuiusq; facultates in duos aceruos et arcas, et iubeat eas legitimè distribuere, unicuiq; q, debetur, multas nobis easq; maximas affert utilitates. Prima est, q, ex hoc cognoscamus Christum non uenisse ut abrogaret externas huius seculi politias, et nouum terrenum regnum instituret, sed potius Christũ omnimo exigere, ut politicæ ordinatio

nes seruentur. Secunda, q̃ cognoscamus perfectionẽ Christianam non constare in abiectione facultatum suarum, sed exigere potius, ut unusquisq; duos illos facultatum suarũ aceruos legitimè administret. Etsi enim dixit Christus ad adolescentem: Si uis perfectus esse, uade et uende omnia, &c. tamen hæc non est generalis Christianorũ ordinatio, sed tantũ specialis uocatio. Generaliter exigit Christus ab unoquoq; Christiano probã & iustam administrationẽ suarum facultatũ &c. Tertia, quia cognoscimus ex hac doctrina, q̃ nõ solum hi sint fures, et prædones, qui alienas opes rapiunt, sed etiã q̃ unusquisq; possit fieri fur & prædo in suis propriis facultatibus. Diximus n. suprà, quòd impij faciant è facultatibus suis etiam tertium aceruum, qui est Satanæ. Is autẽ aceruus dicitur Satanæ, cũ quis facultates suas, quibus deberet uti ad necessitatem corporalis & spiritualis uitæ, absumit uoluptatibus, cõpotationibus, ludis, scortationibus, & alijs sceleribus perpetrandis. Nã quæ ita absumuntur, dicenda sunt furta, & prædæ, imo peculatus & sacrilegia. Quare diligenter cauendũ est unicuiq;, ne fiat in administratione suarum opũ reus peculatus, & sacrilegij, sed ut facultatibus suis rectè utatur, hoc est, det Cæsari & Deo, quæ debẽtur. Quarta utilitas, q̃ discimus quæ sint ueræ eleemosynæ (ut uocãt) Deo gratæ. Etsi n. propriè dicitur eleemosyna, quæ sponte pauperi-

bus

bus datur, attamẽ generaliter loquẽdo, eleemosyna dicitur, quicquid opũ iuxta præceptũ & uoluntatẽ Dei expenditur. Ita q; eleemosyna dicitur quod datur familiæ, quia Deus uult ut unusquisq; prouideat suæ familiæ. Paulus dicit: Qui non prouidet suis familiaribus, deterior est Ethnico. Similiter eleemosyna dicitur quod redditur creditori, quod datur magistratui pro tributo, censu, uectigali. Eleemosyna dicitur quod confertur ad conseruanda ministeria Ecclesiastica. Breuiter eleemosyna generaliter est, quod ex præcepto Dei (quo uolũtas ipsius reuelata est) exponitur. Quare semper eleemosynam largitur, qui id largitur q. debet, etiamsi non cogeretur. Quinta utilitas est, quòd Christus significat hoc dictum uerissimum esse, quod Paulus tribuit ipsi Act. 20. Beatius est dare, quàm accipere. Homines huius seculi sentiũt infœliciſsimum esse dare. Philosophus quidam interrogatus quid esset dulciſsimum? Respõdit, Accipere. At Christus significat fœlicius esse dare, quàm accipere, non ob eam causam, quòd quidat, signum sit eũ habere & poſsidere, sed quòd opes dando augeantur. Nã de dando extant promiſsiones, Prouerbiorum cap. 11. Qui inebriat inebriatur. Et Christus: Date et dabitur uobis, Et aliâs: qui largitur pauperi fœnerat Deo. Similiter et Paul: uocat liberalitatẽ in egenos semẽtẽ, in quo unũ granũ affert centũ, Quare qui uelit augere opes suas, det,

in quam,

inquam, Cæsari quæ sunt Cæsaris, et Deo quæ sunt Dei, ut & largiatur nobis Deus non terrena tantum, sed etiam post hanc uitam sempiternam, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

DOMINICA XXIIII. POST TRInitatis, *Euangelium Matth. 9.*



HAEC illo loquente ad eos, ecce princeps unus accesit & adorabat eum dicēs, Domine filia mea modò

modò defũcta est, sed ueni impone manum tuam super eam & uiuet. Et surgens Iesus sequebatur eum & discipuli eius.

Et ecce mulier quæ sanguinis fluxũ patiebatur duodecim annis, accessit retro & tetigit fimbriam uestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus & uidens eam dixit, Confide filia, Fides tua saluam te fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.

Et cum uenisset Iesus in domũ Principis & uidisset tibicines & turbam tumultuantem, dicebat, Recedite, nõ est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum eiecta esset turba, introiuit, & tenuit manum eius, & dixit: Puella surge. Et surrexit puella, et exijt hæc fama in uniuersam terram illam.

HOMI-

HOMILIA PRIMA, HABITA ANNO 1537.

EXplicuimus hactenus multas Euangelij pericopas, in quibus commemoratur, quid beneficiorum à Christo in uiros collatum sit. Nunc autem ponitur pericopa, in qua fit mentio duarum mulierum, quæ maxima beneficia à Christo consecutæ sunt, ne uidelicet mulieres existimarent, Christum & regnum cœlorum ad solos uiros, non item ad mulieres pertinere. Quanquam autem in hac historia præcipuè mulierum tantum mentio fiat, proponitur tamen nobis ut tota Ecclesia ex ipsa in uera fide et religione erudiatur. Res igitur ita se habet. Christus rogatus à primate nomine Iairo, ut descenderet in domum eius, & filiam modò defunctam à mortuis resuscitaret. Cùm igitur Christus in itinere esset, accessit mulier hæmorrhoussa, quæ duodecim annis laborauerat morbo, et omnem substantiam insumpserat: cùm puderet palàm profiteri suum morbum, clam tetigit fimbriam uestimenti, & confestim sanata est. Quid ad hæc dicemus? ergo ne sanctum & religiosum fuit tunicam Christi in hunc usum conseruare, ut ad eam uisendam peregrinemur, & ad tactum eius sanitatem morborum consequamur, præsertim cum Christus addat: fides tua te saluam fecit? Tangamus igitur tunicam Christi,

sti, & credamus nos per eam consecuturos sanitatem, & tunc mentis compotes efficimur? Hæc uera non est sententia Christi. Res autem sic sese habet. Christus uenit in hunc mundum abiectus & humilis, ac plane (ut Propheta ait) nouissimus uirorum, nihilominus tamē concionatus est de seipso tā magnifica, quanta nunq̄ de quoq̄ in toto orbe terrarum prædicata fuerunt. Concionatus est se esse Meßiā à Prophetis promissum, se esse filium Dei, recōciliatorem Dei et hominū, ut quicunq; credat in ipsum, habeat uitā æternam. Quis autem huic cōcioni simpliciter fidem haberet etsi magna autoritate cōfirmaretur? Quare ut tanta doctrina nō despiceretur propter humilitatem Christi, proposuit Christus hominibus sui seculi hoc κειμήλιον, quòd quicūq; uellet posset ad ipsum uenire, et sanitatem cuiuscunq; morbi ab ipso impetrare. Sic.n. dixit Matt. xi. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego refocillabo uos. Quod dictū, propria sua sentētia respicit in eos, q externis morbis affecti sunt. Proposuit aūt hoc κειμήλιον, nō utquouis tēpore, et quouis seculo duraret in hoc mundo, sed ut suo tēpore, autoritas Euāgelij sui his miraculis tanq̄ cœlestibus sigillis confirmaretur. Quare quicunq; uenit ad Christum, & uel prece uel tactu indicaret, se ab ipso petere sanitatē, is consecutus est sanitatem, non quòd uerba humana, aut tactus fimbriæ, p se tanti momen-

Miraculorum utilitas.

momenti fuerit, ut potuerit suo merito consequi sanitatem, nec quòd uel tunica, uel sputum, quo cæcus uisus restitutus est, tãtæ per se uirtutis fuerit, ut cõtulerit beneficiũ sanitatis, sed quòd hoc κειμήλιον, eo tempore hominibus propositum erat, & publicum promissiõis uerbum uulgatum, ut delicet, Venite ad me omnes, etc. Sic Mose habuit uirgam seu baculum p nomen Domini in hoc constitutum, ut Mose per eã miracula æderet, donec confirmaretur auctoritas legis. Mose igitur diuisit baculo mare rubrum, & extorsit aquã è petra, & edidit multa alia miracula per uirgam, quam si quis alius etiam multo sanctior Mose, accepisset in manus, alio tempore, sine uocatione Dei, ne riuulum quidem potuisset per eam diuidere, nedum mare. Numer. 21. mittuntur serpentes igniti in populum Israel, qui iniciunt populum, ut multi moriantur. Iubet ergo Dominus serpentem æneum erigere pro signo, & addit uerbum promissionis dicens: Qui percussus aspexerit eum, uiuet. Et cùm percussi aspicerent eum sanabantur. Hic serpens, etsi reseruatus fuit à Iudæis, neminem tamen postea percussum à serpente sanauit, qa functio eius cessauit in deserto, nec fuit ordinatus diuinitus, ut semper percussos sanaret. Acto. 5. umbra Petri, Et Acto. 19. Sudaria & semicincta Pauli sanãt infirmos. Iã si quis etiam sanctior haberet ista hoc tempore, neminem tamen sanaret per eã,

ea, quia non haberet uocationem Apostolorum, ad quos dictum erat, Infirmos sanate. Et: Signa eos qui crediderint hæc sequẽtur, per nomen meũ dæmonia eijcient, serpentes tollent, super ægrotos manus imponent, & bene habebunt. Hoc de Apostolis, & Apostolicis temporibus dictum est. Quare etiamsi tunica Christi hoc tempore adesset integra, et illæsa, neminem tamen attactu suo sanaret ab externa infirmitate, quia non habet hoc tẽpore aliquod uerbum promissionis. Nec requiritur à nobis ea fides, ut credamus nos attactu eius sanari, quia nõ est nobis tunica in hunc usum diuinitus hoc tempore proposita. Ergo (inquies) hoc miraculum in muliere editum nihil ad nos? Certè nihil hoc modo ad nos pertinet, ut externam Christi tunicam inquiramus, & ab ea sanitatem externam expectemus. Sed ea plurimum ad nos pertinẽt, quæ per hoc miraculum confirmata sunt. Nam diximus Christum edidisse miracula, ut confirmaret doctrinam Euangelij sui. Docuit autem Deum non esse respectorem personarum, & reconciliasse Deo non uiros tantum, sed etiam mulieres. Docuit se esse uerum Saluatorem omnium hominum. Docuit se remittere peccata, seruare à morte, & inferno, ac conferre fœlicitatem omnibus his qui credunt in ipsum, et sequuntur uocationem eius. Discamus igitur ex hoc miraculo, & confirmemus fidem nostram in Christum, ut

obediamus ei. Cæterum postquàm Christus sensit mulierem sanatam à tactu, inquirit quis ipsum tetigerit. Et cum discipuli hoc in turbam reijcerent, ut Marcus ait, non est Christus contentus, donec mulierem producat & palàm pudefaciat. Venit enim mulier tremens, & confessa est quod accidit. Quid ergo sibi uult Christus quod mulierem pudefaciat publicè, cùm tamen optimè sciuerit quid gestum esset? Libet ne homines ita pudefacere? Nequaquàm: sed hoc facto explicat suam & Dei Patris sui consuetudinem in glorificandis hominibus, & admonet nos, ut ignominias, contemptus, & abiectiones, quæ nobis in hoc seculo contingunt, æquo animo in fide feramus. Consuetudo enim Dei est, quod neminem glorificet, nisi antè humiliet eum. Et uoluntas eius in humilitate est, non ut perdat, sed ut seruet, ac glorificet. Deus enim natura sua nihil aliud est, quàm bonitas, & gloria, nec natura quicquam aliud operari nouit, quàm benefacere, & glorificare. Ac nihil aliud mallet quàm ut simpliciter hominibus benefacere posset, & eos glorificare. Sed homines sunt stipidiores, aut arrogantiores, quàm ut intelligant beneficia Dei. Existimãt enim se natura esse satis glorioſos, et honestos, cùm sint natura toti in inhonestate, hoc est, peccatis absorpti. Vt igitur intelligant honestatem Dei, & quàm ipsi natura sint inhonesti, conijcit eos Deus in igno-

ignominiam, & contemptum, antequàm eos glorifi cet, & non conijcit eos in ignominiã ut perdat, sed tantum ut præparet ad gloriam. Sicut. n. optimus fa ber lignarius, quantũ ad suum artificiũ attinet, nõ nouit nisi ædificare. Attamẽ necesse habet prius de struere arbores in sylua, & securibus cædere. Hæc destructio arborum non fit propter imperitiam artificis, sed propter materiæ ruditatem. Ac destruit arbores, nõ ut maneãt destructæ, sed ut ædificẽtur in domum, ut hæc arborũ destructio, nihil aliud sit q̃ præparatio materiæ ad gloriã ædificationis domus. Sic Deus inueniens hominem rudißimam materiam ad gloriam, prius conijcit ipsum in ignominiam, non ut perdat, sed ut præparet hominẽ ad gloriam. Sic Ioseph coniectus fuit in publicam ignominiam, quia fuit accusatus tanq̃ adulter & in carcerẽ inclusus. Hæc aũt ignominia non fuit nisi præparatio ad gloriã principatus. Sic Dauid eiectus fuit in exilium, hoc est, in ignominiam publicam, sed interea præparauit ei Deus regnum. Sic ipse Christus coniectus fuit in summam ignominiam, quia cũ multa edidisset miracula, & habebat famam Meßiæ, factus est tam abiectus, ut milites illuderent ei, & in crucem suffigeretur, & ibi tanquam omnium hominum abiectißimus irrideretur. Sed hæc omnia fuerunt parasceue ad summam gloriam. Philip. 2. Factus est obediens usq; ad mortẽ, mortem aũt crucis.

Quapropter exaltauit illum Deus. Sic & hoc loco pudefacit Christus mulierculã, non ut maneat in ignominia, sed ut glorificetur. Primùm appellatur filia. Deinde commendatur à fide. Postremò pronunciatur salua, idq; à Christo corã tota Ecclesia, imò militia cœlesti, qui honor superat omnium regũ maiestatem. Quare si cui accidit in hoc seculo contemptus, bene confidat, non desperet, sed agnoscat contemptum esse parasceuen ad magnam gloriam. Porrò historia de resuscitata filia priuatim multa habet obseruatu dignissima, quæ oĩa nunc perstringere nimis longum esset. Quare unum tantum breuissimis pertractabimus, uidelicet id, quòd Christus uocat mortem nouo epitheto. Somnum. Nam hæc puella uerè mortua erat. Primas dixerat filiã morti propinquam. Serui nunciant, eam mortuam. Funus apparatum est. Tibicines, qui erant loco campanarum, aderant. Breuiter certum est puellam uerè mortuã esse. Christus tamen penetrat per mediam turbã, & palàm affirmat, puellam nõ esse mortuam, sed dormire. Ergo affirmat mortem esse somnum. Epitheton iucundissimum. Sed quis credit? Turba ridet. Ergo Christus suscitat mortuã, hoc est, publico miraculo confirmat ueritatem uerbi sui, uidelicet quòd mors sit somnus. Idem confirmat posteà suĩ ipsius resurrectione. Honesto uiro credimus narranti nobis mores longinquæ regionis, in quã aliquandiu

quandiu uersatus est. Quanto magis credendum est Christo, qui est filius Dei, in cuius ore non est inuentus dolus, qui & ipse usq; ad tertium diem uersatus est in regione mortis, & inuestigauit omnes latebras eius. Is igitur uocat mortem Somnum. Quid autem est somnus? Certè non est, nisi primùm, quies ab omnibus laboribus, deinde resocillatio ad fruendã futuram fœlicitatem. At ut nemo formidat somnũ, nisi pueri & ebrij, illi quia non intelligunt dulcedimem somni, hi quia sciunt se mane dolituros caput. Sic nemo abhorret mortem, nisi insipientes & impœnitentes, qui timent futuram damnationem. Quare discamus quid sit mors, & resipiscamus, ut per mortem ad uitã peruenuamus in Christo Iesu Domino nostro,

Amen.

DOMINICA XXV. POST Trinitatis, Euangelium Ioan. 6.

De quinq; panibus & duobus piscibus, ut in Dominica Lætare.



ABiit Iesus trans Mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, quia uidebant signa quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum. Cum subleuasset ergo oculos Iesus & uidisset, quia multitudo maxima uenit ad eum,

eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat, quid esset facturus, etc.

HOMILIA.

IN pericopa Euangelij, quam recitauimus, continetur insigne miraculum, quod est unum è præcipuis miraculis, quæ Christus Filius Dei in hac terra edidit, quia commemoratur hîc miraculum quinque panum & duorum piscium, quibus quinq; millia uirorum, magna mulierum, ac puerorum multitudo pasti sunt. Non est quidem obscurum, quod Moses commemoret Israelitas pastos esse cœlesti manna in deserto quadraginta annis.

Si autem circumstantias consideraueris huius miraculi, quo Christus in deserto pauit quinque panibus & duobus piscibus quinquies mille uiros, præter pueros, & mulieres, longe anteferendum erit miraculo Mosi. In 4. lib. Regum. 4 capite

capite quarto, cibat Eliſæus cetum uiros uiginti panibus, ſed quanto numero diſtant inter ſe centum et quinquies mille? Vnde & Euangeliſtæ tanti reputarunt hoc miraculum Chriſti, ut non unus tantum & alter, ſed ſinguli diligẽter commemorent. Ac populus quoq; ipſe, qui fuit huius miraculi ſpectator, & uſufructuarius, in tantam admirationem ex eo uenit, ut exclamauerit hunc eſſe uerum Prophetam illum Chriſtum à Moſe promiſſum, ac inierunt conſilium de creando Ieſu in Regem. Cogitabant enim, nihil ipſis tali rege defuturum, ſed uitam in omni rerum opulentia, in ſumma tranquillitate & ocio acturos.

Poſtremò Chriſtus ipſe tanti facit hoc ſuum miraculum, ut non ſolum occaſione eius pulcherrimam concionem texat, quæ in hoc ſexto capite Ioannis copioſè deſcripta eſt, uerumetiam paulò poſt reprehendit Apoſtolos grauiter, quòd cùm carerent panibus, non meminiſſent huius miraculi, nec confirmaſſent ex eo fidem ſuam. Marci. 8. Quare cùm hoc miraculum habeatur unum è præcipuis miraculis Chriſti, danda nobis eſt opera, ut non audiamus tantum externis auribus, nec ſciamus tantum hiſtoriam eius, ſed ut conſideremus utilitatem eius, & cognoſcamus ex eo, quæ faciant ad ueram noſtram ſalutem.

Quòd ſi ergo probè illud intuemur, tunc cognoſcemus

scemus quòd sit nobis utile tam ad corporis, quàm ad animæ salutem. Licebit enim ex eo discere, Primùm, quid nobis faciendum sit, ut sufficientem habeamus uictum in hac corporali uita, & in regno huius mundi. Deinde quid faciendum sit, ut consequamur ueram & æternam salutem in cœlesti regno. Hoc est studium ferè omnium hominum, uidelicet, ut & in hoc seculo habeant alimenta corporalia, & in altero cœlestem salutem. Victus corporalis parãdi ratio.

Dicamus igitur prius de priori. Nam quòd filius Dei pauerit miraculosè tot millia hominum paucis panibus & piscibus, eò respicit, quòd uoluerit hoc manifesto miraculo, quasi sigillo publico munire promissiones seu literas suas, quibus recepit se unicuiq; hominum ambulanti in uocatione sua, ex fide exhibiturum præbendam sufficientium alimentorum, per omnes dies uitæ eius. Homines enim non nascuntur temere, sed consilio Dei bene deliberato. Initio dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Vides consilium Dei prius adhibitũ, quàm homo crearetur, id quod in alijs creaturis non est factum. Nec prius hominẽ creauit Deus, quàm non solum condidisset cœlum & terram, sed etiam præparasset ea omni genere animalium, piscium, uolatilium, fructuum, ac frumentorum in usum humanum.

Quod autẽ Deus initio cum Adamo & Eua fecit,

hoc in singulis hominibus ita præstat, ut nullum hominem creet, cui non antea suam præbendam, aut sua alimenta constituerit & ordinauerit. Et cum hoc in omnibus ac singulis hominibus facit, maximè tamen omnium facit hoc in fidelibus. Sicut enim Paulus ait, prima ad Timoth. quarto, Spem fixam habemus in Deo uiuente, qui est SERVATOR OMNIVM hominum, maximè autem FIDELIVM.

Nec celat Deus hoc suum institutum clam apud se, sed testificatur illud promissionibus, tanquàm publicis literis, quibus manifestè recipit, se fidelibus suis seu ambulantibus in uocatione sua ex fide dare præbendam sufficientium alimentorum toto uitæ eorum tempore. Recitabimus igitur aliquot harum promissionum, ut cognoscamus, quæ sint literæ præbendarum nostrarum, quas nobis Deus promisit.

Deut. 8. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod egreditur de ore Domini.

Psal. 36. Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.

Psal. 144. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.

Pro-

Prouerbiorum decimo. Non affliget Dominus fame animam iusti, hoc est, ambulantis in uocatione Domini.

Matthæi sexto. Primum quærite regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

Hæ, & similes promissiones, quarum multæ extant in sacra Scriptura, sunt literæ quibus Deus recepit, ac promisit unicuiq; ambulanti in uocatione præbendam sufficentium alimentorum in hac corporali uita. Etsi autem Deus tam uerax est, ut simplicibus eius uerbis & scriptis meritò adhibenda esset fides, tamen ipse tantæ est ciuilitatis, ut nõ uoluerit has literas præbendarum nobis nudas proponere, sed uoluerit eas munire publicis ac cœlestibus sigillis. Non autem utitur cera, aut plumbo, sed miraculis. Audiamus igitur quædam miracula, quibus Deus sigillauit has literas præbendarum.

Exod. decimosexto, Israelitæ pascuntur cœlesti manna quadraginta annis in deserto, cùm sectarentur uocationem Dei.

3. Regum decimoseptimo pascitur Elias à Coruo, & deinceps à muliere uidua: paululũ farinæ & olei non deficiunt. Et decimonono, pascitur ab angelo pane, & aqua.

4. Regum septimo, magna fames in Samaria in obsidione Regis Syriæ: Sed quia patiebantur obsidi-

obsidionem iuxta uocationem Domini propter Eli zæum, igitur pascuntur reliquijs hostium etc.

Lucæ uigesimo secundo, Apostoli emittuntur à Christo sine pecunia, & tamẽ nunquàm eis aliquid defuit, &c.

Ad hæc miracula & in hunc catalogum præcipuè pertinet hodiernum miraculum, de quinque panibus, et duobus piscibus. Similiter miraculum de septem panibus, & quatuor millibus uirorum. Nam quòd hæc duo miracula ad hunc usum pertineãt, testificatur Christus ipse Marci octauo. Discipuli obliti panum dolebant, sed grauiter increpantur à Christo, mentione horum duorum miraculorum, q̃ non crederent. Habes igitur nunc cœlestes literas præbendarum, munitas cœlestibus sigillis, ut ne quaquàm sit dubitandum de uictu & alimentis corporalis nostræ uitæ.

Sed hîc danda est opera, ne nos nostra ipsorum culpa præbendam diuinitus nobis promissam, et paratam, literis & sigillis roboratã, negligamus aut abijciamus. Sicut enim multi, qui suas habent præbendas in hospitali, aliquoties priuantur uino, aliquoties assatura, aliquoties prorsus abijciuntur, siuel morositate peccauerint, uel alia uitia aut scelera designauerint, ita solet fieri in hoc mundo, q̃ est hospitale Dei, ut qui negligit aut contemnit beneficium

cium Dei, ac sceleribus suis se cœlesti præbenda indignum fecit, priuetur aut aliqua parte præbendæ, aut tota præbenda. Quid ergo faciendum est, ut nõ priuemur? Hoc cognoscendum est ex hodierno Euangelio, exemplo turbæ, & discipulorum Christi. Primum enim turba sequitur Christum in desertũ, ut audiat concionem: Hæc est uocatio Dei. Necessarium est ut suo tempore audiamus concionem uerbi Dei, quo discamus Deum cognoscere, in eum credere, & ipsum inuocare. Hoc exemplum erit nobis sectandum. Quare qui contemnunt uerbum Dei, nec sectantur uocationem uerbi, hi faciunt se indignos sua præbenda, & priuantur uel uino, uel etiam præbenda. Deinde Turbæ mandato Christi discumbunt. Sic oportet & nos mandato discumbere. Tunc autem discumbimus, cùm sequimur mandata Dei & uocationem eius. Opifex discumbit, cùm conficit operas, uinitor discumbit, cùm fodit uineam.

Tertiò discipuli nõ ipsi seruant panes & pisces in manibus, sed reponunt ea in manus Christi, in quibus ita benedicuntur, ut sufficiant tot millibus. Sic oportet nos nostra modica reijcere in manum Domini. Reijcimus autem tunc in manum Domini, cùm iustè negociamur, cum pauperes iuuamus. Nisi enim patiamur ut Dominus nobiscum uescatur, non benedicit opes. Econtrà reijcimus ea in manum Satanæ,

cùm

cùm exercemus imposturas, qua re fit, ut quantum agimus impostura, tantum nos de præbanda nostra priuemur &c. Quarto discipuli colligunt fragmenta. Oportet & nos fragmenta colligere, quod tunc fit, cùm quæ dat Dominus, non helluemur, sed cum gratiarum actione percipimus. His rebus fit ut parua & modica ita benedicantur, & multiplicentur, ut uniuersæ familiæ sufficiant. Quare cum aliquis tentatur de fame, & metuit, ne necesse habeat cum familia sua esurire, & fame interire, producat has literas cum sigillis suis, & confirmet fidem suam, sicut fieri solet cum censibus & alijs contractibus, qui firmati sunt publicis literis & sigillis, &c. Hæc de priori usu huius miraculi.

Dicemus nunc pauca etiam de posteriori, ac præcipuo eius usu. De hoc autem inquirendo, non opus est multa sollicitudine, sed Christus ipse perspicuè docet apud Ioannem, in eodem cap. 6. Cùm enim turba post editum miraculum & discessum Christi, iterum Christum quæreret, & acceßissent eum, dixit: Amen amen dico uobis, quæritis me, non quia uidistis signa &c. Operemini non cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis. Hoc dicto manifestè significat Christus, quòd ediderit hoc miraculum, non quòd uelit tantum testificari curam suam, de corporali cibo, sed docere quòd ipse uerus

ist, &

sit, & cœlestis cibus, quo acquiratur æterna uita, & salus. Ego sum, inquit, panis uitæ. Qui uenit ad me, non esurit, & qui credit in me non sitiet unquam. Et iterum. Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi, si quis ederit ex hoc pane uiuet in æternum. Ac mox: Amen amen dico uobis, nisi edetis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habetis uitam in uobis. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Habes Christum carne & sanguine suo esse uerum panem & potum.

Quomodo ergo editur & bibitur? Nihil hic agitur de Sacramento Cœnæ, in quo etiam editur corpus Christi, & bibitur sanguis eius, sed agitur de fide in Christum, quia Christus dedit corpus suum pro nobis, & effudit sanguinem suum pro peccatis nostris. Cùm ergo hoc credimus, tunc dicimur edere corpus & sanguinem Christi & habere æternã uitam, sicut etiam aliàs exponitur, Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternã. Et Ioan. 11. Ego sum resurrectio, & uita. Qui credit in me etiãsi mortuus fuerit uiuet. Et omnis qui uiuit, & credit in me non morietur in æternũ. Hoc illud est quod Christus uoluit miraculo quinq; panũ testificari, uidelicet q; ipse sit uerus et

cœle-

cælestis panis, & qui ex ipso edat seu in ipsum credat, non solum nunquàm esuriat, uerumetiam nunquàm moriatur, sed perpetuò uiuat.

Quare ad cognoscendum Christum, ad credendum in eum (id quod fit per auditum Euangelij) omnem nostram operam conferamus. Non enim conditi sumus ut tantum edamus, & bibamus, sed ut Deum cognoscamus, & cælestem uitam habeamus. Cùm enim amiserimus ueram Dei cognitionem & salutem propter peccatum, agnoscendus est Christus filius Dei, per quem recuperemus cognitionem Dei, et remissionem peccati ac cælestem salutem.

CHRISTVS ipse exinaniens se, descendit ad nos è cælis, ut nobis Patrem placaret, & se nobis patefaceret. Cur igitur nos non tantum operæ & laboris insumeremus, ut Euangelium eius audiremus & ipsum cognosceremus, cùm magis hoc ad nostram salutem, quàm ad ipsius utilitatem pertineat? Et tribuit nobis primum corporalia bona, deinde multos annos uitæ, ut hoc præcipuè omnium agamus, quo assequamur ueram eius cognitionem. Quæ igitur opprobria & quam damnationem merebimur, si tempus uitæ inutiliter teramus, & nihil aliud egerimus, quàm ut helluemur? Nec est alia uia qua possumus ærumnas huius seculi superare, & æternam mortem euadere. Multa quæsita sunt remedia ab

Ethnicis

Ethnicis & philosophis contra ærumnas huius seculi, & contra mortem, sed nulla inuenta. Solus Christus est, in quo uincere possumus ærumnas, & mortem. Qui Christum habet per fidē, omnia habet, etiāsi alijs omnibus rebus caret. Si caret opibus, Christus thesaurus est. Si habet pcā, Christus remittit ea, & dat spiritum sanctum. Si uenit morbus, Christus sanitas est. Si uenit mors, Christus uita est: Qui enim in Christo moriuntur, non moriuntur, sed ingrediuntur ueram uitam. Contrà autem, qui Christum non habet, nihil habet, etiamsi alioqui omnia poßideat. Non iuuant enim diuitiæ, non sanitas, nō longa uita. Quare hic sit unicus labor noster, ut Euangelium Christi discamus, & ex eo Christum cognoscamus. De plenitudine enim eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Habes igitur nunc historiam miraculi quinq; panum. Deinde duplicē usum eius, uidelicet quòd sit sigillum præbendæ, et q̄ testificetur solum Iesum Christum esse uerum et cœlestem nostrum panem, quo æternum uiuamus. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi det per spiritū̄ sanctum, ut non solum auribus acceperimus, sed etiam uera fide complectamur, & ueram salutem ex eo reportemus, Amen.

DOMINICA XXVI. POST TRInitatis, Euangelium, Matth. 18.



IEsus dicebat discipulis. Simile erit regnum cœlorum decem uirginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam Sponso & Sponsæ. Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes. Sed quinq; fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: prudentes uerò acceperunt oleum in uasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente Sponso,

dormita-

dormitauerunt omnes, & dormierũt. Media autem nocte clamor factus est, ecce Sponsus uenit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes uirgines illæ & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes dicentes: Ne forte nõ sufficiat nobis & uobis, ite potius ad uendentes, & emite uobis. Dum autem irent emere, uenit Sponsus, & quę paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, clausaq; est ianua. Postea uero ueniunt & reliquæ uirgines dicentes, Domine Domine aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico uobis, non noui uos. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam in qua filius hominis uenit.

HOMILIA.

IN hoc Euangelio commemoratur similitudo, de decem Virginibus, quarum quinq; erant prudentes, quinq; stultæ. Quanquam autem similitudines in confirmandis rebus dubijs & incertis, per se non magnam habeant uim, tamen multum ualent ad res prius confirmatas illustrandas, intelligendas, & memoriæ commendandas. Et cùm Christus hoc dicendi genus per similitudines sæpe ac multum usurpet, necesse est, ut sit efficacißimum. Quid enim est infirmum, quod in manus Christi acceptum non fiat ualidum? Quid est imbecille, quod Christo operatore non fiat efficax? Accepit in manus quinq; panes, et ita benedixit, ut pasti sint quinque millia hominum. Accepit in manus lutum, & aperuit oculos cæci. Quare etsi docendi ratio per similitudines per se non omnino infirma & inefficax esset, tamen quia Christus eam usurpat, necesse est, ut fiat efficacißima. In hac igitur similitudine de decem uirginibus, Primum omnium commemorat Christus pompam nuptialem, & ita commemorat, ut uideatur eam approbare. Habet enim unaquæq; gens suos mores & suam consuetudinẽ, qua publicè celebrat nuptias. Apud Romanos, quinque præferebantur fáces in nuptijs, Apud Iudæos ut ex hoc loco colligimus, usus erat lampadum, quæ in

Nuptiarũ pompa nõ damnatur.

in nuptijs à uirginibus gestabantur, & unaquæq; regio suas habet nuptiarum pompas. Cùm igitur Christus mutuetur ab his moribus similitudinem, nõ obscurè significat, se publicos regionum & ciuiles & honestos mores non damnare. Ducit & aliàs similitudinem à seruo iniquo decipiente dominum suum. Sed hanc impostur㠠manifestè improbat. Hoc autem loco ne una quidem syllaba significat, se publicã & solennem nuptiarum pompã damnare. Ergo ne, inquies, Christus delectatur fastu, nimio sumptu, ebrietate, crapula, & impudicis choreis? Hæc n. plerumq; fiunt in nuptijs. Minimè omnium delectatur his moribus, sed delectatur uirtute, et honestate. Impuri homines abutuntur publicis nuptiarum pompis. At qui sunt pij, magnã possunt utilitatem ex istis pompis capere. Non enim ullum genus uitæ est, in quod plures incidant afflictiones, quàm in cõiugium. Atq; hæ sæpenumero tam graues cõiugibus apparent, ut etiam tententur in conscientia, num coniugium sit genus uitæ Deo acceptum: interdum etiã prorumpunt in execrationes & maledicta. Dicunt: Quis malus genius nos coniunxit? Vt dij deæq; omnes perdant, quorum cõsilio & auxilio cõiuncti sumus. Christus igitur approbat solennes ritus nuptiarum, ut præter alia remedia etiam ex his conscientia coniugum possit in tentationibus consolationem habere, uidelicet, ut meminerint coniuges, se publi

co & honesto ritu approbantibus bonis et honestis hominibus coniunctos esse. Hic autem ritus est diuina ordinatio, ac diuinum quodammodo testimoniũ, coniuges diuinitus non Satanicos coniungi. Quare absint illæ prophanæ uoces, & execrationes, sed orandum potius est, ut Dominus opus suum benedicat &c. Sed hoc parergon & accessorium est, quod in hoc Euangelio docetur.

Nunc accedamus ad tractandum principalem statum huius Euangelij. Hortatur enim præcipuè Christus hac similitudine, ut nos sollicita uigilia præparemus ad aduentum eius. Non aũt hoc uult, ut nullum omnino somnum corporalẽ capiamus, sed ut à peccatis nostris resipiscamus, & semper in bonis operibus ambulemus.

Etenim hæc est humani ingenij natura, etsi proponatur uerbum Dei, quo ad resipiscentiam inuitamur, tamen solemus resipiscentiam differre usq; ad extremum uitæ terminum. Alius sanus est, alius dives, alius iuuenis, alius aliter fœlix. Ac ipse etiã miser, & corpore imbecillis, pollicetur sibi huius seculi fœlicitatẽ, & sanitatem, præ qua nõ magnopere requirit resipiscentiã. Christus igitur excitat nos, in hoc Euangelio à somnolentia & torpore, ac inuitat nos ad tempestiuã, & festinã resipiscentiã tam utilitate, q̃ maxima necessitate. Primum enim iubet nos in tẽpore resipiscere. Quia simile, inq̃t, est reg-

num

nũ cœlorum decẽ uirginibus. Quibus uerbis significat, prædicatione Euãgelij celebrari publicas nuptias cœlestes inter Christum & Ecclesiã. Nam tãta est harum nuptiarum prærogatiua, ut tã uirgines, q̃ alij inuitati, non solum nuptijs interfint ut amici, & hospites, sed etiam ut ipsi fiant sponsa, & participes omniũ bonorum filij Dei. Quotquot n. credũt in Christũ, coniunguntur Christo ueluti sponsa cum sponso suo. Christus aũt pro dote affert in hoc cõiugium fauorẽ Patris, remissionẽ peccatorum, iustificam, liberationẽ, & salutem ab omnibus malis, cœlum ipsum, seu cœleste regnum. Quibus bonis q̃d potest maius excogitari? Quare qui non uigilat, nec præparat se in tempore per resipiscentiã, ad fruendum harum nuptiarum bonis, is ne omniũ creaturarum stupidissimus est. Deinde necessitas salutis nostræ exigit, ut nos in tempore per resipiscentiã ad aduentum Christi siue specialẽ, siue generalem prænõ differẽ paremus. Sicut enim quinque fatuis uirginibus defecit oleum, quia non sumpserunt secum uasa olei, ita non sufficit nobis ut bene incipiamus Christianismum, ut baptisemur, & interdum sumamus Sacramentum cœnæ Dominicæ, sed necesse quoque habemus nobiscum uas olei accipere, quo foueamus lampadem Christianismi. Et nisi resipiscamus, extinguuntur lampades. Oleum est spiritus sanctus. Vas olei est uerbum Dei. Hoc enim est organon, Nuptiæ cœlestes.

non, quo nobis communicatur spiritus sanctus. Quare si uoluerimus salutem consequi, necesse erit, ut præter generalem uocationem in Christianismum sine intermissione audiamus uerbum Dei, quò spiritus sanctus nobis detur, & conseruet nos in fide, et obedientia bonorum operum, ne spiritus noster fit spiritus uolans. Mala enim opera seu peccata expellunt spiritum sanctum. Romanorũ octauo: Si secundum carnem uixeritis, moriemini. Saul electus fuit in Regẽ Israelis, & præditus bono Dei spiritu: Sed quia non accepit secum oleum, hoc est, quia contempsit uerbum Dei, 1. Regum 13. & 15. recessit ab eo spiritus Domini, & exagitauit eum spiritus malus. Iudas electus erat in Apostolatum, & tam bono spiritu præditus, ut & miracula ederet. Sed quia contemnebat uerbum Domini admonentis eum ad resipiscentiam, dereliquit eum spiritus bonus, & intrauit in eum Satanas, hoc est, Non accepit oleum, quare lampas eius extincta est. In tempore igitur resipiscẽdum, & uerbum Domini capessendum est, ut nõ priuemur spiritu sancto. Ad hæc Dominus uenit, nõ definito à nobis tẽpore, sed ex improuiso. Sicut enim Sponsus uenit in medio noctis dormiẽtibus uirginibus, ita Christus uel uocat nos ex hoc seculo, uel aduenit in nouissimo die, eo tempore, quo nos nihil tale cogitauimus. Ac in multis locis testatus est Dominus, se ex improuiso uenturum. Matth. 24. Sicut

in

in diebus Noe & Loth, ita erit & aduentus filij hominis. Et 1. Thessalo. 5. Dies ille Domini ut fur in nocte uenturus est. Cùm enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient. Ne igitur ex improuiso eius aduentu imparati obruamur, necesse est ut in tẽpore resipiscamus. Præterea nobis ipsis est resipiscendum, & non est confidendum aliena iusticia, uel uiuorum uel mortuorũ. Sicut enim prudentes uirgines negant fatuis oleum, sed iubent eas sibi oleum cõparare, ita nemo potest aliena hominũ iusticia in cœlum peruenire. Sancti possunt quidem sua doctrina, et exemplo nos erudire, & Deus confert propter pios etiã impijs bona corporalia, ut uides in Israelitis, Sed nõ possunt pij efficere ut nos in impietate manentes, cõsequamur cœlum. Et iustificamur quidem aliena iusticia Christi, sed ea conditione, ut nos per fidem eã iusticiam usurpemus, & fidem bonis operibus testemur. Hactenus uulgus reiecit sanctitatem in sacrificulos, Sacrificuli in uulgares monachos, uulgares monachi in Carthusianos, Carthusiani in sanctos demortuos. At hæ sunt uanæ carnis pollicitatiões, qa nullus est qui possit alteri aliquid de sua sanctitate erogare. Nõ sufficit unicuiq; sua iusticia, imo opus habet aliena iusticia Christi. Quare necesse habemus, ut nos ipsi resipiscamus. Postremò si reiecerimus pœniten-

tiam in ultimum uitæ tẽpus, periculum est, ne in necessitate nunquàm contingat nobis resipiscentia & salus. Sicut enim fatuæ uirgines excluduntur, quia non uenerunt opportuno tempore cum sponso, & dicitur eis, Nescio uos, ita hi, qui uocantem Dominum contemnunt, excludentur postea cùm in necessitate ipsi clamauerint. Zachariæ septimo: Locutus sum, & non audierunt. Sic clamabunt, & ego non exaudiam. Quando ergo clamat Deus? Cùm reuelatur uerbum eius, ibi tũ si negligitur uerbum, negligitur salus. Exemplũ habes in pereuntibus in Diluuio, in incẽdio Sodomæ, in Esau, in Saule, in Iuda, &c. Verã resipiscentiã Deus nunquàm contemnit, Sed illi non uerè resipiscunt. Quare in tempore per Christum resipiscendum est, ut fugiamus iram Dei, & habeamus uitam æternam, in Christo Iesu

Domino nostro, qui cum Deo Patre
et spiritu sancto est benedictus
& æternus Deus in se-
cula seculorum,
Amen.

INDEX

INDEX

A.

Aiectos Christo curæ esse 468 495
Abitus ad Deum 1147
Abitus uia ad Deum 1149
Abraham fuit Christianus 342
Accubitus primus an damnetur 883
Aduentus Christi ad iudicium certitudo 26 36
Aduentus Christi ad iudicium forma 28 38 78 87
Aduentus Christi duplex 25 33
Aduentus Christi in carnem prædictus 13
Aduentus Christi tempus 31 38
Aduentus tempus cur ordinatum à ueteribus 312
Afflictos Deus respicit 1202
Afflictionum seu onerum genera uaria 1124
Afflictiões sut officia fœlicitatis et uitæ æternæ 526
Agnitionem & odium peccati habens quid facere debeat ut salutem consequatur 388
Agnus Dei cur dicatur Christus 125 127
Andreæ pietas & obedientia, & quomodo factus sit Christianus 1024 1026 1033
Angelorum officium 1277
Anni distributio ad quid utilis sit 118
Anni fœlicitas unde 120

Apostolicæ

Apostolicæ doctrinæ autoritas & ueritas 1288
Apostolorum & Monarcharum discrimen 491
Apostolis quæ sint commendata 491
Arrogantia & eius pœna 888
Articulus, Christũ esse cõceptũ de spũ sancto 1141
Ascensus Christi historia 558.565
Ascensus Christi in cœlum utilitas 560.565
Ascensus Christi in cœlum uisibilis quid uelit 559
Ascensus Christi non tollit eius præsentiam 473
Athenienſium ciuium iuramentum 1027

B.

Baptismo datur infantibus remissio peccatorũ 401
Baptismus infantium quid prosit adultis 401
Baptismus non est iterandus lapsis 399
Baptismus paruulorum 400
Baptismus per se non facit Christianũ hominẽ 397
Baptismus quõ necessarius sit ad uerã pœni (tentiam 397
Belli comites indiuidui 1379
Benedictio duplex 503 (502
Benedictio seu fœlicitas uera in benedictiõe Christi

C.

Calamitatum publicarum & priuatarũ usus 581
Calumnia 676.687 (peccatoribus 663
Calumnia Phariſæorũ de Christi conuersatione cũ 663
Calumnia quantum peccatum 620
Caro quid significet 293

Cherim

Cherinthus hæreticus 1098
Chirographum aduersum nos quod sit 442
Christi aduentus ad iudicium 85.33.577
Christi aduentus exoptandus 39
Christi adolescentia 148.157
Christi ascensus in cœlũ et sessio ad dexterã Patris quomodo sint intelligenda 358 (tulit 1059
Christi beneficia quæ secũ è cœlo humano generi at
Christi clementia & mansuetudo 942
Christi collatio cũ Ioan. Baptista et alijs sanctis 60
Christi crucifixores qui fuerint 424
Christi cura pro Ecclesia 506
Christus cur in paupertate natus 81 (1036
Christus cur piscatores ad Apostolatum uocauerit
Christus cur circumcisus 107.112.1095
Christus cur in mundum uenerit 911.1070
Christus cur conuersetur cum peccatoribus 664
Christus cur post suam resurrectionem non manifestauerit se omnibus gentibus 317
Christus cur de morte sua uaticinatur 525
Christi doctrina nõ consilium sed mandatũ est 710
Christus dupliciter cõsiderari debet, iuxta p[illegible]
Christum esse Filiũ Dauidis 903 (& officium 50[illegible]
Christum esse uerum Dominum nostrum 495
Christum & suum Euãgelium pertinere ad audito
Christus est ostium 508 (res Euangelij 469
Christi externa & humilis species, quia in mundum uenit 1657

Christi fuga in Aegyptum 100.1085
Christi in carnem aduentus testimonia 13
Christi maiestas cui competat 69
Christi maiestas et honor quis 68
Christi maiestas & officium 128
Christi maiestatē impij quibus rebus tribuant 72
Christi manus omnia benedicit 810
Christi meritum et thesaurus quomodo applicetur seu redimatur 388
Christi nomen & cognomen 116
Christi nuptiæ 928.934
Christi officium uerũ & proprium 665 919.870.
Christus omnes ad se uocat 1124. (964.1272
Christus omniscius 344
Christi passionis causæ 413
Christi passione declaratur & misericordia & ira (Dei 441
Christi potentia 344
Christus quare sit tentatus à Satana 274.281
Christus quib. armis pugnet cum Satana 276.284
Christus quõ nos liberauerit à lege 107.112.115
Christus quid sit 508
Christus quomodo nos à lege redemerit 1095
Christus quomodo in ulnis conseruetur 1111
Christi regnum in terra quale 346.494.570.585.
1086.1117.1186.1221.1251
Christum à morte uerè resurrexisse 452.458.
466.482.495.604.

Christi

Christi resurrectionis cõmoda 453 460 500 524
Christi scabellum 905 (quis 473
Christũ semper interesse præsentem nostris collo=
Christus seruat in morte & ex ea liberat 736
Christus solus nostra iusticia est 832
Christus totus quid sit 621
Christus uerus pastor 510
Christus uerus Deus 597
Christi uicarius quis sit 588
Christus uirtutum exemplar absolutum 261
Christianum decipiens tradit Christum 427
Christianismi doctrina 298
Christiani soli orare possunt 292
Christiani ueri qui sint ibidem
Christianismus in quibus rebus sit situs 157
Chronicorum totius mundi compendium 932
Claues Petro datæ quid significent 1169
Cœlum quomodo intrandum 621
Cœna Domini quid sit 351
Cœna Domini cur instituta sit 356 361 404
Cœnæ dominicæ abusus 403
Cœnã Domini sumpturi quõ se præparent 364
Cœnæ Dominicæ una species à Christo nõ instituta
Comicia duo magna cõstituta à Deo 518 (471
Concionum Euangelicarum utilitas 395
Concionatoris officium 506
Concio præcipua omnium 600

Con=

Concionatores præcipui duo 667
Condemnatio uera 538
Confessio ad agendam pœnitentiã necessaria 367
Confessio auricularis 831.837
Coniugium domestica concio est 928
Coniugij fœlicitas unde 176
Coniugij ratio 166
Consuetudines uariæ 949
Contritio cur necessaria 366.382
Conuicium seu contumelia 720
Conuiuia epulonum 890
Conuiuiorum genera duo 884
Credentium fortuna 1294
Credentium paucitas 234.241
Cura hominum præposterа in aduersis 1210
Cura uictus & amictus 847

D.

Damnatio æterna quomodo effugienda 637
Debitorum nostrorum registrum 894
Debita soluendi uiæ excogitatitiæ 898
Decalogi usus 381
Defectores quõ reuocãdi sint ad resipiscentiã 469
Delictum condonare quid sit 965
Delictorum condonatio quid prosit 970
Delictorum mutua condonatio 957.965
Deus admirabili modo suos seruat 1073
Deus afflictiones uenturas præuidet & liberationem excogitat 1072

Deus à pleriſq; colitur tantum propter terrenas fa
Deo confidendum in periculis 503 (cultates 1227
Dei conſuetudo in ſaluandis hominibus 699
Deus cur conniueat ad trucidationẽ ſuorum 1089
Dei cura pro Chriſto & alijs filijs ſuis 101
Deus cur Satanæ permittat laſciuiẽdi potẽtiã 204.
Deum eſſe unum & tres perſonas 616.623
Dei ira grauiſſima erga peccata 437
Dei longanimitas 634.
Dei miſericordia liberaliſſima erga peccatores re
Deus quõ creet malũ 315 (ſipiſcentes 441
Deus uerus ubi inueniendus 1147
Deus uiduas reſpicit 865
Dei uoluntas erga afflictos 181
Dextera Dei quid ſignificet 353
Dilectionis legem neminem impleuiſſe 895
Dilectio requirit orationẽ pro proximo 800
Diligere Deum ex tota anima 818 (817.
Diligere proximũ ex toto corde carni impoßibile
Dies aſcenſionis Chriſti cur obſeruetur 564.
Dies feſti cur inſtituti 373
Dies feſtus q̃ precioſa res 1154.
Diei nouiſſimi certitudo 579
Dies nouiſſimus cur differatur 502
Diem nouiſſimum præcedentia 580
Diſpenſatores alienarũ opum ſæpe ſunt fures 759
Diuinæ iræ contemptus 773

Diuinæ iræ exemplum 773
Diuinæ misericordiæ exemplum 774
Diuitiarum ratio 639
Doctrina uera quæ sit 750
Doctrina uera à falsa quomodo discernatur 751
Doctrinæ ueræ studiũ ab omnibus exigitur 747
Doctrinæ Papisticæ fructus 753
Dolor officina gaudij 527
Dubitatio de uoluntate Dei 189

E.

Ecclesiastica cogendi potestas 658
Ecclesiæ conditio erga Christum 506
Ecclesia cur sit exposita periculis 200
Ecclesia curæ est Christo 506
Ecclesia i periculis qd facere debeat ut seruetur 201
Ecclesiæ remedium aduersus Satanæ insultus 271
Ecclesia Satanæ tentationibus exposita est usq; ad nouissimum diẽ 271
Ecclesiæ ueræ fortuna 199
Ecclesia uera quæ sit 197
Electi qui dicantur 930
Eleemosynæ ueræ 986
Euangelicæ doctrinæ fructus 752
Euangelij quanta potentia 187
Euangelicæ prædicationis utilitas 533
Excommunicatio uera & falsa 574

F.

Facultatum acerui 982

Facultatum communio 611
Facultatum desertio 1025
Facultatum externa collatio in commune an sit necessaria 1067
Facultatum terrenarum uera administratio 981
Fides aliena 910
Fidei datæ uiolatio 223
Fides imbecillis 945
Fides in Christum recta quæ sit 299
Fidei iustificatio 387 (944
Fide, hoc est, per, non propter fidem nos iustificari
Fides mutua, quam alter alteri debet 222
Fidem quõ consequamur & retineamus 393 408
Fides seruanda 975 (minem 388. 1250
Fide sola meritum Christi redimi seu iustificari ho-
Fides unde accipiatur 394
Fidei uocabulum quid significet 393
Fures & latrones qui sint 509
Furtum quid sit 760
Furti species impostura 681
Furti uaria genera 760

G.

Gabrielis angeli conciones duæ 1136
Gaudium in cœlo quare à nobis excitetur 665
Gentium uocatio 1101
Gentiũ uocatio maximũ opus Dei in hoc seculo 134
Germanorum peccata 372

H.

Hæreditas cœlestis regni quomodo cõseruetur 940
Hiems quid doceat 527
Homo sãber quomodo sit suæ fortunæ 121
Hominum generalis uocatio in terris 1350
Homo natura mutus & surdus est 811
Hominum natura quàm sit perdita 665
Hominum officium præcipuum 934
Hominum officium inter se 965
Homines qui ad Christum pertineant 1071
Hominũ, qui è uita excesserunt, status in futuro se-culo 635
Homo uetus & nouus 1362
Honestas externa non sufficit ad consequendam salutem 793
Honestos et iustos non admitti in cœnam regni cœlorum 646.649 653
Hostis nostri conditiones cognoscendæ 1357
Humanæ fortunæ conditio in hoc seculo 631

I.

Iacobus Apostolus frater Ioannis 1227
Iacobus filius Alphæi 1145.1147
Ieiunij uera ratio 271
Iesum Christũ uenisse à patre in hunc mundũ 603
Iesum crucifixũ uerum esse Messiã 44.51.609
Iesum esse omniscium & omnipotentẽ regem 344. 634
Impijs cur benè sit in mundo
Impostura in contractibus 680.689.730.765

Infantes innocentes primi martyres Christi 1085
Infirmos in fide Christus non reijcit 495
Ingratitudo quantum scelus 844
Inobedientiæ exempla 843
Intercessio aliena seu mutua piorum 549.900
Intercessio aliena unde efficax fiat 552
Intercessio mutua quid requirat in eo pro quo intercediturr 554
Intercessio mutua fructus dilectionis est 550
Intercessionē omnem ex fide factam exaudiri 552
Intercessionis pro inimicis exemplum 1073
Inuidia quàm magnum peccatum 885
Inuocare quid sit 609
Inuocatio uera quid requirat 627
Ioannis Apostoli doctrina 1080
Ioānes Apostolus in qbus afflictionib. uixerit 1078
Ioannis Baptistæ cum Christo collatio 60
Ioannis Baptistæ doctrina, uita & mors 1160
Ioannis Baptistæ testimonium de Christo 1157
Ioannis Baptistæ uirtutes 1158
Ioannes duo præcipui 1077
Ira duplex 717.1355
Iram uenturam effugiendi uia 776
Iudas Ischariotes quomodo fuerit ornatus 1129
Iudaicæ calamitatis causa 775
Iudæi à beneficijs Christi excluſi 136
Iudicium extremum 577

Iudicij extremi certitudo 26.34.579
Iudicij extremi signa 28
Iudicij extremi tempus 31.38.583
Iudicium extremum quæ sint secutura 584
Iudicium quod sit, de quo spūs sanctus mundum arguit 537
Iudicium uerum 538
Iusticiæ & salutis consequendæ uera ratio post imitquitates 797
Iusticia nostra Christus est 832
Iusticia uera quæ sit 536
Iustos quos Deus reputet 913

K.

Καινικοὶ qui fuerint 948

L.

Labor absq; uerbo Dei infœlix est 696
Lazari pietas in paupertate 643
Legis de diligendo proximo usus & impletio 685
Legis de non occidendo expositio 710.717
Lex de oblatione primogenitorum 1112
Lex de puerperio 1116
Legis epitome 816.893.900
Legibus ordinarijs Reipub. obediendum esse 185
Lex Mosaica abrogatur 493
Legis usus 723
Liberatio à corporali afflictione est conseruatio liberationis à morte 737
Liberorum multitudo est benedictio 158.1109

M.

Magistratus est

Magistratus est ordinatio Dei 1336
Magistratus officium 506.1337.1344.
Magi qui fuerint 1101
Magorum fides 1105
Maledicentia 719
Maledicta publica quantum faciant 960
Malorum conuersatio pernitiosa 662
Malorum Satan author est 216
Mariæ humilitas 1200
Mariam non esse saluatricem 173
Mariæ uirginis commendatio quid Ecclesiæ prosit 1190.1240
Mariæ uirginis merita 1235
Mariæ uirginis uirtutes 1194.
Martyrij uera ratio 1174.
Matthæi Apostoli uocatio 1269
Mathias Apostolus 1138
Ministeriũ an solis Apostolis sit cõmendatum 492
Ministerij Euangelici fortuna in hoc seculo 693
Ministerij Euangelici maiestas 665
Ministerij Euangelici progressus 606
Ministerium remittendi peccata 487
Miraculorũ Christi et Prophetarũ discrimẽ 48.862
Miraculorum usus in genere 181.500.694.
807.838.870.821.991.
Miraculi de curato paralytico usus 914
Miraculi de sanato filio Reguli usus 942

Miraculi de septem panibus usus 727.735
Miraculi excitati adolescentis utilitas 869
Miraculorum in die Pentecostes usus 596
Miraculum quinq; panum & eius usus 323.329
Mortis credentium ratio 340
Mors est officina felicitatis & æternæ uitæ 526
Mortem esse timendam 1317
Mortis metus unde 2103
Mors per Christum cedit in salutem 867
Mors quomodo piè suscipienda 1108
Mori rectè quomodo discendum 1069
Mulierum partus quid doceat 527

N.

Natiuitatis Christi utilitas 89
Nuptiæ cœlestes 935.1915
Nuptiarum pompa 1013
Nuptialis uestis quæ sit 937

O.

Obedientiæ commendatio 842
Obedientia leprosorum 841
Obtrectationis modi uarij 576.687
Obtrectatio quantum peccatum 677
Operum bonorum doctrina 1263
Opera bona cur sint necessaria 410
Opera bona iustificatorum 1212
Opera quæ Deo debeamus 225
Opera uerè bona 1266

Orãtibus an oĩa indifferenter largiatur Deus 544
Orare cur pauci norint 268
Orationis cur raro fiamus compotes 294
Orationem omnes ex fide factam exaudiri 553
Orationis piæ efficacia 290
Oratio pia quæ requirat 1381
Orandum pro pace 1378
Orandum pro quibus sit 801
Oratio pro mortuis uana 802
Orare qui uere possint 291
Oraturi quem debeant inuocare 294.300
Oraturi quid faciant ut exaudiantur 342.544
Orandi seu orationis uerus modus 286.542.915
Oues Christi 511

P.

Pacta & conuenta seruanda 973
Panem & uinum in cœna Domini esse corpus & sanguinem Christi 351.359
Parochiæ maximum sunt beneficium Dei 1375
Passionis Christi causæ 413
Passionis Christi compendium 263
Passionis Christi utilitas 264.381
Patientiæ diuinæ ratio 634
Patris familiâs boni exemplum 954
Patris familiâs officium 506
Patrum familiâs quãta debeat esse cura pro salute suorum 304

Patrum familiâs uita quõ recte instituenda 1108
Paucitas electorum 234. 241 835
Pauli gladius quid significet 1170
Paupertatis ratio 642
Pax quid significet 482 (379
Peccati agnitio, gradus primus est ad pœnitentiam
Peccati agniti odium per quæ instrumenta in nobis
Peccatores cur saluentur 651 (excitetur 380
Pctõres & sceleratores cogi ad regnũ cælor. 646.
Peccata in quẽ usum remittantur 492 (654
Peccatum in spiritum sanctum 309
Peccatum in spiritum sanctum quare dicatur irremissibile 377
Peccatorum ordines 1267
Peccatum maximum 533
Peccata quæ sint, quorum remissio cõmissa est Apostolis 491
Peccata quibus remittantur 492
Peccata quomodo remittantur ab Apostolis, & quo merito 492
Peccatorum remissionem quõ consequamur 969
Peccatores sunt Christi crucifixores 424
Peregrini qui sint 651
Personarum in diuinitate distinctio 624
Personarum respectus non est in Christi regno 1222
Personarum trium in diuinitate cognitio cur sit necessaria 626

Petri & Pauli Apostolorũ doctrina et mores 1168
Petrus reijciens Christum sequitur eum 705
Piorum calamitates in hoc seculo 573
Piorum conatus cur sæpe infœlices sint 204.698
Piorum fortuna in hoc seculo 203
Piscatores ad Apostolatum cur uocati 1036
Pœnitentiæ agendæ imago 671
Pœnitentiæ agendæ ratio 666.669
Pœnitentiæ ueræ ratio 378.1185.1207
Pœnitentia an sit concedenda lapsis 375
Pœnitentiæ commoda 673
Pœnitentiæ concionatores 667
Pœnitentiæ dilatio perniciosa 950
Pœnitentia excitat in cœlo gaudium 665
Pœnitentia non differenda 1016
Pœnitentia necessaria est 371
Pœnitentiæ primus gradus agnitio peccati 379
Pœnitentia quid sit 666.669
Pœnitentes ucrè orare possunt 291
Postremi quomodo fiant primi 232
Præceptum de dilectione Dei & proximi nemo hominum implet 824.
Præparationis ad cœnam Dominicam partes 365
Preces quomodo sint efficaces 1172
Processionum abusus 549
Promissiones de conseruandis ijs qui ambulant in legitima uocatione 326.330

Promißiones de uictu & earum abuſus 729
Promißiones de uictu corporali 1003
Proximi contemptus 768
Proximum diligere quid ſit 683
Proximus quid ſit 683 821
Proximi traductio & damnatio 687
Pſeudoprophetas cur Deus oriri ſinat 742
Pſeudoprophetarum notæ 744
Puerorum inſtitutio 149

R.

Regeneratio quare ſit neceſſaria 619
Regnum Chriſti in hoc ſeculo quale 93
Regnum cœlorum quod ſit 710
Regnum Dei pertinere ad peccatores 654
Regnum Dei quomodo intrandum 621
Regnorum terrenorum uſus 1344
Religio quæuis non ſaluat 592
Religionis noſtræ ueritas 1182
Religionem tantum unam eſſe Patriarcharum & noſtram 334 342
Religio Turcarum 1359
Religionis concordia an ſit futura 741
Religio uera quæ ſit 5 1029 1255
Religio uera uetuſtißima 821
Religionẽ uerã deſerentes quõ ſint reuocandi 469
Reſurrectionis Chriſti maieſtas & fructus 1047
Reſurrectionis Chriſti ueritas 1146

Reuelationes nouæ de cœlo non expectandæ 496
Rogationum hebdomada 549

S.

Sabbatum cur institutum sit 54. 878
Sacerdotium externum ad exemplar legis Mosaicæ à Christo non est institutum 490
Sacramentorum efficacia 804.
Sacrificiorum abrogatio 128
Sacrificiorum significatio 127
Salutis conferendæ modi uarij 194.
ad Salutem quid necessarium sit 926
Salutis uiam cognituro quid faciendum 619
Sanctorum discrimen 1303
Sanctis honor Christi non tribuendus 62
Sanctorum opera, passiones, status & conditiones in hoc seculo 1309
Sanctorum passio & martyrium 1174.
Sancti quomodo colendi 1262
Sanctitatis ueræ consequēdæ et retinēdæ rātio 1213
Sanctitas uera unde constet 1309
Sanctorum uitia & imbecillitates 1040
Satan princeps huius seculi 315
Satan quanto odio prosequatur Christum 1090
Satā quō à Christo uictus sit et tamen adhuc regnet (316
Satan quibus armis uincatur 276
Satisfactio uera quæ sit 370
Scandalum adolescentiæ 151

Scandalum quid sit 1283
Scortatio prohibita in lege 177
Scripturæ authoritas 475
Scriptura sacra quò se potissimum referat 476
Seculi futuri status 872
Seminus Euangelij fructus 253
Sententia iudiciaria, qua omnes damnantur 900
Sepultura & funus est cultus Dei 864
Sergius Monachus adiuuit Mahometen in conscri-
bendo Alcorano 1360
Sermo Christi quis sit, q̃ seruat ne moriamur 340
Simeonis canticum 1117
Sobrietas feriæ sextæ seu sabbati cur instituta 881
Sollicitudo abijcienda 848
Sollicitudo duplex, pia & impia 856
Spiritus sanctus Christi uicarius in terris 589
Spiritus quid significet 620
Stephanus protomartyr 1001
Suggesti prædicatorij fortuna 693

T.

Tenebræ quid sint 338
Tentatio de abiectione à Deo 840
Thomæ imbecillitas 1040
Trinitatis doctrina cur sit necessaria 625
Tristicia officina læticiæ 527
Turcarum blasphemias cur toleret Christus 560
Turcarum origo 1359

Turcæ quæ nobis minetur 1371
Turcæ quomodo resistere poßimus 1377

V.

Ventris seu victus & amictus cura 847
Via perueniendi ad Deum 1149
Via perueniendi ad salutem 827
Victus parandi uera ratio 850.860.1001
Victus corporalis studium 766
Victus studium per impoſturas 765
Viduæ Deo curæ sunt 865
Visitationis diuinæ uaria genera 779
Visitationis diuinæ tempus obseruandum 775
Visitationis tempus cognoscere 780
Visitationis temporis cognitio aut ignorãtia quantum fãciat discrimen inter sontes 781
Visitationis tempus quod sit 776
Vitam aliam esse poſt hanc uitam 478
Vita æterna quomodo consequenda 816.823
Vitæ rectè ducendæ exemplum 1066
Vocationum diuersitas 700
Vocatos esse multos, paucos electos 834.
Vocationẽ legitimã sectanti promittitur victus 326
Vocationi seruiendum 848. & non in aliam respiciendum 1079

FINIS INDICIS.

BIBLIOTEKA * KÓRNICKA *

d $\frac{1}{2}$

d $\frac{1}{2}$

BIBLJOTEKA KÓRNICKA
13973

BRENTIVS.

Pericopiæ Euang

FIGVRES SVR

1559.